# ARCHÆOLOGIÆ
# Philoſophicæ:
## SIVE
# DOCTRINA
## ANTIQUA DE
## *RERUM ORIGINIBUS.*

## LIBRI DUO.

*LONDINI,*

Typis *R. N.* Impenſis *Gualt. Kettilby*, ad Inſigne Capitis Epiſcopi in Cœmeterio *Paulino*, MDCXCII.

AUGUSTISSIMO PRINCIPI

# GUILIELMO,

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ REGI.

*NISI eò me propemodùm compulisset grati animi & officii ratio, Sacrum tanti Principis nomen studiis meis quibuscunq; non ausus essem inscribere. Tibi enim, cui debemus omnia, fortunas integras, libertatem, vitam ipsam: ac chariorem ipsâ vitâ, Religionem: parum est offerre tenuis ingenii, aut otii literarii, munuscula. Neq; Laudibus tuis celebrandis pares esse possumus, qui referendis gratiis sumus impares.*

*Virum Magnanimum, Inclytissime Princeps, duæ maximè virtutes constituunt: Fortitudo & Clementia. Non Te*

*Fortem eſſe dicimus, ſed querimur: animæq́ prodigum, in quâ noſtrûm omnium ſalus; noſtrûm omnium capita periclitantur. Neq́ Clementiam tuam prædicamus, toti Orbi notiſſimam: Sed nequid detrimenti capiat Reſpublica, ex nimiâ Cæſaris indulgentiâ, oramus ſupplices.*

*Affectent alii inanes ſine Marte triumphos, ſine Virtute Lauros. Sed magni Ducis, aut fortis Viri, Qui meretur honores, numeret, oportet, ſi non ſua vulnera, ſaltem ſua prælia: quæ geſſit, quibus medius interfuit, ardens inter enſes & ignes. Et qui Clementiæ laudes aſſequi velit, non Urbium & Oppidorum incendia aut cineres, non Agrorum devaſtationes, nobis poſteriſve oſtentare debet, in ſuæ Clementiæ monumenta.*

*Dedecent prætereà Virum Magnum, mala fides, læſa fœdera & Sacramenta publica: quæ jus divinum & humanum, apud omnes gentes rata & religioſa eſſe volue-*

*voluerunt. Degeneres animos hoc arguit, & fruſtrà quærunt præclarum magnanimitatis titulum, qui viri probi & honeſti non reſpondent officiis. Alii autem ſunt tui mores, Rex Sereniſſime, partes aliæ: Teſtor enim totius Europæ fidem, actionibus tuis publicis, domi aut foris, in bello aut in pace, nullam unquam fraudis aut doloſæ mentis hæſiſſe labem, nullam aſpergi poſſe maculam.*

*Hæ Tibi erunt Laudes: neq́ recenſere opus eſt, aut genus, aut proavos: longo licet ordine, geſtiſq́ egregiis memorabiles. Quod enim ſtemma Regium Naſſavico illuſtrius, quod antiquius? aut ſuis, aut vicinis, aut orbi Chriſtiano, ſalutarius? Sed Tibi ſufficit tua Virtus, & dulcior eſt ſuo marte quæſita gloria, quàm à majoribus repetita. Pergas, Dux Invictiſſime, ſecundo Numine: Britannis, ut pridem Batavis, ſervitutis jugum excutere, priſtinam in bello virtutem ac-*

*cendere,*

*cendere, & antiquam utriusq; gentis dignitatem novis trophæis adornare. Ac ut olim Ferarum & Monstrorum Hercules, ita Tyrannorum Domitor, Gens Nassavica semper audiat.*

MAJESTATI TUÆ

Humillimè subditus

& à Sacris Famulus,

*T. Burnetius.*

# PRÆFATIO
## AD
# LECTOREM.

IN hiſtoria Gentis Humanæ partem facit non exiguam Res Literaria. In hiſtoriâ autem rei literariæ, nihil præſtantius aut utilius, quàm cujuſque gentis ingenium, cujuſque placita philoſophica, & quid in ſcientiis profecerint, exponere: Cætera, quæ hiſtoriam literariam conſtituere ſolent, Qualia ſunt philoſophorum vitæ, natales, obitus, laudes, peregrinationes, benè aut malè geſta, & hujuſmodi plura, complent hæc quidem, ornantque materiam: ſed minoris ſunt momenti, cùm id agimus, ut humanæ cognitionis ſemina & progreſſus, & divinæ Providentiæ hâc in parte regimen & œconomiam, inveſtigemus. Quare in hoc opere, quod præ manibus eſt, miſſis his minutiis, aut leviter tactis, ſententias Veterum

Veterum de *Rerum naturâ* potiſſimùm inquirimus. Idque in laudem & vindicias Antiquitatis, ut neque fungos fuiſſe Majores noſtros, neque nobiſcum natam eſſe ſapientiam, oſtendamus.

Ab omni ævo, quouſque licet pedem referre Patrum per veſtigia, & præteritorum temporum revocare memoriam, conſtat, Gentem humanam, non tantùm de ſummo Numine, ſed etiam de Mundo naturali: De Rerum Ortu, & Occaſu, & Viciſſitudinibus intermediis, (Quæ Tria ſunt omnia) notitias habuiſſe, non veras modò, ſed aliquatenus divinas; Quaſque adeò à Noachidis ipſis, aut à prima forſan hominis origine, potius quàm ab inventione privatâ, aut à demonſtratione naturali, repetendas eſſe cenſeo.

Præterea in aliis rebus & capitibus, quæ ſecundam in philoſophiâ claſſem conſtituunt: nempe de naturâ cœlorum, & cœleſtium corporum, Syderumque, tam Fixorum quàm Errantium, ſpeculationes: Patet multis exemplis, de his non malè ſtatuiſſe Antiquos, neque eos fugiſſe penitùs horum Corporum materiam & compoſitionem. Quinetiam quod *Mundi Syſtema* dicitur,

ſive

ſive Univerſi forma & ordo, hoc non inveniſſe Pythagoram ſuopte ingenio, ſed inter ἀπόῤῥητα Orientalia, cum multis aliis non vilioris pretii, repertum, in Græciam primum invexiſſe, haud temerè creditur. Denique tertiæ claſſis philoſophemata, quod ſpectat, quæ ſupellectilem hujus Terræ, putà Elementa, & corporum Terreſtrium ordines & qualitates, reſpiciunt, fateor Antiquos in his explorandis parum profeciſſe, & in hâc re maximè eruditioni veterum prælucere philoſophiam hodiernam: cui ſuas laudes minimè invidemus. Ut paucis dicam, A maximis exorſa eſt, & ad minima progredietur philoſophia: ac decurſo literarum, rerum, temporumque ſtadio, unà cum fine mundi, ſi Deus voluerit, conſummabitur ſapientia.

Exiguum id eſſe fateor, quod, ex philoſophiâ Barbaricâ, vel etiam inter Græcos antiquiſſimâ, integrum & illæſum retinemus. Sed quemadmodum ex fractis columnis & exeſis marmoribus, Græcorum Architectonicam diſcimus & admiramur: Ita ex majuſculo aliquo fragmento veteris philoſophi, de cæteris partibus ſui operis, ſecundum ſymmetriæ leges, & de totâ fabri-

câ, judicium ferimus. Utcunque in his Archæologiis, veterumque dogmatis, eruendis, ſcriptores Claſſicos, Græcoſque potiſſimùm ſecuti ſumus. Neque quicquam affinximus cuiquam, ex amore aut invidiâ. Sed prætermiſſis nonnunquam erroribus, quos ex narratorum inſcitiâ, aut incuriâ, aut denique malevolentiâ, oriri potuiſſe ſuſpicamur: Quod pulchrum, quod utile, & memoriâ dignum, id maximè in aſpectum lucemque proferre, operæpretium duximus.

Denique, in antiquâ doctrinâ enarrandâ, non pauca commentati ſumus de *Fabuloſo Philoſophandi genere*. Quod per multa ſæcula, multaſque gentes, obtinuit. Et licet jam exoleverit id genus orationis, locumq; ceſſerit ſeveriori doctrinæ, non abs re eſſe duxi admonere Lectores, quâ figurâ dicendi, aut quo charactere ſtyli, ſæpiuſculè uſi ſunt veteres; ut ab eorum ſcriptis tenebras depellerem, aut iniqua opprobria. Illis utique non erat religio, per fabulas & honeſtas fraudes, inſtruere populum: id quod nos dicimus *officiosè* mentiri. Deos ſuos crediderunt humanum genus regere, non diſſimili ratione quâ nos regimus infantes

aut

aut pueros: ad modum ſui captûs & virium: celatâ ſæpe veritate, aut aptis coloribus fucatâ, quo meliùs conſulant eorum ſaluti. His blanditiis & ornatâ Mythologiâ uſos eſſe veteres, notiſſimum eſt: qui fas eſſe voluerunt Legum latoribus & ſapientibus, laxare veritatis habenas ob bonum publicum, &, pro re natâ, μετὰ τῆς πολλῶν συνασοφεῖν. Sed ab eorum fabulis ſigillatim interpretandis, quo nihil magis lubricum, manus ſemper abſtinui; memor dicti Ariſtotelis, περὶ μὲν τῆς μυθικῶς σοφιζομένων, οὐκ ἄξιον μετὰ σπουδῆς σκοπεῖν. Sed de hac re ſatis. 3 Metaph. 4.

Animus mihi erat, poſt exactam *Telluris Theoriam*, cui jam ultimam manum adjecimus: *Mundi Aſpectabilis Theoriam* conſcribere. Non quidem univerſim, neque enim tantæ provinciæ me parem eſſe ſenſi: ſed Theoriam *Sacram*, in uſum Theologiæ ſtudioſorum; ut Operum Dei magnitudinem, ordinemque: & quibus reguntur legibus, illis pro virili exponerem. Hæc enim nôſſe, omnium doctorum intereſt, & Theologorum maximè: quò in rebus creatis Creatoris ſapientiam & magnificentiam intueri, & cum ratione ac intelligentiâ celebrare, valeant. Proinde ſcire oportet, quid

ſint, & quâ conſtent materiâ, maximæ illæ Mundi moles, Sydera: Cœli exercitus, Dii Gentium. Et quas ſubinde mutationes & metamorphoſes ſubeant, volvente temporum Orbe. Quid inter Stellas, Lucidas & Opacas, Fixas & Errantes, interſit: Et quæ ſit utriuſque origo, & quatenus in ſingulis habitetur, ſecundum rationes probabiles. Harum rerum Contemplatio animum erigit & dilatat, & immenſi mundi replet imagine. Hinc incidimus in cogitationes Deo dignas, & noſmetipſos & Terrellam noſtram, tanquam quiſquilias aut ramenta Operum Dei, deſpicimus & pro nihilo putamus. Dein, ſi ad inferiora deſcenditur, operæpretium erit diſquirere, unde oriantur Corporum Terreſtrium differentiæ, Quibus particulis conſtent Elementa, & ex illis particulis, quo modo ſingulorum vis & proprietates emergant. Et ſic de reliquo Telluris apparatu, tam animato, quàm inanimato. Denique, quærendum eſt, in quo conſiſtat Corporis & Animæ, tam diſtinctio, quàm unio: Et quâ ratione agant in Corpus noſtrum, Animamque, objecta externa. Hæc & hujuſmodi generalia & graviora capita, quæ inſtar clavis eſſe poſſunt

sunt ad reliqua reseranda, si benè perspecta essent Theologis, nullum locum relinquerent ἀθέοις Philosophastris: quorum malæ causæ proficit nostra in rebus naturalibus imperitia. Jactant enim apud ignaros, explicari posse sine Numine, vel, ut aiunt, mechanicè, totam rerum naturam. Quo nihil mendax magis, aut absurdius.

Hæc olim apud me statueram seorsim tractare, & quàm poteram, dilucidè. Sed ingruit senectus, appropinquat mors, & melioris ævi dies, cùm hæc clariùs elucebunt. Juvat interea, tenue aliquod monumentum reliquisse, vitæ non otiosè peractæ: & brevi quasi functum militiâ, deinceps à laboribus requiescere.

---

EL EN-

# ELENCHUS CAPITUM.

## LIBRI I. CAP. I.

*RAtio & propositum hujus Operis. Quatenus Telluris Theoriam respiciat, Quatenus Historiam Philosophicam.*

CAP. II.

*Conspectus Philosophiæ Antiquæ per varias Terrarum Gentes. Primùm, de Scythis, Celtis, & Æthiopibus.*

CAP. III.

*Indorum Orientalium perlustratio. Speciatim de Serum & veterum Brachmanum literis & Philosophia.*

CAP. IV.

*De Assyriis & Chaldæis.*

CAP. V.

*De Persis, eorumque Magis.*

CAP. VI.

*De Arabum & Phœnicum historiâ literariâ.*

CAP. VII.

*De Hebræis, eorumque Cabalâ.*

CAP. VIII.

*De Ægyptiis & multifariâ eorum literaturâ.*

CAP.

# Elenchus Capitum.

CAP. IX.

*De Philoſophiâ Græcanicâ, & primùm de Orphicâ.*

CAP. X.

*De Philoſophis Græcis poſt Orpheum: & primò de Ionicis.*

CAP. XI.

*De Pythagorâ, & Sectâ Pythagoricâ.*

CAP. XII.

*De Sectâ Eleaticâ, & de Stoicis.*

CAP. XIII.

*De Platonicis, Ariſtotelicis, & Epicureis.*

CAP. XIV.

*De origine Philoſophiæ Barbaricæ.*

---

# LIB. II. CAP. I.

*INtroductio & ſumma ſecundi Libri. De Chao Antiquo univerſalis Traditio, & de ipſius motibus in genere.*

CAP. II.

*De formâ Telluris primigeniæ generatim, & de Mundi ſtatu triplici.*

CAP. III.

*De formâ Telluris Primigeniæ ſpeciatim, & præcipuis ipſius differentiis ab hodiernâ. Harum differentiarum manifeſtæ notitiæ apud Antiquos reperiuntur.*

CAP. IV.

*De naturâ, modo, & cauſis Diluviorum: & potiſſimùm de Univerſali.*

CAP.

# Elenchus Capitum.

## CAP. V.

*De ſitu Telluris primæ, ad Solem recto: & ſecutis inde proprietatibus; Quales ſunt Ver perpetuum, ſive perenne Æquinoctium, per totum Terrarum orbem: Cælum Impluvium & ſine Iride. Primorum hominum Longævitas.*

## CAP. VI.

*De mutato Telluris, Cælive, ſitu: olim recto, hodiè obliquo: & ſecutis inde phænomenis: aliorum veterum teſtimonia.*

## CAP. VII.

*De Narratione Moſaicâ circa Paradiſum, & circa Naturæ rerumque humanarum ſtatum, in Mundo novo.*

## CAP. VIII.

*De Rerum Originibus in primo capite Geneſeos expoſitis: & de modo interpretandi Hexaëmeron Moſaicum.*

## CAP. IX.

*Dubiis & objectionibus occurritur, quæ ab iis, qui literæ Hexaëmeri adhærent, contra præfatam expoſitionem urgeri poterunt*

## CAP. Ult.

*Quæ præterea conſideranda ſunt, tam rerum momenta, quàm Authorum teſtimonia, ut in hâc causâ æquum judicium feramus.*

## APPENDIX.

*De Brachmanis hodiernis apud Indos, eorumque Dogmatibus.*

CAP.

# CAP. I.

## *Ratio & Propoſitum hujus Operis. Quatenus Telluris Theoriam reſpiciat, Quatenus Hiſtoriam Philoſophicam.*

CUM primùm ad ſcribendum de TELLURE animum applicui, id tantùm mihi propoſitum fuit, ut ipſius Theoriam phyſiologicè tractarem, ſolâ rationis vi, & naturâ duce; Intactis omninò, aut Sacris Literis, aut Gentium monumentis. Sed, ut ſolent inter tractandum ſuccreſcere materia & argumenta, ita mihi contigit in illo Opere: Nam inter philoſophandum nova lux ſuborta eſt, tam è Sacris Libris, quàm antiquorum Scriptis: quæ, veluti teſtes injuſti aut invocati, ſuâ ſponte, & incœptâ jam causâ, comparuerunt.

Quùm verò prima Naturæ fundamenta rerumque origines, repetitâ curâ & cogitatione digniſſima ſint: tam propter materiæ ipſius dignitatem, quàm quòd aditum nobis aperiant cæteris omnibus in naturâ cognoſcendis, Operæ pretium eſſe duxi, hunc veluti commentarium aut appendicem, ad Telluris Theoriam, ſeorſim conſcribere, atque ea omnia complecti, quæ, ſecundæ cogitationes, ex dictis utriuſque generis monumentis, in memoriam revocabant.

Sunt autem in præfatâ Theoriâ duæ partes: quarum prima agit de præterito Mundi ſtatu, altera de Futuro. Facies autem & mutationes Mundi adhuc futuræ, ſunt potiſſimùm *Conflagratio*, &, quæ hanc ſequitur, *Renovatio*, ſive novi Cœli, & nova Terra. De his autem tot & tanta, in tertio & quarto libro ejuſdem Theoriæ, congeſſimus teſtimonia, tam ex Sacro Codice, quàm ex Gentium ſcriptis, ut nec pluribus, nec fortioribus opus eſſe videtur; præſertim cùm Chriſtiani nominis perpauci hæc capita in controverſiam adducant. Prima autem pars Theoriæ, quæ de rerum Originibus, aut *mundo Originario* tractat, multorum fugit oculos & animum: Quibus nempe tenuia ſunt, &, inſtar aëris aut umbrarum, evanida, quæ tantùm θεωρητικῶς, & ex cauſarum contemplatione, demonſtrantur. His, ut aliquo modo ſubveniamus, in hujuſce tractatûs libro ſecundo, *Triplicem* Mundi naturalis ſtatum (quod unicum totam Theoriam complectitur) in ſacris literis fundari, oſtenditur: veterumque ſapientûm antiquiſſimâ traditione confirmari. Ut iis, qui veritatis guſtum habent quovis modo, non deſint, ſui generis, & qualia appetunt, argumenta.

Per Mundum autem *Originarium*, cujus jam meminimus, intelligo Mundum Antediluvianum: idq; exemplo Sancti *Petri*, qui eundem appellat τὸν κόσμον ἀρχαῖον (2 *Epiſt.* 2. 5.) *Mundum Originalem*, ut à Vulgatâ redditur. Per *Archæologias* itidem intelligo ea maximè quæ hunc Mundum ἀρχαῖον reſpiciunt. Ità tamen ut Diluvium ipſum, & quæ eò ſpectant, aut protinus ſubſequuntur, eodem nomine complectar.

Notum eſt, Antiquos, præteritam Mundi ætatem in tria intervalla diſtinxiſſe, ἄδηλον, μυθικὸν, ἱστορικὸν:

ἱστορικόν: Tempus *Obſcurum*, *Fabuloſum*, *Hiſtoricum*. *Obſcurum* erat, quòd Diluvium præceſſit, tenebris & oblivione, magnâ ex parte, obrutum. *Fabuloſum*, quod proximè ſucceſſit Diluvio uſque ad Olympiadas; quòd nulla ſit apud veteres iſtius intervalli hiſtoria, præterquam incerta & fabuloſa. Tertium autem, incœptis Olympiadibus, veræ hiſtoriæ ſubjicitur. Quæ ad duo illa ſpectant intervalla ſuper-hiſtorica, ſatis propriè dici poſſunt ἀρχαιολογίαι: ſtrictiùs autem & propriiſſimè ea ſic dicuntur, quæ primum intervallum & Mundum primævum reſpiciunt.

Sed præter hæc antiquiſſima, hiſtoriam quandam Philoſophicam conteximus: non univerſalem, ſed quoad Dogmata: atque ea potiſſimùm quæ ad rerum origines ſpectant; notato inſuper cujuſque gentis aut ſectæ genio, & modo philoſophandi, vulgari vel arcano, accurato vel fabuloſo. Hæc primum Librum occupant, atque ei propoſito, præter alia, inſerviunt, ut, relictis fæcibus, levioribus etiam & ſuperfluis, antiquæ philoſophiæ, quod liquidum & ſyncerum eſt, retineamus.

Quemadmodum verò qui longas Navigationes inſtituunt, quandoque Solis luce fruuntur ad dirigendum curſum, quandoque Lunæ, quandoque cæterarum Stellarum: ut res patitur & Cœli ratio; ità cùm in tempora remotiſſima inquirendum eſt, & rerum longinquarum memoriam, non eâdem ubique luce frui licet, nec eoſdem ſequi duces; ſed, pro rebus & temporibus, alia atque alia erit vis luminis, atque teſtium authoritas; Perpenſis autem omnibus cauſæ momentis, in illam partem nos flecti patiamur, quâ clarior eſt & probabilior, ſi non prorſus ineluctabilis, ratio.

# CAP. II.

## *Conspectus Philosophiæ antiquæ, per varias Terrarum Gentes: Primùm de* Scythis, Celtis, & Æthiopibus.

EXposito fine & summâ ratione hujus Operis, quærendum proximè, quæ via tenenda sit, ut eò perveniamus. Omnes omnium libros pervolvere, nec vacat, nec juvat; quare, ut argumenti nimis vagi partes inutiles amputemus, libet primùm inquirere in originem & sedes antiquæ Sapientiæ, ut quibus Monumentis recondita sit, & unde petenda, paucis & compendio videamus.

In hâc autem indagatione qualicunque, non opus erit ascendere ad tempora ante-diluviana, mundique principium; nam omnis rerum Scientia à Diluvio superstes, & quæ ad nos pervenire potuit à Majoribus, latuit olim in unius *Noachi* pectore; unde ad Filios, Nepotes, Posteróque, & cum eorum sobole in Terrarum orbem, manavit. Neque etiam necesse erit harum omnium Gentium & Populorum propagines & partitiones sequi: cùm ex iis paucæ, literarum aut Sapientiæ nomine claruerint; sufficit autem ad institutum nostrum, Gentes Antiquas ità dispescere, aut digerere eo ordine, qui omnes Literatas aut Sapientiâ celebres complecti possit.

*Lib.* 1. *p.* 33. 34. Distribuebant Veteres, referente *Ephoro* apud *Strabonem*, Gentes terræ in quatuor capita, secundùm quatuor

quatuor Mundi plagas; idque ſub nominibus *Scytharum*, in Septentrione: *Celtarum*, in Occidente: *Æthiopum*, verſus Meridiem: & *Indorum*, cùm nulla ſit vox latior, pro cæteris, Orientem verſus. Hæc ſunt antiquis tritiſſima nomina, & cùm hi populi, cultu, legibus & literis non obſcuri, orbem noſtrum circuitu ambiant & comprehendant, per hæc capita progrediemur ad indagandam Barbararum Gentium Scientiam naturalem. Quùm verò *Indorum* nomine plures Gentes confusè intellexerint antiqui, cùm eò perventum fuerit, utendum erit novo apparatu: ſeorſim tractando & particulatim gentes illas Orientales, ubi primas ſedes ſuas habuiſſe videtur ſapientia. Græci itidem in ſuas Claſſes & Scholas diſpertiendi ſunt. Romanos autem, utpote nullo Phyſiologiæ genere memorabiles, intactos præteribimus.

Ex dictis autem gentibus tres priores percurremus levi operâ, cùm nulla monumenta literaria ipſi reliquerint, neque ab aliis dictum ſit, niſi parcè admodùm, quâ ratione philoſophati ſint. Quoad *Scytharum* gentem, circa eorum antiquitatem & mores non pauca occurrunt apud Veteres; ſed de Philoſophiâ, aut dogmatis circa rerum naturam, nihil uſpiàm reperio; neque ſatis conſtat tribum aliquam ſingularem, vel cœtum hominum, quod ſolet aliàs, ſtudiis illis apud Scythas conſecratum fuiſſe. *Solon* dicitur miratus eſſe *Anacharſin*, Scytham, cùm eum hoſpitem haberet Athenis; ſed opinor, propter indolem viri & ſanam mentem, non ob Scientiarum notitiam. Id quidem, in honorem Gentis, notavit *Strabo*, Διὰ τοῦτο ἥ τε ὁ Ἀνάχαρσις, καὶ Ἄβαρις, καὶ τινὲς ἄλλοι παρὰ τοῖς Ἕλλησι τοιοῦτοι εὐδοκίμουν· ὅτι ἠθικόν τινα χαρακτῆρα ἐπέφαινον εὐκολίας, καὶ τελειότητος, καὶ δικαιοσύνης. *Eâque de causâ Anacharſis, Abaris, aliique* *Lib. 7.*

*aliique nonnulli eorum similes, apud Græcos in magnâ fuerunt existimatione, quòd Gentilitium quendam facilitatis, perfectionis ac justitiæ characterem præ se ferrent.* Abaris ille dicitur Hyperboreus, & Apollinis Sacerdos, & Magica quædam præstitisse, sagittâ vectus per aërem. Sed cùm multæ fuerint artes magicæ, & Magiæ species, apud priscos, non omnes pro Philosophis habendos esse censeo qui eas exercuerint. Id verò notatu dignum est, Hunc Abarin, teste *Suidâ*, præter alia multa, scripsisse *Theogoniam*: ideoque mundi origines; nam ea conjuncta erant apud Veteres. Huic Abari associemus *Zamolxim*, Getam. Hos Pythagoræ coævos esse volunt Pythagorici, alii autem antiquiores. In communi omnium istius ævi Philosophorum sententiâ conveniebant, de *Animarum* nempe immortalitate & transmigratione. Hanc *communem* dico sententiam: nam, prout de Orientalibus non ambigitur, ita de Gallis, *Cæsar* & *Lucanus*; de Germanis, *Appianus* in Celtico; & de Getis, ex ore Trajani, *Julianus* in Cæsaribus; idem asserunt. Trajani verba non pigebit referre: Καὶ τὸ Γετῶν ἔθνος ἐξεῖλον, οἱ τῶν πώποτε μαχιμώτατοι γεγόνασιν, οὐχ ὑπὸ ἀνδρείας μόνον τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ ὧν ἔπεισεν αὐτοὺς ὁ τιμώμενος παρ' αὐτοῖς Ζάμολξις, οὐ γὰρ ἀποθνήσκειν, ἀλλὰ μετοικίζεσθαι νομίζοντες, ἑτοιμότερον αὐτὸ ποιοῦσιν, ἢ τὰς ἀποδημίας ὑπομένουσι. *Et Getarum gentem penitùs everti: sunt autem illi omnium, qui usquam sunt, bellicosissimi: non tantùm ob corporis robur, sed propter eam, quam eorum animis defixit, opinionem, qui apud ipsos colitur, Zamolxis. Non enim se mori, sed in alias sedes transferri, existimantes, paratiùs id faciunt, quàm cùm iter aut peregrinationem suscipiunt.*

In Voc.

Nihil quidem mihi occurrit in Veterum Scriptis de Physiologiâ Scytharum, propriè sic dictâ: sive Asiaticos

Asiaticos illos intelligamus, sive Europæos; nec, quo demum sæculo, siqua fuit olim, extincta periit: cùm regiones illas à multis retrò sæculis barbaries occupaverit. Facilè credo omnes gentes antiquissimas, tàm naturalis Scientiæ quàm Religionis, quædam semina à *Noachidis* derivâsse: sed apud nonnullas citiùs exolevit disciplina illa Philosophica; & quidem sine teste nonnunquam, propter temporis diuturnitatem, ut nulla ipsius memoria aut vestigia manserint. Prodiit in lucem nuperis annis Mythologia quædam Septentrionalis, *Eddarum* nomine, quæ, præter inanes fabulas non paucas, quædam continere videtur multò altioris originis, & antiquæ Theologiæ magis affinia quàm ulla quæ supersunt apud Græcos aut Latinos, de Scytharum vel Septentrionalium literaturâ. Denique quoad Archaiologias Scythicas, præter *Oracula Scythica* ab Abari conscripta, desideratur etiam *Iceſius de Mysteriis*: cujus meminit *Clemens Alex.* in hoc argumento. De Scythis hæc paucula. *Strom. 1. p. 42.*

A Scythis ad *Celtas* progrediamur, Occidentem versus. Constat autem apud has gentes viguisse ab omni ævo Philosophos, sive hominum ordinem, nomine, studiis, & vitæ instituto, à vulgo, aliisque distinctum. Dicti sunt ab omnibus *Druidæ* vel *Druides*: *Semnothei* etiam; aliisque nominibus, quæ nil faciunt ad rem nostram, distingui solent. Horum Philosophorum manet recens fama, quasi hodiè aut herì viventium: neque tamen restant ex eorum dogmatis & doctrinâ, nisi minutiæ quædam & fragmenta, quæ, tanquam rudera veterum Templorum, aliquid magni præextitisse testantur, sed non magni sunt. *Hi Terræ Mundique magnitudinem & formam: motus Cæli & syderum*, inquit Mela, *& quid Dii velint* *lib. 3. c. 2.*

*lint scire profitentur.* Constat quidem, præter ritus sacros & jura publica, Druidas Physiologiæ etiam operam dedisse; sed præter illud, de mundi & animorum redivivâ sorte, & utriusque revolutionibus seu παλιγγενεσίᾳ, nullum eorum dogma Physicum superesse reperio. Doctrinam de *Periodis Mundanis*, per Aquam & Ignem, tradidisse Druidas, patet ex *Strabone*. Et quoad Animarum præexistentiam, vicesque in hoc mundo sæpiùs repetitas, id, cum omnibus Orientis Philosophis, priscisque sapientibus, commune habuerunt; Quorum Scholâ prognatos, & institutis imbutos, hos Celtigenas facilè credo. Volunt quidem nonnulli à Pythagorâ derivatam esse hanc gentem Philosophorum, ob cognatas opiniones & modum vivendi non dissimilem. Sed oportuerat anteà probare, Pythagoram antiquiorem esse Druidis. Illi erant Theologi aut Magi Celtarum, quorum origines multò superant ætatem Pythagoræ: Ut hic ab Illis potius hausisse videatur, vel uterque à communi fonte. Refert *Alexander de Symbolis Pythagoricis*, Γαλατῶν καὶ Βραχμάνων ἀκηκοέναι τὴν Πυθαγόραν. Hos igitur Galatarum Philosophos, Druidas, audivit, non docuit, Pythagoras. Et inter Gentes maximè antiquas, sapientiâ celebres, numerat Celsus apud Origenem, τοὺς Γαλατῶν Δρυΐδας. Numerantur etiam Celtæ à Phornuto inter Auctores Theologiæ Mythologicæ: quæ erat omnium prima & antiquissima: ἄλλαι μὲν (μυθοποιαὶ) ἐπὶ Μάγοις γεγόνασιν, ἄλλαι γε παρ' Αἰγυπτίοις καὶ Κέλταις. Neque dubito Druidas fuisse ex antiquâ progenie sapientum, non Græcanicâ: Quos Gallorum *Magos*, more Orientali, appellat Plinius. Denique ortum & prima tempora Druidum non facile est indicare, sed victis Gallis, extincti fuere circa tempora Tiberii, aut, si mavis, Claudii.

*Cæs. Com. l. 6. Strab. l. 4. Cic. de divin. l. 1.*

*lib. 4.*

*Diod. Sic. l. 5. Am. Marc. l. 15.*

*Diog. Laër. proœm. Dion. Chrys. orat. 49.*

*Clem. Alex. Strom. 1. p. 304.*

*lib. 1.*

*de nat. Deor. p. 35.*

*l. 16. c. 44.*

*Plin. Sueton.*

Claudii. Cætera, quæ ad Druidas ſpectant, non ſunt noſtri inſtituti: quæ ferè collecta habes à Leſcaloperio, in diſſertatiunculâ de *Theologiâ Gallorum*. Meminit etiam Gaulminus ſui tractatûs de *Magiâ Druidum*, quem nondum vidi. *Not. ad Pſellum.*

Ad has plagas prætereà revocandi, & ad hanc claſſem, ſiqui eſſent apud *Germanos*, *Britannos*, *Iberos*, *Italoſve*, veteres Philoſophi. Germanos & Britannos, eoſdem cum Gallis habuiſſe Druidas, veriſimile eſt: reclamante licet Cæſare quoad Germanos: utpote quorum origines à Celtis eſſe derivandas nondùm ſatis didicerat. Dein quoad *Iberos*, *Celtiberos*, vel *Hiſpanos* (unà enim complectimur omnes) Quid literaturæ & diſciplinarum habuerint ante tempora Romana, Gothica, Saracenica, ex antiquis authoribus non facile eſt expiſcari. De hujus gentis re literariâ nihil affert *Diodorus* Siculus: *Strabo* autem aliquatenus fabuloſa; ait enim *Turditanos* ſive Bœticos, Iberorum ſapientiſſimos, *antiquitatis commentaria*, & Poëmata, & leges more metrico ſcriptas, *à ſex millibus annorum*, ut ferunt, habuiſſe. Hæc nimia ſunt, neque etiam rem noſtram attingunt, quæ veterum Scientiam naturalem & dogmata unicè ſcrutatur. Quoad Italos denique, *Hetruſci* ſive *Tyrrheni* inter priſcorum ſapientes habiti ſunt. Hos Phyſiologiam coluiſſe teſtatur *Diodorus* Siculus, his Verbis, Γεάμματά τε ἡ φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ὅτι πλεῖστον, ἡ τὰ περὶ τ κεραυνοσκοπίαν μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ἐξειργάσαντο. *Literis verò, & imprimis naturæ perſcrutationi plurimum ſtudium impenderunt, atque omnium maximè gentium, fulminum conſiderationi intenti erant.* Per fulmina nempe, aliaque aëris Phænomena, artem ſuam divinatricem, à *Tagete* edocti, conſtruebant: atque iſtius artis Hetruſcæ ſæpiùs meminerunt, *Cicero*, *lib. 3. p. 139.* *lib. 5.*

*Seneca*, aliique Latini. Neque tamen in Meteoris & ostentis interpretandis toti erant, neque his terminis inclusa fuit Hetruscorum Scientia: Constat enim eos Philosophatos esse tam de mundi origine, quàm exitu: & de spatio suæ durationis, sive curriculo; prout alibi notavimus ex Suidâ. Sed locus est multò illustrior hâc de re apud Plutarchum in *vitâ Syllæ*: Ubi periodos sive conversiones Mundanas, *Annumque Magnum*, in Philosophiâ Hetruscâ clarè ostendit. Loquitur de prodigio verè mirabili in cœlis, tempore Marii: nempe *claro & sereno cœlo vox increpuit tubæ acutæ & lugubris, ut obstupescerent & cohorrescerent ejus magnitudine omnes*: Dein adjicit, Τυῤῥηνῶν δ' οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἑτέρᾳ γένους ἀπεφαίνοντο, καὶ μέλακόσμησιν ἀποσημαίνειν τὸ τέρας· εἶναι μὴν γὰρ αὐτοῖς ὀκτὼ τὰ σύμπαντα γένη, διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι δι' ἀλλήλων, ἑκάστῳ δ' ἀφωρίσθαι χρόνων ἀριθμὸν, ἀπὸ τοῦ θεοῦ συμπεραινόμενον ἐνιαυτῷ μεγάλῳ περιόδῳ. *Hetrusci sapientes mutationem in aliam ætatem & genus hominum, Mundique quandam conversionem, portendi hoc ostento prædicârunt. Esse enim iis octo universim genera, vitâ & moribus inter se diversa: unicuique autem præfinitum esse à Deo certum temporum numerum, qui MAGNI ANNI periodo limitatur.* Denique, religionem rituſque sacros ab iisdem Hetruscis mutuatos esse Italos, tam Romanos quàm alios, plures authores ratum fecerunt. Et in utrâque materiâ, religionis & philosophiæ, quid dicendum esset facilè expediremus, modò non periissent *Numæ Pompilii* Libri, à Romanis, more barbaro, combusti. Interciderunt etiam *Tagetis* Libri, quorum meminit Cicero, & Am. Marcellinus l. 17. Quosque exposuit, unà cum disciplinâ Hetruscâ, quindecim voluminibus *Lubeo Antistius*: prout testatur *Fulgentius Placiades* in *expos. Serm.*

Voc. Τυῤῥηνία.

p. 456.

2, de divin.

*Serm. ant.* ubi *Manales Lapides* interpretatur. Denique, de eâdem disciplinâ libri *Tarquitii* vel *Tarquinii*, de quibus nos monuerunt *Marcellinus* & *Macrobius*, itidem desiderantur. Sed de Hetruscis satis. *lib. 25.* *lib. 3. Sat. c. 7.*

Peragratis leviter Septentrione & Occidente, ad Meridiem vergamus, quæsitum Philosophos. Ubi primùm occurrunt *Gymnosophistæ* apud Æthiopes, pristinâ literaturâ nobiles. Erat utique, tam apud Æthiopes quàm Indos, Gymnosophistarum natio: sed hos quidem illis prætulit, si probè memini, qui utrosque inviserat, Apollonius Tyaneus: nescio an satis æquus & idoneus Judex. Fatendum est, parum esse quod supereſt apud veteres, egregium & singulare, circa Philosophiam Æthiopicam: pauca dogmata, aut doctrinas celebres. Quod tamen libentiùs attribuo temporis iniquitati, quæ res difficiles & remotas facilè elabi patitur, quàm inopiæ materiæ, aut populorum ingeniis. Erant certè antiqui, integritatis laude clari, legibus, morum cultu, pietate, & Deorum commercio. Prætereà, literarum usum habebant vetustissimum: & cum his omnibus, otium & diuturnam pacem; ut *nunquam*, si Diodoro fides, *Ibid.* *externum fuerint experti dominatum, sed in perpetuæ libertatis possessione, mutuæque concordiæ nexu permanserint.* Denique rerum scientiam & sapientiæ studia eos coluisse, constat ex illâ familiâ Philosophorum Gymnosophistarum, & ex collegiis Sacerdotum, quæ, more gentium literatarum, semper fovebant. Quinetiam duplex genus literarum, sacrum & vulgare, quod priscis sapientibus in usu erat, ipsi, ut videtur, primùm instituebant. *Diod. Sic. lib. 3.*

Hæc quidem generalia sunt: sed quoad res cœlestes, si *Luciano* fides, Æthiopes omnium primi, astrorum motus attendebant: & Lunarium phaseων cau-

sas scrutati, Lunam, innatâ luce destitutam, quicquid habet luminis, à Sole mutuari deprehenderunt. Denique Astronomiæ & Astrologiæ jactis fundamentis, Ægyptiis ea perficienda tradidisse refert. Audi authoris verba. Πρῶτον μὲν οὖν Αἰθίοπες τόν δε τὸν λόγον, loquitur de Astrali Scientiâ, ἀνθρώποισι καταστήσαντο. αἰτίη δε αὐτέοισι τὰ μὲν, ἡ σοφίη τοῦ ἔθνεος, καὶ γὰρ τ' ἀλλὰ τῶν ἄλλων σοφώτεροι Αἰθίοπες, τά δε, καὶ τῆς οἰκήσεως ἢ εὐμοιρίη------ἰδόντες οὖν πρῶτα τὸν σεληναίην οὐκ ἐς πάμπαν ὁμοίην φαινομένην, ἀλλὰ πολυειδέα τε γιγνομένην-------- εὗρον τουτέων τὸν αἰτίην, ὅτι οὐκ ἴδιον τῇ σεληναίῃ τὸ φέγγος, ἀλλὰ οἱ παρ' ἠελίου ἔρχεται. εὗρον δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τὸν φορὴν------cum cæteris, quibus non sum repetendis.

*In Astrol.*

Hæc de rebus Cœlestibus: de Terrestribus nihil reperio, neque de mundi formâ aut origine, apud Æthiopas. Cum reserata fuerit & excussa Abyssinorum Bibliotheca, modò non sit fabula: Archaiologias Æthiopicas, siquæ sunt, penitùs inspiciemus. Intereà, quid restet de singularum gentium philosophia, cum quæritur: ubi nihil restat, etiam illud scire, est proficere. Perdidimus quidem, in hoc argumento, ex authoribus Græcis non paucos: *Agatharchidem* Gnidium, & *Artemidorum* Ephesium: quos laudat Diodorus. Scripsit etiam *Marcellus* de rebus Æthiopicis, à *Proclo*, in explicatione *sermonis Atlantici*, in testem adductus. Denique, *Bion* Solensis, referente Laertio, Æthiopica tractavit. Citatur etiam, cum aliis, tam à *Plinio*, (l. 6. c. 29.) quàm ab *Athenæo*, (l. 13. c. 2. p. 566.) Sed de *Æthiopibus* satìs, & de gentibus Australibus, eo nomine antiquitùs comprehensis. De Ægyptiis autem, ubi ampla disserendi seges, alibi seorsim tractabimus.

*Ut supra. In Tim. Plat. p. 55, 56.*

CAP.

# CAP. III.

## *Indorum Orientalium perluſtratio: Speciatim de* Serum *&* Brachmanum *literis & philoſophiâ.*

HActenùs multas terras ſine magno fructu percurrimus: tres mundi plagas, Septentrionem, Occidentem, & Meridiem; & quàm pauci nobis per viam occurrêre ſapientes? Ad Indos jam ventum eſt; quo nomine latè ſumpto, Aſiatica omnia complectemur, & nonnulla vicina. Hîc autem ſedes primas habuere poſt-diluviani homines, & in hoc generis humani inſtaurandi ſeminario ſapientiæ etiam & literarum origines quærendæ ſunt. Neque ignotum eſt aut inconceſſum, harum regionum incolas, omnium primos, doctrinæ & diſciplinarum famâ inclaruiſſe; præter Ægyptios enim, Phœnices, Arabes, Aſſyrios, Indoſque ulteriores, ante invectas in Græciam diſciplinas, rerum humanarum divinarumque ſcientiam non vulgarem poſſediſſe legimus; atque ab illis, tanquam à fontibus, per varios rivos, & diverſis ſæculis, ad alios atque alios populos manâſſe. Age igitur, ſi libet, tractum terrarum qui ſupereſt verſus Orientem penetremus & pervadamus, ut eæ gentes quæ maximè cultæ ſapienteſque habitæ fuerunt, quo jure id nomen adeptæ ſint, quâ fide id credatur, aut quæ monumenta reliquerint, paucis videamus.

Atque

Atque ut à remotioribus ordiamur, in extremâ Oriente veteres *Seres*, qui hodiè *Sinæ* aut *Sinenſes* dicti ſunt, literis & cultu conſpicui, æquum eſt ut inviſamus. Horum apud antiquos parca eſt hiſtoria, nec tam ob ſcientiam celebrantur, quàm ob longævitatem, & ſerici conficiendi artificium. Hoſtes Chriſtiani nominis, *Celſus*, *Porphyrius*, *Julianus*, *Hierocles*, qui gentes celebres & ſapientes in exempla Chriſtianis proponere ſolebant, aut ut iis exprobrarent ſuæ Theologiæ novitatem, aut ſectæ ignorantiam, *Seres* in hunc cenſum non retulerunt. Celſus quidem eorum meminit, ſed ἀθέους nominat, gentibuſq; feris & incultis aſſociat, οὐδὲ γὰρ Σκύθαι τοῦτο, οὐδὲ Λιβύων οἱ Νομάδες, οὐδὲ Σῆρες οἱ ἄθεοι, οὐδ' ἄλλα ἔθνη τὰ δυσαγέστατα καὶ ἀνομώτατα. Nec multò aliter *Dionyſius*, καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν. Horum tamen utrumque mitiùs interpretor; Atheos appellat Celſus, quòd Templis, aris & ſtatuis non uterentur, nec operoſo illo ſuperſtitionis apparatu quo cæteræ gentes. Hâc ferè ratione Chriſtiani à Paganis dicti ſunt Athei, quod neque oraculis, neque ſacrificiis, neque Deorum ſimulacris gauderent. Dionyſius autem gentem illam barbaram appellat, vel, more Græco, vel quod eſſet ἀπροσμιγὲς ἔθνος, ut inquit *Stephanus*, &, ferarum inſtar, aliarum gentium fugiebat commercium.

*Lucian.* *Strab.*

*Apud Orig. l. 7.*

Περιηγ. ver. 752.

*Apud Juſt. Mart. Athenag. &c.*

*De urb.*

Utcunque, his arguitur parùm notam fuiſſe antiquis Serum Literaturam, quæ jam ubiq; ſermone omnium percrebuit. Mercatoribus & Sacerdotibus Chriſtianis debemus imprimis notitiam hujus gentis & regionis, antea impenetrabilis: atque ex horum fide & loci ipſius monumentis conſtat, ab antiquiſſimis temporibus ſtetiſſe hoc imperium, artibus & re literariâ florentiſſimum. Idque ſine ullo cum gentibus litera-

literatis commercio: aut inde deductis, quod liquet, coloniis, vel gentis ſuæ fundatoribus; ac ſi alterius eſſent originis à cæterâ ſtirpe humanâ, & à Noachi poſteris: αὐτοχέφαλοι ϗ αὐτοδίδακτοι. Sunt apud ipſos, antiquitatis nobis incredibilis, annales; queruntur tamen optimos & vetuſtiſſimos eorum libros, aliquot ante Chriſtum natum ſæculis, combuſtos fuiſſe ab Imperatore *Zio*, ut omnium, qui eum præceſſiſſent, extingueret memoriam. Habent nonnullas Archæologias Philoſophicas, de *Diluvio*, de ortu rerum *ex Ovo*, & obſervationes cœleſtes mirandæ vetuſtatis. Si verò hodierni Sinenſes cùm hodiernis Europæis comparentur, non dubito noſtratibus illos multum inferiores eſſe; ſive diſciplinas Mathematicas ſpectemus, puras vel mixtas; ſive Phyſiologiam. Cùm verò quicquid habent, domi natum & ſuopte ingenio excultum habuerint, non mutuatitium, non ab aliis gentibus repetitum, quod de Græcis, Romanis, cæteriſque ferè Europæis dici ſolet, id illis in ſingularem laudem tribuendum eſſe exiſtimo, cùm, tam ſapientiâ, quàm ſatu, *Aborigines* eſſe videantur. *M. Mart. Hiſt. Sin.*

Inter diſciplinas, maximi faciunt doctrinam Ethicam; cujus author erat celeberrimus, *Confutius*, Sinenſium Socrates; quem etiam tempore non multùm præceſſit. Hoc ſtudium liberale tanti ducunt, vitæque humanæ tam neceſſarium, ut ex ſolis philoſophis omnes ſuos magiſtratus eligant; Regemque ipſum, ſi degeneraverit, horum monitis liberioribus exponant. Atque hæc de Seribus.

In alterâ parte Indiæ, Auſtrum verſus, celebres fuêre ab omni ævo philoſophi *Brachmanes*: genus hominum, qui contemplationi ſemper vacabant; ignotæ quidem originis, ſed digni quorum placita propiùs intueamur; hos enim, præter mores & vivendi

vendi instituta, Physiologiam & Astronomiam co-
l.15 p.719. luisse, ex *Strabone* aliisque constat. Neque miror eorum doctrinam Physicam multis insulsam visam esse, cùm fabulis, vel fabuloso cortice, plerumque involuta esset. Ità ibidem *Megasthenes*, τὰ δὲ περὶ φύσιν, τὰ μὲν ἀνάθειαν ἐμφαίνειν; ἐν ἔργοις γὰρ αὐτὸς κρείττους ἢ λόγοις εἶ· διὰ μύθων τὰ πολλὰ πιστευόμενος. Sub-
Strabo l.15. p. 713. dit dein *Strabo* quædam eorum nota dogmata, & cum Græcis communia, Περὶ πολλῶν ἢ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν· ὅτι γὰρ γενητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτὸς, λέγειν καὶ ἐκείνους, καὶ ὅτι σφαιροειδής. Ἀρχαὶ ἢ τῶν μὲν συμπάντων ἕτεραι, τοῦ δὲ κοσμοποιΐας τὸ ὕδωρ. Voluerunt mundum genitum esse, & periturum; atque totius universi alia quidem esse principia, nostri autem mundi conditi, Aquam. Ita enim distinguendum esse existimo τὸ σύμπαν ἀπὸ τοῦ κοσμοποιΐας. Subjicit præterea circa animam, παραπλέκουσι ἢ καὶ μύθους, ὥσπερ καὶ Πλάτων, περὶ τε ἀφθαρσίας ψυχῆς, καὶ τῶν καθ' Ἅδου κρίσεων, καὶ ἄλλα τοιαῦτα. Vides quæ & qualia, fabulas appellat. Innuit denique apud ipsos fuisse, pro more antiquorum, doctrinas secretas sive ἀπόρρητα; à quibus audiendis arcere solebant uxores, nè in vulgus manarent. Ταῖς δὲ γυναιξὶ τῶν γαμεταῖς μὴ συμφιλοσοφεῖν τοὺς Βραχμᾶνας· ἵνα μή τι τῶν ὑπ' ἀθεμίτων ὠφέλειεν εἰς τοὺς βεβήλους.

Hæc nobis conservavit Strabo circa Brachmanas, ex *Megasthene*, *Nearcho*, *Onesicrito*, *Aristobulo Cassandreo*, aliisque; unde se Indica sua sumpsisse dicit; neque physiologiæ Brachmanicæ tantum alibi reperimus apud omnes veteres. His addit Clemens Alex-
Strom. 3. andrinus, τὴν παλιγγενεσίαν· Καταφρονοῦσι δὲ θανάτου, loquitur de his philosophis, καὶ παρ' ὑδὲν ἡγοῦνται τὸ ζῆν, πείθονται γὰρ εἰς παλιγγενεσίαν. Neque hîc tantùm μετεμψύχωσιν intelligo, sed etiam totius mundi nostri

noſtri renovationem; cùm vox illa, φυσικὸς ſumpta, id plerumque ſignificet, tam apud philoſophos, quàm patres Græcos. Diximus hanc philoſophiam ignotæ eſſe originis; nonnulli tamen derivatam eſſe volunt à *Baccho* Indico, quem ſi de *Noacho* interpretentur, ut ſolent multi, ad primum fontem nos deducunt. Sed undecunque edoctos, conſtat Indos ab omni memoriâ coluiſſe ſacrum genus philoſophorum, iiſq; primos honores detuliſſe in republicâ, Audiamus *Diodorum Siculum* de antiquâ Indorum politiâ. Τὸ δ' L. 2. fol. m. 125. πᾶν πλῆθος τῶν Ἰνδῶν εἰς ἑπτὰ μέρη διῄρηται, ὧν ἓξὶ τὸ μὲν πρῶτον σύστημα φιλοσόφων· πλήθει μὲν τῶν ἄλλων μερῶν λειπόμενον, τῇ δ' ὑπεροχῇ πάντων πρωτεῦον· ἀλειτέργηλοι γὰρ ὄντες οἱ φιλόσοφοι πάσης ὑπουργίας, οὐδ' ἑτέρων κυριεύουσι, οὐδ' ὑφ' ἑτέρων δεσπόζονται· παραλαμβάνονται δὲ ὑπὸ μὲν τῶν ἰδίων εἰς τε τὰς ἐν τῷ βίῳ θυσίας, καὶ εἰς τὰς τῶν τελευτηκότων ἐπιμελείας, ὡς θεοῖς γεγονότες πρόσφιλέστατοι, καὶ περὶ τῶν ἐν Ἅιδου μάλιστα ἐμπείρως ἔχοντες· ταύτης δὲ τῆς ὑπουργίας δῶρά τε καὶ τιμὰς λαμβάνουσιν ἀξιολόγους. *Univerſus Indorum populus in ſeptem tribus diſtributus eſt. Prima ex philoſophis conſtat, qui numero quidem cæteris ſunt inferiores, nobilitate autem primas tenent. Ab omni enim miniſterio publico immunes: neque dominantur ipſi, neque aliorum dominio ſubjecti ſunt. A ſuis autem ad rem divinam & defunctorum exequias adhibentur, ut qui Diis eximiè ſint chari, & rerum quæ ad manes ſtatumque futurum ſpectant, maximè periti. Pro quibus officiis dona honoreſque magnificos recipiunt.* Hæc de antiquis Brachmanis intelligo; de quorum vitâ & moribus multa occurrunt apud veteres, de doctrinâ pauciſſima. Neq; id miror, cùm præter ſuprà laudatos rerum Indicarum ſcriptores, interierint alii plures, à quibus petenda eſſet hujus gentis hiſtoria literaria. *Bardeſanes*

περὶ ἀποχ. l. 4. Babylonius scripsit de *Gymnosophistis* Indis: ut testatur Porphyrius. Eumque citat Hieronymus *contra Jovin. l.* 2. Atque *Brachman* Rex, secundum *Suidam*, In voc. scripsit leges & instituta *Brachmanum*, & istius gentis πολιτείαν, suâ dialecto. Præterea, *Nymphidorus*, nempe ille Amphipolites, scripsit τὰ νόμιμα βαρβαρικὰ, *Instituta Barbarica*. In quibus probabile est eum non pauca de gentium literis & disciplinis interseruisse. Deniq; scripsit *Ctesias Cnidius* librum singularem de rebus Indicis; cæterùm in Excerptis *Ctesiæ* apud Photium, circa Philosophos aut Philosophiam istius gentis nihil memorabile reperio.

Hæc de Antiquis. Hodierni Authores in hodiernorum Bragmanum historiâ alia multa philosophemata adjiciunt, fabulis plerumq; intertexta; Neq; id ab eorum more alienum esse videtur, nam vidimus ex Strabone, hoc vitium fuisse Bragmanis antiquitùs, ut doctrinâ mythologicâ nimis delectarentur. Quo quidem genere doctrinæ, impuræ licet & multis corruptelis obnoxiæ, tradita fuit antiquissima Theologia, tam Græca quam Barbarica. Sive id factum fuerit pro ingenio priscorum hominum, maximè Orientalium; sive ut ea quæ pulchra erant, difficilia redderent, neq; primo intuitu discernenda. Certissimum est supereſse adhuc ordines & tribus Philosophorum apud Indos, atq; eos uti, in conservandâ suâ philosophiâ, linguâ sacrâ, (hoc est, non vulgari vernaculâ) & antiquissimâ; ut non incredibile sit mansisse per tot sæcula eandem Philosophiam, vel ejusdem philosophiæ corpus, licet variè distortum & novis fabulis quasi incrustatum. Hujus notitias aliquas nobis attulerunt viri docti, qui apud Indos diù versati sunt, & ex eorum scriptis quædam specimina, cùm opportunum fuerit, in sequenti forsàn libro afferemus. Sed impræsentiarum satis.

CAP.

# CAP. IV.

## *De Aſſyriis & Chaldæis.*

AB Indis ad Aſſyrios accedimus. Quorum erat primum Imperium magnum, quod fidem meretur, in terrarum orbe, poſt Diluvium. Iidem etiam populi inter antiquiſſimos numerantur qui literas & ſapientiam coluerunt, primaque Schola publica & Imperialis in Babylone, hujus monarchiæ metropoli, ſtatuitur; permanſitque ad tempora Nebuchadnezaris magni, & Prophetæ Danielis. Imò devoluto ad Perſas imperio, adhuc erat literarum & literatorum ſedes, *Babylon.*

Apud Aſſyrios & Babylonios ſapientes dicebantur *Chaldæi*; gentilitio nomine ad ſignificandam hominum ſectam aut ordinem tranſlato. Dicti etiam erant *Magi*, referente Hieronymo, ante tempora Perſarum. *Ad Dan. c. 11.* Horum Collegiis aut Academiis, ob eximiam ſapientiam quâ omnes antecelluit, præficiebatur Daniel, ex mandato Regis; quam præfecturam cùm non recuſaret Propheta, argumento eſſe videtur non tantùm malas artes, aut futiles, coluiſſe hos Magos, ſed honeſtas diſciplinas etiam, & naturalem rerum ſcientiam. *Dan. 2. 48. & 4. 9. & 5. 11.* Neque tamen inficiamur Chaldæos celebrari maximè ab antiquis ob res Genethliacas & Aſtrologiam; quod plerumque ſolet eſſe ſtudium hominum ἀφιλοσόφων; ſed teſtatur *Strabo* Chaldæorum nonnullos, Philoſophos & Aſtronomos Indigenas, *l. 16. p. 739.*

genas, habuiſſe in agro Babylonico ſibi propriam habitationem, neque voluiſſe in cœtum ſuum recipere illos Genethliacos. Ἀφώρισο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικίᾳ τοὺς ἐπιχωρίους φιλοσόφους, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἱ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον· προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, ὃς ἐ καὶ ἀδέχονται οἱ ἕτεροι. Hos genuinos Babyloniorum Philoſophos, (rejectis Aſtrologis) eorumque Collegium ſacrum, & venerandam antiquitatem colimus; Horum quis novit Origines? nulla erat gens vetuſtior unde diſciplinas haurire poterant; ſed ab his hauſerunt multi. Ad Babylonios profectus eſt Pythagoras ad *perdiſcendos ſyderum motus, originemque mundi ſpectandam,* inquit *Juſtinus.* Quæ duo ſunt Philoſophiæ naturalis maxima capita, & quaſi cardines; κοσμοσύστασις ſcilicet, & κοσμογένεια. Erant autem, tempore Pythagoræ, ſub Perſarum imperio Babylonii & Chaldæi, ſed antiquæ Academiæ Aſſyrio-Babylonicæ videntur eſſe adhuc reliquiæ. Illud dolendum eſt, nulla ſupereſſe ſcripta, nulla dogmata gentis Aſſyrio-Chaldaicæ; varias apud eos fuiſſe Aſtronomorum ſectas refert *Strabo,* & de rebus iiſdem diverſa dogmata, ſed nulla ſpeciatim memorat: memorat quidem nonnulla *Diodorus* (l. 2.) ſed nimis laxé. Οἱ Χαλδαῖοι τὴν μὲν τοῦ κόσμου φύσιν ἀΐδιον φασὶν εἶναι, καὶ μήτε ἐξ ἀρχῆς γένεσιν ἐσχηκέναι, μηθ' ὕστερον φθορὰν ἐπιδέξεσθαι· τὴν δὲ τῶν ὅλων τάξιν τε καὶ διακόσμησιν θείᾳ τινὶ προνοίᾳ γεγονέναι, καὶ νῦν ἕκαστα τῶν ἐν ἀέρι γινομένων, οὐκ ὡς ἔτυχεν, οὐδ' αὐτομάτως, ἀλλ' ὡρισμένῃ τινὶ καὶ βεβαίως κεκυρωμένῃ θεῶν κρίσει συντελεῖσθαι. Mundi materiam ſemper extitiſſe voluerunt, ipſius autem formam, ordinem & ornatum à divinâ providentiâ conſtitui. Cætera quæ ſequuntur ad Aſtrologos Chaldæos ſpectant magis quàm Philoſophos. Sed tandem quædam

*Lib.* 20. *c.* 4.

*Ibid.* ἔστι δὲ καὶ τῶν Χαλδαίων τῶν ἀστρονομικῶν γένη πλείω ὧς ἂν καθ' αἱρέσεις ἀλλα καὶ ἄλλα λέγοντες περὶ τῶν αὐτῶν δόγματα.

ſubdit:

ſubdit circa *Tellurem*; Περὶ ὃ τ γῆς ἰδιωτάτας ἀποφάσεις ποιεῖσθαι, λέγονλες ὑπάρχειν αὐτῷ σκαφοειδῆ καὶ κοιλῶ· καὶ πολλὰς καὶ πιθανὰς ἀποδείξεις ἐνπορεῖσι, περὶ τε ταύτης καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν κατὰ τ κόσμον. Hæc maximè deſiderantur quæ ſuggerit potius quàm explicat, eorum κυρίαι δόξαι vel ἀποφάσεις ἰδιώταλαι circa Tellurem. Unum tantùm exprimit, Eam *Scaphiformem eſſe & cavam*, ſive oblongam & excavatam. Cætera autem, cum ſuis demonſtrationibus exoptatiſſimis, nullibi jam reperiuntur. Denique ſubjungit quæ tradita ſunt circa eorum antiquitatem, & à quot ſæculis, ante Alexandri expeditionem, hiſce contemplationibus incubuiſſent. Hæc autem, ut cætera ferè de Gentium Orientalium antiquitate, aliena ſunt à noſtrâ fide & Chronologiâ.

Circumferuntur *Oracula Chaldaica*, à Michaele Pſello collecta pridem, & expoſita: dein à Franc. Patricio inſigniter aucta; ab Opſopæo denique cum Scholiis Plethonis & Pſelli, ex parte recuſa. Pſellus opus ſuum nuncupat, ἔκθεσιν τῶν παρ' Ἀσσυρίοις δογμάτων. *Expoſitionem Dogmatum Aſſyriorum:* Sed quo jure? Ex illis ſententiolis aut verſiculis quàm pauci dici poſſunt *Dogmata* qualiacunque? & ſi dogmata, quare Aſſyriaca? Eſt farrago, quæ plerumque ſequitur rationes Platonicas, ſed crudiores, Gnoſticorum inſtar, aut eorum qui de rebus ignotis loqui amant, verbis tumidis & figuratis. Neque mundi ortum, neque ullum illuſtre Phænomenon explicant hæc ſcripta, ipſumque rerum ſyſtema ignorâſſe videtur author, aut varias ſententias de eodem confudiſſe; plurimus eſt in materiâ incognitâ & rerum inviſibilium ordinibus, ut ſolent eſſe ingenia iſtiuſmodi flatuoſa: videntur eſſe quidem cento, è veterum ſcriptis (neque admodum veterum, à Platone enim citata nondum reperi) conſutus

Vid. Fr. Patricii Zoraſt.

Γῆν δ' ἐν μέσῳ τιθεὶς, &c.

conſutus & intertextus. Crepant *numeros myſticos Iyngas, Magica,* & quædam de Triade Platonicâ, ſed confusè: ſolidæ Philoſophiæ nihil illic video.

Si verò Theologiam Chaldaicam guſtare libet aliquantulum, prout à myſtis ſuis exhibetur, ità ferè ſe habet quoad rerum divinarum ordines. Res ab iis diſtinguuntur in purè Intelligibiles, Intelligibiles ſimul & Intellectuales, & Intellectuales tantúm. In primo ordine eſt ſuprema *Trias:* Ad ſecundum referunt *Iyngas, Synochæas,* & *Teletarchas:* ad tertium, Mentes inferiores. Sic philoſophatur Pſellus. Aliam verò rerum ſcalam aliquando ſubſtituit. Nempe Triadem *Amilitorum,* & unum *Hupezocota. Fontes hi ſeptem, poſt quos fontes ſunt Hyperarchii, inde Azoni, dein Zonei: poſt Angeli, Dæmones, Heroes: poſtremò, Mundus Corporeus.* Quod ſi Plethonem conſulas, paulò aliter ſui mundi ſupellectilem diſpoſuit; poſt ſupremam Triadem ſuccedit intelligibilis *Iynx:* & *poſt hanc Synochus, Empyreus, Ethereus* & *Hyleus.* Poſt *Synochæas ſunt Teletarchæ: poſt hos Fontani Patres,* qui *vocantur etiam Mundi auctores. Horum primus dicitur ſemel Trans, poſt hunc Hecate, poſtea bis Trans, poſt hunc tres Amilicti, ultimò is qui Hypezoco vocatur.* Tædet plura tranſcribere, Hæc ſi tibi placent proſuntque, Lector, gaude & fruere. Sed ad Oracula pauliſper redeamus.

Ad Zoroaſtrem referri ſolent, ipſiuſque philoſophiam aut Theologiam, hæc Oracula; cùm verò nondum pateſiat, cujas fuerit, aut quotuplex Zoroaſter: & conſtantior fama ſit de Zoroaſtre Perſico, quàm Aſſyrio, ſub capite Perſarum *Zoroaſtri* doctrinam tractabimus. Recentiùs invenit, aut ſe inveniſſe credidit, neſcio quæ monumenta Chaldaica, *Johannes Picus Mirandulanus*; quod lætus & exultans *Marſilio Ficino*

*Mirand. m. p. 249.*

*Ficino* explicat his verbis, *Chaldaici hi libri ſunt, ſi libri ſunt & non Theſauri. Audi inſcriptiones, Patris* Ezre, Zoroaſtris *&* Melchiar *Magorum, Oracula, in quibus & illa quoque quæ apud Græcos mendoſa & mutila circumferuntur, leguntur integra & abſoluta. Tum eſt in illis Chaldæorum ſapientum brevis quidem & ſalebroſa, ſed plena myſteriis interpretatio. Eſt itidem & libellus de dogmatis Chaldaicæ Theologiæ. Tum Perſarum, Græcorum & Chaldæorum in illam divina & locupletiſſima enarratio. Vide, Marſili, quæ inſperata mihi bona irrepſerunt in ſinum. Cur non ego & cornucopiæ jam mihi nactus videar?* Magna hæc ſunt, ſed hi theſauri Chaldaici nondùm comparuerunt, & ego tardus aſſentior non viſis. Certè iſtiuſmodi libri antiqui ſunt veluti Mortui aut umbræ, de quibus, cùm apparere videntur, vix propriis oculis fiditur, multò minùs alienis.

Intereà dolendum maximè periiſſe opus *Beroſi*, ſacerdotis Babylonii; qui non tantùm res civiles Aſſyriorum, ſed etiam Philoſophicas ſcriptis mandârat. Ita *Joſephus* teſtatur contra *Apionem.* Βηρωσὸς ἀνὴρ Χαλδαῖος μὲν τὸ γένος, γνώσεμος δὲ τοῖς περὶ παιδείαν ἀναστρεφομένοις, ἐπειδὴ περί τε ἀστρονομίας, καὶ περὶ τῶν Χαλδαίοις φιλοσοφυμένων, αὐτὸς εἰς τὲς Ἕλληνας ἐξήνεγκε τὰς συγγραφάς. Prætereà, cùm mos fuerit iſtorum temporum, Hiſtorias univerſales, vel etiam ſuæ gentis antiquitates, ab ipſo ortu rerum, & à quadam Coſmogoniâ, auſpicari: tam ab hoc *Beroſo*, quàm à *Nicolao Damaſceno*, quorum uterque hiſtoriam Aſſyriacam ſcripſit, doctrinam iſtius gentis de *rerum Originibus*, ſperare liceret. Idque eo magis, quòd ex *Joſepho*, aliiſque conſtet, Archaiologias Philoſophicas ſuis hiſtoriis utrumque intexiſſe. Li. 1.

*Juliani* etiam, pater & filius, Chaldæi, quædam de ſacris

*Suid. in Voc.* sacris Chaldaicis commentati sunt, juxta *Suidam*. Et in ejusdem *Juliani* historiam Chaldæam quatuor libros scripsit *Porphyrius*. Denique Græci, qui de Magis eorumque doctrinâ scripserunt, quod à pluribus factum est, de Chaldæis proculdubiò non pauca interserebant. Et λόγον χαλδαϊκὸν speciatim scripsisse fertur *Democritus*. His autem deperditis omnibus, de philosophiâ Assyriacâ vix supereſt quod adjici possit ad pauca illa excerpta quæ dedimus ex *Strabone* & *Diodoro*; adeò res ipsas & rerum certitudinem loci & temporis longinquitas abolevit. Relictis igitur Assyriis, motum Imperii & Literarum sequamur ad Persas.

*Laert. in Proœm.*

*Id. in vit. Democr.*

---

# CAP. V.

## *De Persis, eorumq; Magis.*

PErsarum sapientes dicti erant *Magi*; nomen quidem illis cum aliarum gentium Orientalium sapientibus commune; nam apud Arabes, Assyrios, Indos, aliosque, erant Magi; sed præ cæteris illustres illi Persarum, tam in rebus agundis quàm in rerum contemplatione occupati. Regiis liberis instituendis & educandis præficiebantur. Res palatii & imperii tractabant, unde fraudi illi locus fuit, quâ, clam interfecto regni hærede, unum è suis in solium Persicum sufficiebant. Hinc secuta est, non tantùm Magi illius Ψευδοβασιλέως, sed aliorum multorum promiscua cædes,

cædes, & imminuta apud Persas Magorum authoritas.

Philosophiæ studiis operam dabant Magi, perinde ac Theologiæ. Ità Suidas, Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι. Philo itidem, τὰ φύσεως ἔργα διερευνώμενοι πρὸς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. Idem testatur Dion Chrysostomus, τὰ φύσεως ἅπαν ἐμπείρους, καὶ τὰς θεὰς εἰδέναι ὡς δεῖ θεραπεύειν. Ubi conjungit utriusque disciplinæ studia & opera: ità etiam Laertius, Μάγους περί τε θεραπείας θεῶν διατρίβειν καὶ θυσίας καὶ εὐχάς—ἀποφαίνεσθαί τε περὶ τὴν ὑσίας θεῶν καὶ γενέσεως, ὡς καὶ πῦρ ἓν καὶ γῆ καὶ ὕδωρ· hæc γένεσις θεῶν, idem est ac Græcorum *Theogonia*, quâ mundi & elementorum ortum sub Deorum nominibus, explicabant; eámque à Barbaris desumptam esse vel hic ipse locus indicare videtur. Præterea, Mundi *periodos* & Renovationem docuerunt. Denique si ab his hausit Pythagoras *Rerum principia syderumque motus*, oportuit eos & Astronomos fuisse & Physiologos. Dicitur quidem à Babyloniis hæc didicisse, cùm verò id fuerit tempore Cyri, in Babylone tunc erant Persæ. Libenter tamen credo, spoliatis imperio Assyriis, Medisque, Chaldæos philosophos sub dominio Persarum, adhuc substitisse. Porphyrius ait à Chaldæis, & speciatim à Zabrato, hæc didicisse Pythagoram, Ἐνῖσε Βαβυλῶνι τοῖς τ' ἄλλοις Χαλδαίοις συνεγένετο, καὶ παρὰ Ζάβρατον ἀφίκετο, παρ' ὃν, &c. τόνδε περὶ φύσεως λόγον ἤκουσε, καὶ τίνες αἱ τῶν ὅλων ἀρχαί. Zabratus ille (quod nomen variè à variis effertur) Assyriusne fuerit vel Persa, quis clarè enodabit? Agathias eundem esse innuit cum Zoroastre, Zaradumque appellat, Οὗτος δὲ ὁ Ζωροάστρης, ἤτοι Ζαράδης (διττὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ ἡ ἐπωνυμία) ὁπηνίκα μὲν ἤκμασε, &c. ὐκ ἔνεστι σαφῶς διαγνῶναι. Theodoretus Zaradan appellat, & gente Persam. Certè Apuleius dat *Magos Persarum* Pythagoræ in

*Voc. μάγοι.*
*Quod omn. prob. lib. p. 678.*
*Orat. 49.*
*Id. ibid.*
*Lib. 2.*
*Serm. 9.*
*de Leg. Flor. l. 2.*

Doctores, & *præcipuè Zoroaſtrem, omnis divini arcani antiſtitem.* Quare ſatis patet, non tantùm res ſacras & civiles curâſſe Magos, ſed etiam naturæ principia & leges perquiſiviſſe.

Magorum princeps & coryphæus erat Zoroaſter; ut multi teſtantur authores; ſed in hujus Zoroaſtri vel Zoroaſtrorum hiſtoriâ parùm conveniunt. Alii unum, alii duos, alii multos conſtituunt. Nos qui veterum ſapientum dogmata & doctrinas quærimus, tanquam partem optimam & deſideratiſſimam hiſtoriæ Philoſophicæ, cæteras eorum conditiones aut circumſtantias minùs anxiè expendimus; ſed inter multa confusè dicta ab antiquis circa Zoroaſtros, conſtare videtur primò, duos fuiſſe, minimùm, Zoroaſtros, utroſque ſapientiæ nomine & doctrinæ magicæ, celebres; alterum Chaldæum, aut Bactrianum, cujus plures authores meminerunt; alterum Perſam vel Medo-Perſam, de quo non dubitatur. Secundò, conſtare mihi videtur, horum duorum res, ætates, dogmata, patrias, ſcripta, alia, ſæpe confundi & permiſceri, tam ab antiquis quàm à recentioribus; id quod ſolet aliàs contingere in rebus aut perſonis Synonymis, ſive Diis gentium, ſive viris illuſtribus; dum temporis vetuſtas & ſcriptorum incuria, ex rerum ſimilitudine, errorem & confuſionem inducunt. His autem relictis, quæ ſcripta aut ſcriptorum fragmenta reliquerit Zoroaſter, aut jam ſuperſint, paucis videamus.

De *Hyſtaſpe* & *Oſthane*, quorum meminerunt plures, nihil dico: cùm de iis nihil certi, de eorum dogmatibus nihil prorſus, reperiam.

Elementa, Sydera, Cœlum, pro Diis habuerunt Perſæ. E Syderibus autem Solem, ex elementis Ignem, venerati ſunt maximè: atque *Jovis* nomine intelligunt,

intelligunt, τὸ κύκλον πάντα τῦ θεαῦ, *universum cæli ambitum.* Alunt ignem perennem & immortalem in Pyratheiis: ut posteà Græci in suis Prytoneiis; & Romani in Vestalibus: Hebræi etiam in Templo sacrum ignem jugiter nutriebant; Ægyptii pariter, aliæque gentes, hoc elementum singulari honore prosequebantur. Hic Persarum ignis, ab *Am. Marcellino* dicitur *Ignis ille cælitùs delapsus, apud Magos sempiternis foculis custoditus.* *Porphyrius* Diis proximum facit, aut simillimum, (θεοῖς γὰρ ἐγγὺ τὸ πῦρ ἀθάνατον φυλάττομεν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὃν μάλιστα αὐτοῖς ὁμοιώτατον.) Stoici denique ipsum *Jovem*, in quem omnia resolventur. Hæc Theologia, cùm *Physica* sit, à proposito nostro non alienam esse duxi. *Lib. 23.* περὶ ἀποχ. *l. 2.*

Quin & totus Persarum cultus, si reliquarum gentium superstitionibus conferatur, *Philosophicus* dici meretur. Hujus compendium habes apud Herodotum, his verbis: Πέρσας γὰ οἶδα νόμοισι τοιοῖσι χρεωμένους. Ἀγάλματα μὲν, καὶ νηὸς, &c. *Porrò ritus quibus utuntur Persæ, tales esse comperi. Neque statuas, neque templa, neque aras extruere consuetudo est: Quinimò hoc facientibus insaniæ tribuere, ob id (ut mea fert opinio) quod non, quemadmodum Græci, sentiunt Deos more hominum esse natos, aut hominum similes.* *Moris* ἀνθρωποφυέας. *habent, editissimis quibusdam conscensis montibus, Jovi hostias immolare: omnem gyrum cæli Jovem appellantes. Soli, Lunæque sacrificant, & Telluri, Igni, Aquæ atque Ventis. Hisque solis sacra faciunt jam inde ab initio.---- Sacrorum autem ritum circa hos jam dictos Deos hujusmodi quondam instituerunt. Persæ quippe sacrificaturi, nec aras erigunt, neque ignem accendunt prorsus, sed neque libamentis utuntur, aut tibiis, coronisve, aut molis. Verùm ut quisque Divis hisce sacra facere statuit, in locum mundum victimam sistens, deum illum implorat,* *Lib. 1. c. 131, 132.*

*myrto potissimùm cinctam gestans tiaram. Sacrificans verò, non pro se solo privatimque vota nuncupat, sed communiter universis Persis benè precatur; imprimis quidem Regi; & inter omnes Persas, ipse qui sacra facit, comprehenditur. Ubi verò carnem victimæ minutatim conscidit, eamque elixavit, herbam substernit quàm mollissimam, maximè trifolium. Huic impositis carnibus Magus astans,* THEOGONIAM *accinit. Quam illi habent pro sacro carmine aut incantatione.* Ità coluerunt Deos Persæ, præ cæteris populis, castè, & sine fuco. Scio nonnulla narrari aliter de Persis à *Strabone*, sed vel diversas eorum sectas respicit, vel diversa sæcula. Illud notatu dignissimum est, quod, inter faciundum sacra, Magi cecinerint *Theogoniam.* Quæ aliud esse non potuit quàm carmen de *Mundi origine.* Dixerat enim antea quos Deos habuere Persæ: nempe corpora cœlestia, elementa, partes & regiones Universi. Deorum igitur Persicorum ortus, est horum corporum, cœlestium & elementarium: sive Cœli, Syderum, & Telluris, ortus. Quæ est vera Theogonia antiquo-barbara. Quam quidem postea Græculi, qui Deos ἀνθρωποφυεῖς fingebant, in Deorum suorum geneologiam crassam convertêre. Sed de his satis: redeamus ad Zoroastrem.

*l.* 30. *c.* 1. De Oraculis Chaldaicis, quæ Zoroastro tribuuntur, jam dictum est. Memoratur ultra à *Plinio, vicies centum millia versuum à Zoroastro condita fuisse,* & ab *Hermippo* exposita. Arabes præterea referunt Zoroastrum tradidisse librum Magis, duodecim voluminibus constantem, *quorum singula corium Taurinum integrum implerent.* Hæc volumina, opinor, ritus sacros & antiquæ magiæ fontes continebant. Denique *Suidas* recenset plures Zoroastri libros, *de Gemmis, de Prædictionibus*

*Pocock spec. Hist. Arab. Elmacin. Hist. Arab.*

*onibus Astronomicis*, & quatuor libros, *περὶ φύσεως*, *de Naturâ*: quos cæterorum omnium dispendio libens redimerem. Nam, siquid erat scientiæ solidæ in istoc Mago clarissimo, illius fundamenta in hisce de Naturâ libris jacienda essent. Hæc autem omnia pro deperditis habemus, si unquam extiterint; & quæcunque sub Zoroastri nomine apud nos venditantur, vel planè Apocrypha & Pseudonyma sunt, qualia notantur ab aliis: vel adeò nihil eximii continent, aut supra vulgarem Philosophorum disciplinam; ut, si genuina essent, apud me minuerent viri illius famam & dignationem. Ex ipsius genuinâ Philosophiâ fragmentum unum conservavit nobis Plutarchus, ex *Theopompo*; Alterum Porphyrius, in *antro Nympharum*, ex *Eubulo*. Tertium, sed minùs mysticum, *Eusebius*, ex libro sacro Persico; quem ipsius esse Zoroastri voluit. Atque hæc pauca, cum nonnullis sententiis dispersis, maximè apud authores Platonicos, magni Zoroastri sunt exiles reliquiæ.

*De Is. & Osir.*
*Præp. Evan. l. 1. c. 7.*

Uti Magorum Persicorum origo & prima tempora sunt incerta, ità de eorum fine & exitu non una & constans est sententia. Cùm dolum facinúsque, occupati à Magis Imperii, ulcisci voluerunt nobiles Persæ, *Smerdis* & sociorum ipsius cæde non contenti, in omnes promiscuè Magos sæviebant; idque tanto impetu, ut, referente Herodoto, nisi noctis interventu cohibiti, neminem Magorum reliquissent. In rei etiam memoriam Μαγοφονίαν instituerunt, festum solenne Persarum: quo die nulli Magorum fas erat prodire in publicum. Hinc imminutam fuisse Magorum dignitatem apud Persas facile est conjicere, non autem extinctam progeniem; hâc enim ætate posteriores erant Hostanes & Hystaspes, famigerata nomina; constatque mansisse Magos usque ad Alexandri.

*Li. 3.*

*Diog. in proœm.*

andri tempora; à quo tandem hos, unà cum Imperio Perſico, nonnulli deletos eſſe volunt. Neque adhuc his penitùs aſſentior: nam ſicut occupato à Perſis imperio, non protinùs interierunt Chaldæi, (eorum enim meminit Cteſias tempore Darii, cùm de ipſius ſepulchro viſitando ageretur) ita nec à Græcis occupato, extincti ſunt Magi; ſed ſuis adhuc ſacris præfuiſſe videntur uſque ad tempora Heraclii, qui *Agath. li. 11.* Πυρεῖα Perſica, lucos, ignem ſacrum, totamque cultûs illius ſupellectilem peſſundedit. Huic autem religioni paulò poſt ſucceſſit Mahometana, in quâ jam hærent, extinctâ omni antiquâ ſcientiâ, occæcati Perſæ.

Hæc de Magis: Quorum doctrina & hiſtoria non ità difficiles eſſent explicatu, niſi jam periiſſent illius *Plin. li. 30. c. 1.* argumenti ſcriptores præcipui. Quales fuere *Hermippus Smyrnæus*, qui, circa Ptolomæi Euergetis tem- *Arnob. li. 1.* pora ſcripſit *de Magis*. *Pallas* etiam, referente *Porphyrio* (περὶ ἀποχ. li. 2. & li. 4.) *Mithræ myſteria* optimè collegit & explicuit. Euſebius (præp. Ev. p. 42.) *Oſtanis Octateuchum* citat. Adhæc *Eubulus*, incertæ *Li. 11. adv. Jov.* ætatis author, hiſtoriam *Mithræ* & *Magorum* multis περὶ ἀποχ. *li. 4.* libris conſcripſit, ſecundum Hieronymum & Porphy- *Phot. Bibl. Cod. 81.* rium; & diverſos eorum ordines diſtinxit. Prætereà *In proœm. & Plin. ut ſupra.* *Theodorus Mopſueſtenus* tres libros compoſuit, περὶ τῶν ἐν Περσίδι μαγικῶν. Denique authores quos citat Laertius in hoc argumento, nempe *Hermodorus* Platonicus, Ariſtotelis *Magicum*, ſive, juxta Suidam, *Antiſthenis* aut *Rhodonis*, quod de Zoroaſtro tracta- *Clem. Alex. Strom. 3.* vit, perierunt. Et Zanthus Lydus, qui *Magica* ſcripſit, & Magorum à Zoroaſtro ſucceſſionem & ſeriem, juxta Laertium, deduxiſſe videtur. Citat prætereà in eodem argumento Laertius *Sotionem* de ſucceſſionibus, *Dinonem* de rebus Perſicis, *Eudoxum*, *Theopompum*,

*Eude-*

*Eudemum Rhodium*, & *Clearchum Solensem*. Qui omnes desiderantur. Hi veteres authores si extarent, meliùs edocti essemus quæ vera fuit Zoroastri & Magorum Philosophia, quam omnis antiquitas celebravit. De Persis hactenus.

## CAP. VI.

### De Arabum & Phœnicum *historiâ literariâ*.

A Persis ad *Arabes* & *Phœnices* pergamus; utrosque antiquæ sapientiæ famâ præclaros. Sapientiæ Arabicæ æternum monumentum reliquit *Jobus*, *Mose* ipso antiquior; Nobilis Arabs, φιλόθεος καὶ φιλαλήθης, cui triplex æs circa pectus integerrimum, quod nulla Satanæ tela unquam perfodere potuerunt. Virtutis heroicæ & infractæ fortitudinis exemplum. Hunc nulla adversa, neque corporis mala, neque bonorum damna, neque ira cœli & charissimorum liberorum cædes, mente solidâ excusserunt. Non tantùm sæviebant hostes, sed etiam exanimabant amici; &, quod ingenuis probisque gravissimum est, simulatæ pietatis, occulti criminis, læsi Numinis, postulabant. Ille, rupis instar, immotus stetit, neque Deum, quem novit Optimum Maximum: neque seipsum, recti conscium, incusare voluit. Quantum possit Religio naturalis, magnum & memorabile exemplar.

Qui

Qui plura desiderant circa eximiam hujus viri pietatem, & in singulis ferè Christianæ religionis præceptis sanctam vitæ morumque cognationem, adeat *Eusebium* de Demonst. Evang. *l.* 1. *c.* 5. & 6. ubi hæc omnia sigillatim percurrit. Intereà non gravabor adjicere illustrissimi viri Encomium quod occurrit apud Suidam, Ἰωὴβ ὁ μέγας ὄντως ἐκεῖνος καὶ γενναῖος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστής· ὁ πρῶτος ἀνοίξας τὸ γυμνικὸν ἐκεῖνο, καὶ μέγα καὶ παγκόσμιον στάδιον. ὁ τῇ ἀντίπαιλον πάσαις ταῖς καταβαλὼν ὁ μέχρι καὶ νῦν ἀγέων τὰς πληγὰς, καὶ τὰς μώλωπας εἰσδεξάμενος, καὶ μείνας ἀήττητος· ὁ σκωλήκων πλήρης, καὶ στεφανίτης. ὃν οὐδὲ θάνατος ἴσχυσε καταστρῶσαι, καὶ κονίσαι τὰ ὀπίσθεν, ἀλλ' ἔτι ἕστηκεν ὥσπερ τις ἀνδρίας ἀπερίτρεπτος, ἢ ἄκμων ἀνήλατος, ἢ ὅλως τοῦ βίου καταπαλαίων, καὶ καταφρονῶν τῆς ἀντικειμένου. ὅστις πρῶτος κατεπάλαισε τὸν διάβολον. ὅστις ἥρμοσε καλὰ τοῦ πίκρου νίκης τρόπαια, οὐ νέμεα καὶ ὀλύμπια, ἴσθμιάτε, καὶ πύθια, καὶ ὅσα ἑλληνικοὶ διακομπάζουσι λόγοι, ἀγανιζόμενος, ἀλλὰ περὶ παίδων, καὶ κτήσεως, καὶ βοσκημάτων, καὶ θεραπείας, καὶ πάσης τῆς τοῦ βίου διαγωγῆς, καὶ πλωμάτων οἰκίας, τάφους τὰς αὐτὰς, καὶ πολυάνδρια πρὸς αὐτοῦ παίδων γεγενημένας ὁ καρτερόψυχος θεασάμενος, ὃς ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καὶ ὥρᾳ ὅτε τραπέζης συνηχημένης καὶ συνεδρίου κατέστρωσε σωρηδὸν ὁ παμμίαρος---- καὶ οὐδὲ μέχρι τούτων ἡ λύσσα καὶ βασκανία ἠρκέσθη τοῦ ἀντιπάλου, ἕως αὐτὸν τῷ ἀθλητικῷ γυμνὸν ὅτι κοπρίας ἐκκαλεσάμενος, καὶ κατάστικτον ὅλον τοῖς ἕλκεσι, καὶ πλήρη σκωλήκων ἀπεργασάμενος, θέαμα φρικτόν τε, καὶ ξένον ὅλῃ τῇ ὑφ' ἥλίῳ κατέστησεν, ἕτεσιν ἑπτὰ τοῖς ὀδοῦσι δαρδάπτων, καὶ τῇ γλώσσῃ λικμώμενος ὅλον τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος, μέχρις οὗ τὴν ἧτταν ἐφ' ἑαυτὸν ὁ παμμίαρος ἐνεστήσατο, καὶ τὴν αἰχμὴν τέλεον ἐκλήρωσατο. Hæc longiuscula sunt, sed quæ debentur tanti viri meritis & memoriæ.

*M. p.* 10. & 14.

Præterea

Præterea Arabem noſtrum fuiſſe virum πολυμαθῆ καὶ πολυίστορα, & naturalis ſcientiæ peritum, ex ipſius hiſtoriâ liquidò conſtat; hanc, φυσιολογίαν ὅλης τῆς κτίσεως continere, ait *Suidas*; certè tam dogmata, quàm præcepta *Noachidarum*, in illis commentariis reperiuntur, & ex modo quo celebratur ab iis *Tellurus origo*, ipſiuſque in Diluvio diſſolutio, quæ in ſequentibus explicanda ſunt, manifeſtum eſt, utriuſque doctrinam arcanam calluiſſe illius ſcripti authorem primum & Arabicum. Dico authorem *primum & Arabicum*; quiſquis enim fuerit qui hoc opus in hodiernam formam digeſſit, niſi totum fictitium eſſe velimus, materiam operis ex adverſariis Arabicis, de vitâ *Jobi*, neceſſe eſt deprompſerit. Neque id diſſimulavit author, nam multos reliquit Arabiſmos in opere ſuo, qui fontem ſapiunt & originem unde deducti ſunt. *Cap.* 38.

Primum hoc eſto monumentum ſapientiæ Arabicæ, & vetuſtiſſimum; nulla enim gens, ex quo perierint *Enochi prophetiæ*, monſtrare poteſt antiquioris aut æquævæ ſapientiæ ſpecimen; cùm non ſit dubium, res *Jobi* tempora Moſaica præceſſiſſe. Adeóque Literarum uſum, & Scripturæ: præterea, notitiam Syderum: Hiſtoriæ naturalis non pauca: & denique, veri Dei cultum, ante natum *Moſem*, in Arabiâ obtinuiſſe. Et quoad literas & diſciplinam, eas, ad *Solomonis* uſque tempora, inter Arabes floruiſſe, fide dignum erit, ſi Reginam *Shebam*, quæ *Solomonem* viſum venit, Arabicam credamus: prout ex multis indiciis colligitur. Hæc autem, cum exierit regno quaſi ad certamen literarium: nempe ad tentandam ſapientiam *Solomonis*, ſi famæ par eſſet & expectationi; argumento eſſe poteſt, ſapientiæ ſtudium, iſthoc ſæculo, tam in Aulâ regiâ, quàm in *1 Reg.* 10.

scholis Arabicis, viguisse, in laude & vincendi gloriâ ambitiosum. Suppetit etiam aliud, ni fallor, & recentius, in sacris literis, sapientum in Arabiâ argumentum, vel exemplum: *Magos* intelligo, qui Jesum infantem venerunt adoratum ex Oriente; hoc enim de Arabiâ libens interpretor, cùm idem senserint ex Patribus plures, atque hoc ipsum subindicari mihi videatur à Prophetâ, *Psal.* 72. 10. cùm psalmum illum propheticum ultimò respicere Messiam, certum sit. Dona etiam quæ afferebant, soli Arabici opes erant; atque μάγοι ἀπ' ἀνατολῶν eandem gentem notare videtur ac בְּנֵי קֶדֶם filii orientis, *Job* 1. 3. Quin Orientis nomine vulgò appellari à Judæis Arabiam, notat probatque *Grotius*. Denique, ut nullus inde restet scrupulus, non tantùm Persarum sapientes dicebantur Magi, sed per totum ferè Orientem nomen illud obtinuit, ut videre est apud Lucianum & Plinium; & speciatim *Hippocum*, Arabem, inter Magos numerat Plinius. *Bilhamum* etiam, quem rex Moabitarum consuluit contrà populum Israeliticum, (*Numb.* 22.) sive Magum dixeris, sive Prophetam, ex eodem hoc ordine fuisse, verisimile est.

*In Matt.* 2.

Μαγεῖα. *Plin. l.* 25. 2. *l.* 30. *c.* 1.

Inter Arabes populos, memorabiles erant *Zabii* vel *Zabaistæ* (iidem, ut mihi videtur, cum *Sabæis* aut eorum sacerdotibus) gens perantiqua, & suo more religiosa. In horum fide & cultu aiunt Judæi primitùs educatum esse Abrahamum; sed posteà, ut unum verum Deum coleret, ab iis secessisse, atque dogmata eorum impugnâsse. Præterea, *Mosen* in legibus suis formandis Zabiorum mores & ritus maximè respexisse, vult *Maimonides*; ideoque Legislatore suo antiquiorem facit gentem istam, & dignam, unà cum Ægyptiâ, quam in consiliis suis intueretur, ut

*Maimon. Mor. Nev. part.* 3. *c.* 29.

*Ibid.*

ut eorum contagia effugeret. Inter hos nunquam defuiſſe Magos, ſive priſtini moris philoſophos, veriſimile eſt: & non tantùm libros pervetuſtos & traditiones jactant, ſed etiam ſe *Noachidas* eſſe gloriantur, *& fundamentum eorum religionis eſſe religionem Noachi.* Hanc quidem puram coluit *Jobus*, eorum conterraneus aut confinis: illi autem impuram, idololatriâ & inquinamentis magicis pollutam; colebant enim *Solem & Lunam, & genios indigenas*; referente Philoſtorgio. Atque eò reſpexiſſe videtur *Jobus*, cùm ſe, Arabem, purgat à Solis & Lunæ cultu, *cap.* 31. *ver.* 26, 27. *Hott. Hiſt. Orient. p.* 169, 171. *ex Beidavo & Keſſæo, ſcript. Arab.* *Boch. Geog. l.* 2. *c.* 26.

Quare æquum eſſe videtur ut admittamus, apud Arabes fuiſſe genuinos *Noachidas* & degeneres; ex illorum numero erant *Jobus*, cum ſuis amicis & cognatis; ex horum autem numero Zabii, aliique Arabes. Nam Arabes generatim magnam cum Noacho conjunctionem affectant aſſerúntque, & gentis ſuæ originem ab ipſo deductam etiamnum in genealogiis oſtentant. Indigenas à *Joctano*, advenas ab *Iſhmaele*, repetentes. Horum utrumque genus quædam *Dogmata Noachidarum* retinuerunt, quæ ſapientiæ Orientalis videntur mihi radices. Prætereà ſi ex eâdem patriâ venerint Magi Chriſticolæ, quid ni credamus per totum hoc intervallum, ab ætate *Jobi* ad natum Chriſtum, eandem doctrinam, idem Philoſophorum genùs, rariùs licet, apud Arabes permanſiſſe; præſertim cùm, aliquot ante Chriſtum ſæculis, eò profectus ſit *Pythagoras*, tanquam ad unam è quatuor gentibus præcipuis, quas, ad comparandam ſcientiam, inviſebat. Ἀφικέλο δε καὶ πρὸς Αἰγυπτίους ὁ Πυθαγόρας, καὶ πρὸς Ἀραβας, καὶ Χαλδαίους καὶ Ἑβραίους, dicitúrque verſatus eſſe cum Rege in Arabiâ, (regulo, opinor, Mago) in Babylone autem cum Chal- *Porphyr. de vit. Pyth.*

*lib.25.2.* dæis & Zabrato. *Democritus* etiam apud *Plinium* dicitur, Persidis, *Arabiæ*, Æthiopiæ, Ægypti Magos invisisse.

Hæc de temporibus ante-Christianis; neque literarum studiis offeciſſe religionem Christianam supponere licet, quanquam in illâ gente, forsan iisdem non multùm profuit; inter Patres quidem Christianos non memini ullum fuisse Arabem. Et per multa *Abulpharag. de orig. & mor. Arab. cum notis Pocock in spec. hist. Arab. p.164.* sæcula altum erat de philosophiâ Arabicâ silentium, adeò ut mollioribus studiis dedita, expoliendæ linguæ, poesi, & orationum compositioni, gens illa ad severiores literas à multis inepta crederetur. Sæculo autem post Christum natum sexto præterito, exortus est Ismalismus, sive Lex Mahometis: &, nescio quo fato, cum illâ religione, literarum omnium inimicâ, revixit inter Arabes philosophiæ amor & studium.

Notum est, post ortum Mahomedis, cum novâ religione novum Imperium molitos esse Arabes sive Saracenos, atque miro progressu magnam orbis partem armis suis subjeciſſe. Eodem tempore, philosophandi studio, quasi redivivo, animati sunt: & cùm in Occidentem & Europam penetrâssent, philosophiam Arabibus anteà incognitam & inauditam, Græcanicam nempe & Europæam, imbiberunt. Cúmque per illa tempora Aristotelis doctrina in Scholis & Academiis Europæis omnium maximè invaluisset, hanc plerumque amplexi sunt Arabes: quàm posteà magno studio & strepitu ubique propagârunt. Ex iis autem nonnulli in alias Græcorum Philosophorum *Maimon. Mor. Nev. par.1.c.69, 71.* sectas delapsi sunt, aut ex pluribus mixtam condiderunt. Denique tanto amore flagrabant literaturæ Græcanicæ, & tot eorum volumina ad se transferri & Arabicè verti curabant, ut postea apud Saracenos potiùs quàm apud Græcos ipsos, quærendi essent Authores.

thores Græci. Meritò mirari licet hanc gentem tripliei œstro simul percitam esse, religionis, belli, & literarum. Quoad priora, infrà unius sæculi spatium multos magnosque populos sibi subjugaverant; & quoad literas, magnâ contentione & sumptibus ex omnibus locis libros Græcos & Romanos arcessi curabant. Addit prætereà *Erpenius*, *Transtulisse Arabes in suum sermonem nobiliores omnes authores veterum, Ægyptiorum, Persarum, & Chaldæorum; qui sapientiæ omnis ac scientiæ primi perhibentur fuisse authores.* Sed quoad *Saracenos*, aut non omnes ceperat, aut statim deferbuit iste ardor: nam cùm, captâ *Alexandriâ*, *Johannes Philoponus*, qui magnam gratiam apud ducem exercitûs consecutus esset, petiisset, ut libros philosophicos, qui in Bibliothecis Regiis invenirentur, ei concederet; re ad Imperatorem delatâ, comburendos esse jussit omnes, in calfaciendis balneis. Egregium & Imperatorium facinus! quo jam secundò periit Bibliotheca Alexandrina; cum summo damno Reipublicæ literariæ.

*De Ling. Arab. p. 53.*

*Hott. Analec.*

Librorum Arabicorum, qui supersunt, thesaurus maximus est Bibliotheca *Fessana*, quæ triginta millia voluminum Arabicè scriptorum continere dicitur. Ex sententiâ autem Hottingeri, qui cum libris Arabicis multùm versatus est, vix ullum reperies *annis octingentis antiquiorem; Ismalismo autem & Alcorano nullum*; neque *Theologum*, neque *Philosophum*, neque *Historicum*. Licèt verò non adeò antiqui sint hodierni libri, continere possunt multa ex antiquioribus desumpta, & nonnullas primævorum dogmatum reliquias. *Avicenna* scripsit librum de *Philosophiâ Orientali*, cujus meminit *Tophail* in suâ Epistolâ, & se ait etiam ab amico sollicitatum esse, ut de mysteriis ejusdem philosophiæ scriberet. Hi verò, cùm viverent.

*Analec. Hist. Theol.*

*Philos. Autodidac.*

rent ambo multis sæculis post ortum Mahomedis, indicio est, non prorsus exoleviſſe apud Arabes illius temporis, priſtinæ philoſophiæ memoriam; ſed ab alienis forſan, magis quàm ſuis, hauriendam monumentis.

*Mor. Nev. par. 3. c. 29.* Quoad libros Zabiorum, multos recenſet *Maimonides:* plerumque, opinor, ſuppoſititios. Optandum eſſet maximè, ut Rabbinus ille clariſſimus, qui, cum magno apparatu, doctrinam Zabiorum inſtauravit, applicuitque ad interpretandas leges Moſaicas, probatam nobis dediſſet antiquitatem, ſimul & authoritatem, iſtorum librorum, quos vidit ſequiturque in enarrandâ Zabiorum Theologiâ. Niſi enim pertigerint ad tempora Moſaica, & religionem ritusque retulerint *Moſi* coævos aut antiquiores, his ſuperſtructæ interpretationes carent fundamento; quippe iniquum eſſet, verba Ligiſlatoris ad poſt-natas ſuperſtitiones propellere & accommodare. Sed hæc obiter. Cætera ſcripta Arabica quærenda ſunt in *Bibliothecâ Orientali Hottingeri,* & aliorum, qui hanc materiam datâ operâ tractârunt. Denique, quoad Dogmata Philoſophica Arabum, Philoſophorum ſecta antiquiſſima, cujus ſuppetit memoria apud Arabes, perhibetur illa *Dahritarum.* Qui, tam de Mundi, quàm de Animarum, origine & exitu, malè ſenſiſſe videntur. Hunc enim æternum eſſe volunt, ex utrâque parte: illas ex neutrâ; traduces nempe, & morituras. Unde horum commune ſcitum erat, *Uteri pariunt, Sepulchra deglutiunt:* quo rerum omnium ortum & interitum denotabant. Ac proinde Philoſophos iſtos primæ antiquitatis titulo inter Arabes, malè ornatos eſſe cenſeo: cùm illud ab *Ariſtotele,* alterum ab aliis recentioribus, hauſiſſe videantur. Niſi forſan craſsè nimis & incorrectè, quod

*Abr. Eccl. Hiſt. Arab. c. 12.*

ſæpius

sæpius accidit, antiquorum sententias, alii post alios, repetant. Id quidem constat, post Mahometis tempora, sapientiam Arabicam in fabulas & fœditatem degenerâsse. Et nisi extitissent in sacris literis specimina quædam præstantioris indolis inter Arabes, gentem illam in Philosophorum censu vix inseruissem. Constat enim, à multis sæculis, figmentis & allegoriis, ad fastidium usque, luxuriâsse ingenium Arabicum. Sed de his hactenús.

Jam ventum est ad *Phœnices*; populos perantiquos, ad imam oram maris Mediterranei sitos; quorum magnas copias patriâ expulit Dux Israelitarum *Josbua*. Hanc gentem cum primis literatam fuisse extra dubium est; ipsæ literæ horum inventa dicuntur; Græcis saltem authores erant literarum, sub auspiciis *Cadmi*, ante bellum Trojanum. Numeros etiam inveniisse dicuntur & Arithmeticam; præterea Astronomiam & Syderalem scientiam; adhæc Nauticam & nova per Oceanum itinera. Denique ipsam quodammodò Physiologiam, si *Posidonio* creditur, aut modum Philosophandi per hypotheses. Imò, ne quid eorum laudibus desit, omnigenæ philosophiæ divites ait *Strabo*, πάσης δ' ἄλλης φιλοσοφίας εὐπορίαν πολὺ πλείστην λαβεῖν ἔστιν ἐκ τούτων τῶν πόλεων. Loquitur autem de civitatibus Phœniciis. *Phœnices.* *Lib. 16.*

Quæ gens uspiam Reipublicæ literariæ incrementis tantum contribuit? Quæ tot inventorum gloriam sibi vindicare potest; aut latiùs, emissis coloniis, propagavit? Præterea, *Thales* & *Zeno*, duarum apud Græcos sectarum principes, Phœnices erant, aut à Phœnicibus oriundi. Neque minùs ad Phœnices, quàm ad Chaldæos & Ægyptios profectus est *Pythagoras*, ut scientias Mathematicas addisceret. Denique præceptor Pythagoræ, *Pherecydes*, in legendis *Porph. in vit. Pyth.*

dis *secretis Phœnicum libris*, sese exercuisse dicitur: sibiipsi præceptor simul & discipulus. Ità *Suidas*, αὐτὸν δε, οὐκ ἐσχηκέναι καθηγητὴν, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀσκῆσαι κλησάμενον τὰ Φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία. *Ipsum quidem*, de Pherecyde loquitur, *non habuisse præceptorem, sed sese exercuisse, comparatis mysticis vel reconditis Phœnicum libris.* In Phœnicum laudes non parum propendeo, sed illud unum tardiùs à me creditur, quod à *Strabone* fertur & à *Sexto Emperico*, Philosophum Phœnicem, dictum *Moschum*, *Atomorum* hypothesin, ante tempora Trojana, inveniisse; verba *Strabonis* hæc sunt, Εἰ δ' δεῖ Ποσειδωνίῳ πιστεῦσαι, τὸ περὶ τῶν ἀτόμων δόγμα, παλαιόν ἐστιν ἀνδρὸς Σιδονίου Μόσχου πρὸ τῶν Τρωϊκῶν χρόνων γεγονότος. Nec aliter *Sextus*, Δημόκριτός δε καὶ Ἐπίκουρος ἀτόμους (ἔλεξαν εἶναι τὰ τῶν ὄντων στοιχεῖα) εἰ μή τι ἀρχαιοτέραν ταύτῃ θετέον τὴν δόξαν, καὶ ὡς ἔλεγεν ὁ Στωϊκὸς Ποσειδωνίος, ἀπὸ Μόσχου τινὸς ἀνδρὸς Φοινικος καλλιγομβρίου. Vides rem totam in unius Posidonii fidem referri, & de hujus fide utrumque authorem subdubitare; cùm itaque *Atomorum* hypothesin invexisse *Leucippum* aut *Democritum* multò plures, & probatioris fidei testes affirment: & inter alios hujus ipsius *Posidonii* discipulus *Cicero:* his ego libentiùs assentior; maximè, cum idem *Cicero* huic philosopho *falsidici* notam adjicere non vereatur: *Quædam etiam Posidonius, pace magistri dixerim, comminisci videtur.*

*Voc. Φερεκυδ.*

*Adver. Mathemat. p. 367.*

*I. de Fato.*

Præterea non videtur mihi sapere indolem antiquissimorum temporum iste modus philosophandi per *hypotheses* & principiorum *systemata*; quem modum, ab introductis Atomis, statim sequebantur philosophi. Hæc Græcanica sunt, ut par est credere, & sequioris ævi. Durasse mihi videtur ultra Trojana tempora philosophia traditiva, quæ ratiociniis & causarum

cauſarum explicatione non nitebatur, ſed alterius generis & originis doctrinâ, primigeniâ & πατροπαραδότῳ. Denique in Phœniciâ *Sanchoniathonis* philoſophiâ nulla occurrit mentio aut memoria Atomorum vel dogmatis atomici; licèt de rerum ortu & mundi primordiis diſertè agatur, ubi maximè de hujuſmodi principiis tractandi locus eſſet. Quare his expenſis, credendum eſt potiùs à Poſidonio hoc dictum eſſe, aut negligenter, aut per invidiam; cùm non deſint in omni ævo qui Inventorum laudes ab authore recenti in antiquiorem rejiciant. Sed pergamus in propoſito.

Circa Theologiam aut Philoſophiam Phœniciam nihil ſupereſt, quod ſciam, præter illud excerptum ex *Sanchoniathone* quod conſervavit *Euſebius*, ex interpretatione *Philonis Biblii*. Ejuſdem etiam operis Phœnicii, & Interpretis Græci, meminit Porphyrius: qui Tyrius erat, patriâ linguâ dictus *Malchus*. Scripſiſſe dicitur Sanchoniathon ante tempora Trojana à Porphyrio & Euſebio; quibus aſtipulatur, in rebus Phœniciis verſatiſſimus, Bochartus. Quoad ingenium viri, ſi id rectè nobis depinxit Philo, aptiſſimum habuit ad Philoſophiæ ſtudium: dicitur, πολυμαθὴς καὶ πολυπράγμων, καὶ τὰ ἐξ ἀρχῆς, ἀφ' ἧς τὰ πάντα συνέστη, παρὰ πάντων εἰδέναι ποθῶν. *Multifariam doctus & curioſus, & præcipuè diſcendi cupidus ex quibus initiis, aut primordiis, omnia conſtituta ſunt.* Hoc primum maximumque Philoſophi officium eſt, in rerum Origines inquirere. Atque patet itidem ab hoc fragmento authoris, eum imprimis Κοσμογονίαν inſtituiſſe, ſumpto initio ab antiquo Chao. Dein Ἴλην primigeniam, tanquam materiam proximam aut ſeminarium ſtatuiſſe, unde proveniebant prima rerum ſtamina; earum ſcilicet quæ in ſuperficie telluris genitæ fuere. *Præp. Evangli. 1.*

Theor. Tel. li. 2. c. 7. Hæc doctrinæ nostræ prorsùs consentiunt, ut suis locis vidimus. Cùm verò hanc physiologiam, ἐκ τῆς κοσμογονίας ταύτης sumpsisse se fateatur, in sequentibus ubi de Ægyptiis tractabitur, plura quæ huc spectant adjiciemus.

Hæc suæ historiæ præmisit Sanchoniathon more Antiquorum; qui in historiis suis contexendis pedem referre solent ad prima rerum temporumque initia. Sed scripsit etiam seorsim plura philosophica, secundùm Suidam; nempe περὶ τῆς Ἑρμοῦ φυσιολογίας, & Αἰγυπτιακὴν θεολογίαν. Hæc si ad manus nostras pervenissent, circa doctrinam Phœniciam aut sapientiam Orientalem exigua aut nulla esset controversia. Desiderantur præterea qui res Phœnicias scripserunt, patrio sermone, *Theodotus*, *Hypsicrates* & *Mochus*; Quos Græcè transtulit, secundùm Tatianum, *Chæus*, vel *Lætus*. Mochum autem illum eundem esse suppono cum *Moscho* Strabonis, qui Atomorum dogma invexisse ferebatur. Cum Mocho conjungit Josephus *Hestiæum* & *Hieronymum Ægyptium*, rerum Phœniciarum Scriptores; Μωχός τε καὶ Ἑστιαῖος, καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερώνυμος, οἱ τὰ Φοινικικὰ συνταξάμενοι, συμφωνοῦσι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις: loquebatur autem de Diluvio & Antediluvianorum longævitate. Speciatim quoad Hieronymum, dicit eum conscripsisse τὴν ἀρχαιολογίαν τὴν Φοινικικὴν, *Phœnicum Archæologias*. Quæ apud antiquos, res etiam naturales complecti solent; idque hoc ipso specimine comprobatur. Alii sunt præterea rerum Phœniciarum scriptores; Hi autem in re nostrâ, hoc est Philosophicâ, maximè desiderari mihi visi sunt. Jam ad alias gentes pergendum.

Orat. contra Græ.

Ibid.

Li. 1. Antiq. c. 4.

CAP.

# CAP. VII.

## *De* Hebræis, *eorumq; Cabalâ.*

SUperſunt *Hebræi* & *Ægyptii*; Inter quos lis eſſe ſolet de primatu & antiquitate in re literariâ. Sed quem unquam Græcorum legimus adiiſſe Judæam ad capiendum ingenii cultum: quem non in Ægyptum deſcendiſſe? unde miratus eſt *Lactantius*, quod cum Pythagoras, & poſtea *Plato*, aliique *amore indaganda veritatis accenſi, ad Ægyptum, & Magos, & Perſas uſque penetrâſſent, ad Judæos tamen non acceſſerint.* Argumentum non obſcurum, Gentem iſtam, tunc temporis, literarum nomine non claruiſſe. Quoad Origines Judaicas, admodum ignotæ erant Gentibus: quare habiti ſunt Judæi à pleriſque, aut pro indigenis Ægypti, ex eâdem ſtirpe oriundis: aut pro inquilinis vilibus & nullius numeri. Nulla autem gens eſt, ex toto humano genere, cujus origo & primæva hiſtoria tam certò claréque nobis innoteſcit ac gentis Judaicæ. Quod ſacris literis & commentariis *Moſaicis* integrè debemus. *Inſt. li. 4 c. 2.*

Quùm autem omnes antiquæ gentes, ſaltem ex ſententiâ noſtrâ, ſapientiæ cujuſdam reconditæ cuſtodes eſſent, hæc etiam inter Hebræos quærenda eſſe videtur. Notum eſt verò in diſciplinis Mathematicis aut Philoſophicis nunquam præcelluiſſe hanc gentem, neque in cæterarum artium ſtudiis, aut id genûs ullo humani ingenii eximio fœtu. Unde illud

*Joſ. cont. Apion. l. 2.* acerbè dictum ab *Apollonio*, Judæos ἀφυεςάτους εἶ τῶν Βαρβάρων. Καὶ διὰ τοῦτο, μηδὲν εἰς τὸν βίον ἐυρημα συμβεβλῆσθαι μόνους. *Barbarorum eſſe ineptiſſimos: ideoque ſolos illos, nullum inventum vitæ utile, peperiſſe.* Quæ autem apud ipſos erant Scholæ & Academiæ priſtinæ, non tam ad Encyclopædiæ ſtudia, ut ſolent hodiè, formatæ & compoſitæ erant, quàm ad religionis inſtituta, & dona prophetica imbibenda. Nulla enim gens per terrarum orbem, nullus populus, tantùm abundabat Prophetis, ac viris cœleſti ſpiritu tactis, quantùm Judæi: ut ipſi ſolo & climati vis aliqua divina inhæliſſe videretur. At præter illa effata & oracula divina, aiunt ſe conſervâſſe, à temporibus *Moſis*, vel etiam ipſius *Adami*, Doctrinam quandam arcanam, dictam *CABALAM*, quæ utriuſque mundi myſteria recludit, naturalis & invifibilis; atque omnium gentium, tam antiquam ſapientiam, quàm novam eruditionem, ſuperat.

Vid. *Seph. Cefri.*

Reſtat igitur id unicè quærendum quoad literaturam Judaicam, ſiquid ſolidi & ſinceri extet hodiè, aut unquam extiterit, de hâc doctrinâ Cabaliſticâ: Dico, *aut unquam extiterit*; quanquam enim dubitare non liceat *Moſem* fuiſſe virum ſapientiſſimum, & arcana naturæ ac divinæ providentiæ percalluiſſe; quantum tamen hujus arcanæ cognitionis Iſraelitis impertiverit, incertum eſſe videtur. Certúmque eſt, id, quantumcunque fuit, ex illo tempore multis modis depravatum eſſe; & ſub nomine *Cabalæ*, varia ingeniorum figmenta, & nugaces methodos eruendi, neſcio quæ, myſteria, à malè feriatis Rabbinis, ſuis diſcipulis quotidiè obtrudi.

Quamobrem qui tentare cupiunt, ſiquid ſuperſit incorrupti in Cabalâ Judaicâ, atque à genuinis ſpuria, à veris fictitia ſecernere vellent, oportet eos amputare,

amputare, *primò*, Cabalam illam Literalem, vel Numeralem, vel Grammaticam; quæ ex literis Alphabeti, Divinorum nominum, aut vocabulorum in ſacrâ ſcripturâ, neſcio quos ſenſus arcanos condere & contexere ſatagit. Sed hujuſmodi luſus & argutiolæ longè ſubſidunt infrà dignitatem ſpiritûs ſancti; quem non tantùm eorum conſcium, ſed & artificem eſſe, ſi pro veris habeantur, oportet ut ſupponamus. Secundò, Magica omnia & ſuperſtitioſa reſecanda ſunt; quæ ex abuſu Cabalæ prognata, cum eâ ipsâ jam ſæpiùs permiſcentur. Tertiò, notiones vulgares verbis non vulgaribus prolatæ, non ſunt habendæ pro verâ Cabalâ. Hoc vitium irrepſit in omne genus literaturæ myſticæ, ſub larvâ alicujus *numeri, ſymboli, vocis barbaræ, figuratæ aut fictitiæ*, res communes & vulgò notas, cum magnâ pompâ proponere. Quod facile videre eſt in nonnullis ſymbolis Pythagoricis, Ægyptiorum hieroglyphicis, Hermeticorum barbariſmis, & Cabaliſtarum quandoque philoſophematis. Hiſce autem omnibus reſectis, exiguum eſt quod ſupereſt de Cabalâ Judaicâ; cujus jam partes & formam paulatim videamus.

Cabalam igitur, docendi gratiâ, in *Nominalem* & *Realem* diſtinguimus. Hæc res ipſas propiùs attingit, licet obſcuriuſculé. Altera, ut dictum eſt, occupatur tota in uſu myſtico literarum, nominum, & numerorum: adeóque, ex notis Alphabeti, nominibus Dei, ſacri textûs literis, ſyllabis, & dictionibus: numeris denique & numeralibus, myſteria ſua exculpit. Nominalis illa diſtinguitur in tria genera: quæ ſolent appellari *Gematria*, גִּימַטְרִיָא: *Notarikon*, נוֹטָרִיקוֹן: *Themura*, תְּמוּרָה: Vocabula, quæ plus ſatis novitatem olent: totumque artificium arguunt figmenti humani. *Gematria* eſt, quæ, cùm

diverſæ

diversæ dictiones eundem numerum literis suis exprimunt, unam per aliam secreto modo explicat. *Notarikon*, quo, alicujus vocis aut vocabuli singulas literas, totidem dictiones integras, alterius significationis, connotare observatur. *Themura* denique, est ars transmutandi dictionem unam aut plures, in alteram aut alias plures, per literarum transpositionem. Harum rerum exempla habes apud omnes authores qui hanc materiam tractant: (*Capnionem*, *Schinlerum*, *Rittengelium*, *Hottingerum*, alioſque innumeros:) quæ si perscriberem, lectori essem fastidio. Sed ne forsan injuriâ videar hanc culpam aut has ineptias affingere Judæis, unicam periodum ex *Reuclino* adjiciam, unde satis patebit, quale sit hoc artificium Cabalisticum: tantique id facere Judæos, ut exinde repetendam esse censeant omnem sapientiam, tam *Mosis* quàm *Solomonis*. *Dixit Ramban in Geneseos exordio, quod ejuscemodi omne Mosi traditum per portas intelligentiæ, contentum est in lege divinâ Judæorum, vel sensu literali vel allegorico, per dictiones, vel Arithmeticas supputationes, vel Geometricas literarum figuras, sive descriptas, sive transmutatas: vel harmoniæ consonantias ex formis characterum, conjunctionibus, separationibus, tortuositate, directione, defectu, superabundantiâ, minoritate, majoritate, coronatione, clausurâ, aperturâ, & ordine, resultantes. Et per illam legem à divino spiritu adeptus est Solomon omne quod noverat, & sapientiam super sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum.* En fontes sapientiæ Cabalisticæ. Hæc & hujusmodi, apud nos, sunt puerorum studia & deliciæ. Referunt enim maximè Anagrammata, & Chronogrammatismos, & ejusmodi ludicra, qualia sciolis & semidoctis permittimus, sed nunquam in censum veniunt sanæ literaturæ aut sapientiæ.

*Cab. l. 3.*

entiæ. Illud præterea vitio vertendum eſt his δοκησισόφοις, quod in rebus ſacris hoc modo ludant & ineptiant. Materiam tenuem & vulgarem quovis modo tractare, diſcerpere, convellere, dilacerare, tranſponere, animi exercendi gratiâ haud vetitum eſt; ſed textui ſacro, nominibuſque Dei, oportet adhibere reverentiam: In his tamen duobus potiſſimùm artem ſuam nugatoriam exercere ſolent. Quoad nomina divina, in iis latere myſteria, aut vim ſingularem, ſemper ſtatuerunt Cabaliſtæ; Tria autem potiſſimùm ab iis celebrantur Dei nomina, nomen *Tetragrammaton*, nomen *duodecim Literarum*, יהוה & nomen *quadraginta duarum literarum*. Quoad nomen *Tetragrammaton*, notum eſt ei ſanctitatem quandam & venerationem Judæos univerſim ſemper tribuiſſe, ideóque non à populo, ſed à Sacerdote tantùm: & non niſi in ſanctuario, idque tempore ſolenni, hoc nomen prolatum fuiſſe. Denotat, ut aiunt, ipſiſſimam Dei eſſentiam, qualis eſt in ſeipſo, ſive in ſtatu ante mundano, præcedenter ad omnia ipſius opera externa; ideóque vocari, ut ait *Maimonides*, *Schem Hammephoraſh Nomen expoſitum, quià clarè & citra ullam æquivocationem, de ſubſtantiâ creatoris docet.* שם המפורש Mor. Nev. par. 1. c. 16. Reliqua autem Dei nomina aliquam virtutem aut excellentiam divinam connotant, ad opera externa referendam. Quoad alia duo nomina, *duodecim, aut quadraginta duarum literarum*, quid ſint, nullibi memoratur. Sed neutrum eorum fuiſſe unicum vocabulum, at ſententiam, aut ſententiolam, quæ totidem literis conſtabat, rectè videtur notaſſe idem *Maimonides*. Denique, quæcunque ſub hoc capite occurrunt apud Cabaliſtas, ultra ea, quæ commentatus eſt *R. Moſes Maimonides de nominibus Dei eorumque poteſtate*, pro fictitiis aut pſeudomyſticis habeo, Ib. c. 61. 62.

habeo, quibus immorari haud operæ pretium eſſet.

His ita notatis de Cabalâ Verbali, æquum eſſe videtur hanc partem, tanquam membrum inutile aut malè ſanum, amputare à cætero corpore. Atque alteram Cabalam, ſive Cabalæ partem, quam diximus *Realem*, ad examen rationis adducere: Duo ſunt in Cabalâ Reali, præ cæteris, ut mihi videtur, inſignia Capita: Doctrina *Sephiroth*, & doctrina *Quatuor Mundorum*, vel Syſtematum. Hæc utramque paginam faciunt, & ubique celebrantur in illâ philoſophiâ myſticâ: ab his igitur, tanquam exemplis primariis, quid de reliquis, minoris notæ, ſtatuendum ſit, facilè judicabimus.

*Sephiroth* Cabaliſtica ſunt decem: & in tabulis ſuis diſponuntur variis modis; quandoque per modum columnarum, quandoque circulorum, quandoque ſub formâ & lineamentis humani corporis, quandoque aliter. Nomina autem ſunt, *Kether*, *Cochma*, &c. Neque refert quo depingantur modo.

*Vid. Apparat. in Lib. Zohar part. 4.*

| | |
|---|---|
| Sephir. 1. כתר Corona. | 6. תפארת Pulchritudo. |
| 2. חכמה Sapientia. | 7. נצח Victoria, vel æternitas. |
| 3. בינה Prudentia. | 8. הוד Gloria. |
| 4. גדולה vel חסד Magnificentia, vel benignitas. | 9. יסוד Fundamentum. |
| 5. גבורה Severitas. | 10. מלכות Regnum. |

En

En decem Nomina aut Voces, quas *Sephiroth* appellant, & ubique crepant Cabaliſtæ; ſed quæ notio, qui ſenſus ſubeſt ſingulis, parùm conſtat. Communis ſignificatio horum vocabulorum ſatis nota eſt: hoc autem in loco neſcio quid magni & ſacroſancti involvunt, aut involvere creduntur: ac ſi omnis ſapientiæ, tam divinæ quàm humanæ, theſauri, hiſce decem capſulis abſconditi laterent. Aperi, quæſumus, Theſauros tuos, Myſta Cabaliſtice, ut quid intus ſit, videamus; primâ enim facie nihil præ ſe ferunt ſingulare aut eximium. Viſne ut hæc ſint totidem rerum claſſes & ſumma genera, quas vulgò appellant Categorias? Sed nimis recens eſt illa doctrina, neque ad hæc capita revocari poſſunt rerum omnium cognitarum ordines & multitudo. Viſne *Platonicam* Triadem, vel etiam Chriſtianam hìc occultari? Sed non reſpondet numerus, neque illud dogma recipiunt Judæi. Vis denique alias naturas divinas, & numero plures, hìc intelligi? vel divinas & humanas, ſimplices & compoſitas, ſuperiores & inferiores? Fac tantùm ut innoteſcat vis cujuſque Sephiroth clarè & diſtinctè, nos paratos invenies ad amplectendam veritatem, à quocunque fonte profluentem.

Conſulamus igitur, ſi libet, harum Tabularum Expoſitores: atque etiam Lexica Cabaliſtica; ut diſcamus, primò, quid ſibi velint *Sephiroth* in genere & complexim: Dein de ſingulis quæramus, Quid Nomen cujuſque, Quid notio & natura ferant. Per Sephiroth in genere, eorumque gradus, *Emanationes* rerum à Deo, qualeſcunque & qualitercunque, intelligere videntur. Dico *qualitercunque*, nam indiſtinctè & confusè hæc omnia efferunt; & non tantum Sephiroth, ſed etiam *Mundum Aziluthicum*, de

quo postea: & *Adam Cadmon* quod appellant, aliaque, per modum emanationis à Deo provenire statuunt. Sephiroth autem dicuntur, sive Numeri, (ex nonnullorum interpretatione) *respectu Infiniti*; *sicut enim ab Uno numerali profluunt omnes numeri, ita Sephiroth emanârunt ab uno primo Infinito.* Hæc præterea nuncupant *Ideas* & *Exemplaria* sapientiæ divinæ, & operationis divinæ media aut instrumenta: cum aliis innumeris characteribus incerti significatûs, in quibus repetendis horas malè collocarem. Quare id potius dispiciendum, si in singulis seorsim explicandis quicquam nos clarius doceant.

*Port. Cæl. diss. 8. c. 8.*

כתר Primum Sephiroth est *Kether, Corona:* De quo, si *Lexicon Zohar* consulamus, pauca dicuntur, & frigidè. *Sicut corona*, inquit, *est suprema omnium vestium corporis, sic hic modus summitas est Aziluth, vel circumscribit Aziluth.* *Expositoris* autem Tabulæ Sephiroticæ hæc sunt Verba: *Prima Sephirah est circulus Arick Anpin*, i.e. *Longâ facie præditi, seu Longammi, & coronæ summæ, quam denotat apex literæ jod nominis Tetragrammati. Hæc circa ima emanationis suæ vocatur Longus & Non-ens, circa summa verò Infinitum: In medio habet tria capita, propter quæ dicitur Antiquus Dierum.*

Ne scintillam quidem lucis hìc video. Obscura per obscuriora, Dubia per ambigua: dum explicari dicuntur, plurium rerum incertarum accumulatione magis obfuscantur. Sed quò nihil desit aut desideretur in suâ explicatione, varia cognomina & subalternas notiones ejusdem Sephiroth, subnectit Author, his verbis: *Cognomina & subordinata hujus Sephiræ*, sunt, 1. *Lux: nam* אין סוף *Infinitum, &* אור *Lux, numeris æquipollent.* 2. *Causa causarum.* 3. *Color niger.* 4. *Lorum Phylacterii capitis dextrum.* 5. *Ehjeh.* 6. *Fons*

*sine*

*ſine fundo.* 7. *Miſericordiarum Pater.* 8. *Aleph magnum.* 9. *Timor domini.* 10. *Lux inacceſſibilis.* 11. *Dies Æternitatis.* 12. *Privatio.* 13. *Mens.* 14. *Tredecim oracula miſericordiæ.* 15. *Hic, Ille.* 16. *Nihil.* 17. *Oriens.* 18. *Caput album.*

En octodecim notas & characteres primi Sephiroth, ad illuſtrandum ipſius naturam & virtutes. Ego verò ingenuè fateor, per hæc additamenta aut appendices me nihil plus ſcire aut ſapere. Hoc certè ſcio, Rem quampiam malè definiri aut explicari per metaphoras, allegorias, aliaſque locutiones figuratas: multò magis per rationes ſibi invicem oppoſitas & repugnantes. Aiunt autem, ut vides, hoc primum Sephiroth eſſe *Album*, *Nigrum*, *Lucem*, *privationem*, *Nihil.* Ecquiſnam hinc inſtructior eſt à doctrinâ primi Sephiroth? aut certior factus quid negat, quid affirmat, quid in ſe continet? vera ſint an falſa, quæ nos docet, aut docere videtur?

Quare cùm in hoc primo tentamine nihil profecerimus, age, experiamur, ſi placet, in ſecundo Sephiroth: ſi forte illic apertiùs ſeſe explicent Cabaliſtæ. Secundum Sephiroth dicitur *Cochma, ſapientia.* חכמה *Cochma*, inquit Lexicon Zohar, *eſt initium actuatæ Idealitatis: Caput & principium Aziluth.* Præterea, in doctrinâ metallicâ, inquit, *Cochma eſt gradus plumbi, vel ſalis primordialis, in quo latet plumbum ſapientum.* Proſit tibi, Lector, hoc quicquid eſt commentarii, mihi quidem inutilis. Expoſitorem præterea conſulamus, de cognatis & adjunctis hujus Sephiroth. *Cognomina & ſubordinata Cochma*, inquit, *ſunt*, 1. *Jah.* 2. *Jod Tetragrammati.* 3. *Principium.* 4. *Primogenitura.* 5. *Voluntas.* 6. *Terra viventium.* 7. *Jeſch, Ens ſeu Eſſentia.* 8. *Lux primitiva.* 9. *Triginta duæ Semitæ Idearum.* 10. *Septuaginta legis ſpecies.*

11. *Bellum.* 12. *Judicium.* 13. *Amen.* 14. *Liber.* 15. *Sanctum Sanctorum.* 16. *Informe.* 17. *Profundum cogitationis.* 18. *Cogitatio.* 19. *Formido.* 20. *Eden.* 21. *Olei unctionis scaturigo.* 22. *Vinum asservatum ab orbe condito.* 23. *Quis.* 24. *Membrum virile summum.* 25. *Verbum, seu Oratio.*

Deus bone, Quæ strues rerum & verborum! sine calce & arenâ: sine nexu, sine ordine, sine cognatione. Locutiones tralatitiæ, peregrinæ, obtortæ. Expositiones promittunt, afferunt ænigmata, aut vaga somnia: & dum se profitentur interpretes, cæcis ambagibus argumentum confundunt. Quid aliud hoc est, quàm ludibrio habere mentem humanam? & pro veritate solidâ, rerum umbras aut nuda figmenta proponere. Si bonâ fide nobiscum agere velint Doctores Cabalistici, tam in hac suâ Decade Sephiroticâ, quàm in suo Mundorum quaternione, iis duo peragenda sunt; Dicendum primò, quas sequantur rerum notiones generales: Quæ principia, & prima fundamenta cognitionis; nisi enim in his conventum fuerit, de reliquis, quæ ab his dependent, frustra disceptabitur. Nos consuetas & ubique receptas rerum rationes amplectimur, & quæcunque cadunt in conceptum humanum distinguimus, primò, in Creatum & Increatum, Finitum & Infinitum. Creatum autem quodcunque, vel est substantia, vel modus substantiæ, vel relatio. Substantia item dividitur in Corpoream & Incorpoream: atque hæc denique in suos ordines & gradus. Hæc est communis semita, seu potiùs scala intellectûs humani, quâ ab imis ad summa ascenditur, atque itidem descenditur à summis ad ima. Quicquid percipimus, intra hos limites continetur: Quoties igitur definiendum est aliquid & circumscribendum, reducitur primùm

ad

ad ſuum locum in hâc ſcalâ, quaſi ad ſuum genus & familiam. Dein, iis ſignatur proprietatibus, quibus ab aliis ſui generis diſtinguitur. Unde oritur notitia illius rei diſtincta, & à cæteris omnibus ſeparata.

Præterea, Quùm in omni arte aut ſcientiâ ſint quædam vocabula, aut prorſus nova, aut proprii ſignificatûs, ab uſu quotidiano alieni: ne novo Lectori fraudem faciant, ſolent docti, in ſingulis ferè diſciplinis, Lexica aut Gloſſaria componere: ubi dictionibus notis & explicitis, minùs notarum ſenſus & propoſitum exprimitur. Hâc methodo perinde utendum erat Doctoribus Cabaliſticis, ut de eorum ſententiâ conſtaret. In omni enim ſcientiâ, ut de principiis & notionibus ſummis, ità ſecundò de verbis, eorumque uſu & acceptione, conveniendum eſt. Duo igitur, ut diximus, deſiderantur in philoſophiâ Cabaliſticâ, ut, ſiquid valeat, necne, dijudicemus: primò, principiorum notitia & conſenſus, ſive Scala Logica, ut ità dicam, rerum & notionum: Dein Gloſſarium, de vocum & verborum expoſitione.

Sed ut pergamus in propoſito examine: Placetne ut tertium Sephiroth ordine jam proſequamur? Et dein quartum, quintumque, & ſic deinceps. Sed quo duce? aut quo fructu? Hactenus enim operam luſimus in hoc ſtudio, & apud hos interpretes: Neque clariora nobis ſuppeditant documenta in ſequentibus, ſed quo magis deſcenditur ad inferiora Sephiroth, eo magis inter nebulas & caliginem ſeſe abſcondunt. Vereor igitur nè tædio eſſem Lectori, ſi in his tenebris errantem diutiùs retinerem. Pergamus potiùs, ſi libet, ad alterum caput hujus doctrinæ Cabaliſticæ, quod de *Quatuor Mundis* inſtituitur: & periclitemur iterum, ſi forte in hac parte

parte diſquiſitio noſtra magis ex animo ſuccedat.

Quatuor Mundi Cabaliſtici ſunt, *Aziluth* (אצילות), *Briah* (בריאה), *Jetzirah* (יצירה), *Aſhiah* (עשייה), Qui reddi ſolent *Mundus Emanationis, Creationis, Formationis, & Fabricæ vel Factionis.* Et in horum ſummitate collocant *En-Soph* (Infinitum) ſive, ut alii appellant, *Mundum Enſophicum:* cæterorum omnium primam radicem. Sed quæ nova Syſtemata, inquis? Quos novos mundos, inviſos & inauditos antea, nobis affers? Mundum Increatum ſive Idealem, creatumque agnoſcimus: atque hunc partiri ſolemus in Corporeum & Intellectualem: Neque ullus præterea rerum univerſarum ordo cadit in cogitationem aut intelligentiam humanam. Audiamus utcunque quid philoſophantur Cabaliſtæ, de naturâ, formâ, aut apparatu horum mundorum.

Quoad mundum *Aziluthicum*, Lexicon Zohar explicat, ſuo more, tam in genere, quam in ſpecie, quid *per Aziluth* intelligendum ſit; & ne Lectorem fraudare videamur quocunque lumine, utrumqne apponendum duximus. *Aziluth eſt ſyſtema emanantium. Evacuato primùm loco pro mundis, non contingebant ſe Lux infiniti ambiens, & Lux vacuo immiſſa: Sed Lux infiniti in vacuum illud influebat per lineam, canalemve quendam tenuem. Illaque Lux eſt principium Emanativum atque Emittens: Lux autem quæ intra vacuum eſt,* eſt *principiatum Emanans; Quæ duo non cohærebant, niſi mediante ſupradictâ lineâ.* Dein *Aziluth* in ſpecie, inquit, *denotat ſyſtema primum è quatuor Olamoth: quod exinde Aziluthicum dicitur: quale nimirum reperitur poſt factam Reſtaurationem,* (*quam* תיקון *dicunt*) *de quo nota ſequentia. Decem Sephiroth ſyſtematis Aziluthici generalis,*

*ralis, ſunt decem* נקודות *ſeu puncta, quæ primùm prodierunt è vaſis, ad fracturam tendentibus: ex iſtis facta eſt Reſtauratio. Ex primo enim puncto facta eſt corona Aziluthica, quæ vocatur Arich Anpin: ex ſecundo & tertio, Abba ve Imma: ex ſex ſequentibus, redintegratus eſt Seir Anpin: & ex ultimo formata eſt uxor ejus.*

Manet adhuc mihi incognitus hic mundus Aziluthicus, non obſtante hâc explicatione generali & ſpeciali. Id tantum capio, per *Emanationem* factum fuiſſe ex ſententiâ Cabaliſtarum: ut à fonte flumen. Sequitur Mundus *Briathicus* ſive *Briah:* quod aiunt accipi vel de creatione hominis: ob multas rationes myſticas, quas piget recitare; vel de *creatione mundi factâ per converſiones & rotationes literarum* אלבם & אתבש, *& per unam & ducentas triginta portas, ſeu modos combinatorios.* Gentem cerebroſam! quæ ex conjugatione literarum & ſyllabarum, ludendo mundos efficit, ut pueri domunculas ex chartis.

Tertius Mundus *Jetzirah*, in libro ſic dicto, interprete *Rittangelio*, eſt mundus Angelorum; vel, ut inquit ille, *Decem mundi Angelorum qui abſconditi ſunt ab oculo intellectûs corporeo.* Author *Philoſophiæ Cabaliſticæ* per mundum *Jetzirah* intelligit ſubſtantias in *ſubjecto productas, ſive Angelos corporibus Ethereis indutos.* Aitque ſe ore tenus à Magiſtro ſuo, R. *Iſraele Serug*, accepiſſe, *quod naturæ Jetzirathicæ conſtent è ſpiritibus Briathicis, & corporibus Aſhiathicis.* Per Mundum autem *Aſhiathicum*, ſive mundum *Fabricæ*, intelligunt mundum aſpectabilem corporeum. Neque de eâ re lis erit aut controverſia.

En quatuor Mundos Cabaliſtarum: quorum inferiores agnoſcimus, ſuperiores autem ultra omnem oculorum aut mentis aciem elati, in vacuis ſpatiis & regionibus ſupermundanis abſconduntur. Abſconduntur, inquam: neque enim aut ſuâ luce patent, aut mutuatitio lumine commentatorum. Tam Authores, quàm Interpretes, rerum umbris decepti, errores ſuos novorum verborum fuco obducunt. Quæcunque intelligimus ipſi clarè & diſtinctè, libenter aliis exponimus, modo intelligibili: Sed cùm ſcientiam myſticam affectamus, fingimus myſteria ubi nulla ſunt, vel ſonoris & ambiguis verbis aliquid magni ſubeſſe: idque nos capere quidem, ſed nolle tam ſacra in vulgus ſpargere: credulis perſuademus. Quamobrem, qui latibula quærunt, & ſibi metuunt ab apertâ oratione, ſemper mihi ſuſpecti ſunt de ineptiis, vel impoſturis. Denique, ut finem faciam, inter legendum hujuſmodi ſcripta, Cabaliſtica, Theoſophica, Hermetica, & omne genûs Pſeudo myſtica, ſæpe mihi redeunt in mentem verba Chriſti, (*Joh.* 3. 19, 20, 21.) *Dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem, quia ſunt illorum opera mala. Quiſquis enim quæ mala ſunt, agit, odit lucem: nec venit ad lucem, nè arguantur opera ipſius. Qui verò dat operam veritati, venit ad lucem, ut manifeſta fiant opera ipſius, quòd ſecundum Deum facta fuerint.* Non neſcio, hoc dictum mores hominum reſpicere & vivendi rationes: Sed non minùs quadrat in ementita veritatis ſtudia, eoſque reprehendit tenebriones, qui, ſubdolis artibus, claræ rationis examen fugiunt.

Hactenùs duo præcipua capita, vel fundamenta, Cabalæ Judaicæ perſtrinximus. Sunt prætereà multa alia, his quidem minoris notæ, ſed tamen, apud Myſtago-

Myſtagogos iſtos, non exigui nominis. Cujuſmodi ſunt *Triginta duæ ſemitæ ſapientiæ:* de quibus tractat Liber *Jetzirah*, cum ſuo commentario. Dein *Quinquaginta Portæ prudentiæ:* per quas *Moſes*, ut aiunt, mirandam ſuam ſcientiam adeptus eſt, & in ſuo Pentateucho abſcondidit, artificio Cabaliſtico eruendam. Denique multa & præclara myſteria jactant ſub titulis *Adam Kadmon, Seir Anpin, Arick Anpin, Attika*, cum multis aliis. Sed me tædet pudetque difficilium nugarum. Et quò te earum etiam tædeat, ingenue Lector, ante oculos tibi ponam Libri nuperi Cabaliſtici titulum, qui ferè omnes in ſe complectitur. Scriptus eſt à *R. Abrahamo Cohen, Irira*, ad exponendam Cabalam, ſub hoc titulo: שער השמים *Porta Cœlorum. In quo Dogmata Cabaliſtica de En ſoph, Adam Kadmon, Zimzum, Quatuor Mundis, Nomine Tetragrammato, Revolutionibus Alphabeticis, Avvir Kadmon, Perſonis Attik, Arich, Abba Viemma, Seir Anpin, & uxore ejus. De Luminibus Cranii, oculorum, aurium, narium, oris, in Adam Kadmon: De partibus Animæ: Literis Tetragrammati: Quaternario, Denario, Sephiris, numeris, menſuris, Pulchris, Veſtimentis, confractione & lapſu Vaſorum, naturâ Vaſorum, Radiorum, Lucis ambientis & internæ: De differentiis localibus in Sephiris, & de eo quod dicitur Longum, Latum, & Profundum in Sephiris: De deſcenſu Animæ in corpus, De Sephiris, Akudicis, Necudicis, Berudicis: De reſtitutione vaſorum, De conceptione, generatione, infantiâ, adoleſcentiâ & uſu rationis τῦ Seir Anpin: De Bilance: De ſuperintectione, vel involutione perſonarum intra ſe invicem, crinibuſque capitis & barbæ*, &c. *Philoſophicè proponuntur & explicantur.* Perlecto hoc titulo, inſpectiſque capitibus, facilè dices, opinor, cum Apoſtolo: de Judæis non minùs quam de Gentibus: Rom. 1. 21.

ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. *Vani facti ſunt in cogitationibus ſuis.*

Quin, obſecro, ne graveris, Amice Lector, ſi unico adhuc exemplo Cabaliſtarum ingenium oſtentemus. Prodiit, haud ita pridem, Liber dictus *Cabala Denudata:* Opus laborioſum; in cujus Tomo ſecundo continentur aliquot Tractatus Libri *Zohar:* inter Cabaliſticos antiquiſſimi, & authoritate maximi. Author hujus Libri dicitur R. Schimeon Jochaides, circa tempora excidii Hieroſolymitani. Hunc referunt vixiſſe duodecim annos in ſpeluncâ, ab omni hominum commercio ſegregatum. Ut haberet autem quo veſceretur, creatam fuiſſe in ſpeluncâ Arborem ſiliquiferam, atque fontem Aquæ: Dein, ne veſtes deterererentur, nudum ſediſſe in arenâ, ad collum uſque demerſum, atque ità totâ die ſtuduiſſe. Horum ſtudiorum fructus eſt Liber *Zohar:* in quo antiqua Cabala reviviſcit, & læta myſteriorum ſeges.

Tractatus autem *Zohar* qui hìe exhibentur, ſunt, primò סִפְרָא צְנִיעוּתָא *Liber Occultationis vel myſterii.* Secundò, הַאזִינוּ רַבָּא *Synodus magna.* Tertiò, הַאזִינוּ זוּטָא *Synodus minor:* cum aliis nonnullis. Exiguus eſt tractatus primus, qui, in ſecundo, fuſiùs explicatur: dein Tertius eſt utriuſque ſupplementum. Non eſt mihi animus hos tractatus ad examen revocare, ne læſæ patientiæ à Lectore accuſarer: ſed in ſecundo, tertioque, qui uberiores ſunt, Editor appoſuit titulos ſingulis capitibus, unde materiam cognoſcere, & pretium cujuſque æſtimare licebit. Tractant in genere de *Macroproſopo* & *Microproſopo:* & ſpeciales tituli *Synodi magnæ hi ſunt.*

*Sect.* 1. Ingreſſus & præloquium.
*Sect.* 2. De ſtatu mundi Inanitatis.
*Sect.* 3. De Macroproſopo, & partibus ejus: In ſpecie de Cranio.
*Sect.* 4. De rore ſeu humiditate Cerebri Macroproſopi.
*Sect.* 5. Ulteriora de cranio Macropr.
*Sect.* 6. De Meninge Macropr.
*Sect.* 7. De Capillis Macropr.
*Sect.* 8. De fronte Macropr.
*Sect.* 9. De oculis Macropr.
*Sect.* 10. De naſo Macropr.
*Sect.* 11. De Barbâ Macropr. in genere.
*Sect.* 12. De parte primâ barbæ.
*Sect.* 13. De parte ſecundâ barbæ.
*Sect.* 14. De parte tertiâ.
*Sect.* 15. De parte 4tâ.
*Sect.* 16. De parte 5tâ.
*Sect.* 17. De parte 6tâ.
*Sect.* 18. De parte 7mâ.
*Sect.* 19. De parte 8vâ.
*Sect.* 20. De parte 9nâ.
*Sect.* 21. De parte 10mâ. & 11mâ.
*Sect.* 22. De parte 12mâ.
*Sect.* 23. De parte 13tiâ.
*Sect.* 24. Concluſio de Macroproſopo.

Dein de *Microproſopo.*
*Sect.* 25. Ingreſſus de Microproſopo.
*Sect.* 26. De Regibus Edomiticis.
*Sect.* 27. De cranio Microproſopi, Et dein in duodecim ſequentibus ſectionibus cæteras partes Micropr. proſequitur, ad
*Sect.* 39. De corpore Micropr. in genere, ſub ſtatu Androgyneitatis.
*Sect.* 40. De parte fœminâ Micropr.
*Sect.* 41. De membris utriuſque perſonæ ſeparatis.
*Sect.* 42. De diſſectione maſculi & fœminæ, & copula eorum.
*Sect.* 43. De Judiciis.
*Sect.* 44. De homine ſuperno.
*Sect.* 45. Concluſio.

Hæc sunt capita Libri *Idræ*, *Synodi* nempe majoris. Sequitur tertius tractatus *Synodi* minoris, qui eadem ferè capita prosequitur per modum auctarii. Extat præterea in hos tractatus commentarius Cabalistæ, inter recentiores celeberrimi, *R. Iizchak Lorjæ*. Atque alter è scriptis *R. Naphthali Hirtz*. Omnes tenebras & obscuritates argumenti, per hæc lumina excussum iri, meritò quis speraret. Sed res malè respondet: Luditur adhuc in Ambiguis: neque ab Authore primo, neque à commentatoribus definitur quis sit iste *Macroprosopus*, quis *Microprosopus*, quos toties crepant: dissecantque, ut vides, usque ad decimam tertiam particulam Barbæ. Sed de Barbâ si
P. 71. quæras, respondet abundè R. Loria, *Barba Macroprosopi est gloria & decus corporis superni. Ejus autem pili dicuntur duri, propter magnum diffluxum luminis in Microprosopum. Et sicut ex parte cervicis Patrem & Matrem contegunt tredecim cincinni capillorum alborum, qui dependent à capite Macroprosopi usque ad diaphragma: ut inde fiant capilli Microprosopi ex allisione luminis: ità per mysterium istius barbæ, demittentis radios suos, omnes copulæ fiunt per duas influentias ejus, superiorem & inferiorem, quæ sibi invicem superincumbunt, seu duo barbæ apices, ad foveam pectoris usque, ad instar maris & fœminæ; quæ copula inferiores tunc fiunt virtute luminum & cerebrorum, quæ ipsis tribuuntur per hanc barbam.* Dein *Microprosopi* barba à *R. Naphthali* ita describitur, *Barba Microprosopi fit ex novem numerationibus, sapientiâ, intelligentiâ,* &c. *quæ ingrediuntur per novem triades, victoriæ, Gloriæ, & Fundamenti Matris, in quibus semper existunt victoria, gloria, & fundamentum Patris. Et intrant in novem Numerationes ipsius Microprosopi, & ex illis quoque fiunt novem partes barbæ Sanctæ Microprosopi.*

Hæc

Hæc de Barbâ & Barbulâ. Si præterea de *naso*, de *cranio*, cæterisque partibus interrogentur, præclara itidem respondent, & ab omni intelligentiâ humanâ non minùs aliena. *Cum ratione* quandoque *insanimus* omnes: sed est morbus animi Orientalibus communis, *cum Allegoriis insanire*: & Judæis proprius, *cum suâ Cabalâ*. Quis enim novit, si clarè & apertè proposita esset Doctrina Cabalistica, an risum moveret vel admirationem. Id certè constat, vel res ipsas, vel modum proponendi esse ridiculum.

Sed quid tandem, inquies, omnibus perpensis, de Hebræorum Cabalâ statuendum erit? Nil habet arcani sensûs: nil sapientiæ reconditæ: neque olim habuit? Rabbinorum cordatissimus, *Moses Maimonides*, ait, Olim fuisse apud Hebræos de rebus divinis multa mysteria, sed periisse: vel injuriâ temporis, & repetitis Gentis istius calamitatibus: vel ex eo quòd prohibitum fuit mysteria divina scriptis consignare: Sed audiamus, si placet, ipsius verba Latinè. *Scito multas egregias sententias, quæ in gente nostrâ olim fuerunt, de veritate istarum rerum, partim longinquitate temporis, partim infidelium & stultorum populorum in nos dominatione: partim etiam quòd non cuivis (sicut exposuimus) concessa erant mysteria, periisse, & in oblivionem devenisse. Nihil enim permissum erat literis mandare, nisi ea quæ in Libros sacros digesta & relata erant. Nôsti enim Talmud ipsum inter nos receptum, olim non fuisse in certum Librum digestum, propter rationem istam, quæ tum passim obtinebat in gente nostrâ: VERBA QUÆ DIXI TIBI ORE, NON LICET TIBI SCRIPTO DIVULGARE.* Mor. Nev. Par. 1. c. 71.

Hæc est sententia *Maimonidis* de occultâ veterique Judæorum sapientiâ. Alii antiquam Cabalam in

in duo capita partientes, *Berischith* & *Merkavah*, illic philosophiam naturalem, hic Metaphysicam intelligi: atque primum in *Genesi Mosaicâ*, alterum in *Ezekielis* visionibus, fundari statuunt. Neque ab hâc
*Ibid. c. 17.* sententiâ abhorrere videtur idem *Maimonides*. Sed qui hanc viam insistunt, per leves & incertas allegorias, *Mosen* & *Ezekielem* ad suas partes & ad sua proposita, contorquent & accommodant. Mihi quidem videtur fieri vix posse, ut omni careat fundamento Cabala Judaica: fœdissimè licet à Neotericis corrupta & adulterata. Etiam antiquis Fabulis aliquid subesse, fundamenti loco, plerumque conceditur; neque verisimile est, è nihilo proveniſſe famam & existimationem doctrinæ Cabalisticæ, à tot sæculis sermonibus hominum agitatæ, & à nonnullis omni studiorum contentione cultæ & propugnatæ. Si veniam damus conjecturis, in illam opinionem facilè descenderem, Antiquam Cabalam *Realem* (nam *verbalis* est figmentum humanum) tractâsse potissimùm *de Rerum Originatione, & Gradationibus*. Sive de modo productionis aut profluxûs rerum à primo Ente, & earundem rerum gradibus & descensu à summis ad ima. Atque hæc per suos mundos, & Sephiroth: & Personas & portas: per sua lumina & radios, & vasa & receptacula, & cortices aliosque modos, efferunt; qui veritatis speciem aliquam aut umbram retinent. Neque mirabimur hanc doctrinam nimiâ vetustate in fæces degenerâsse: nam, præter causas à *Maimonide* supra memoratas, notum est, Traditiones non penitùs intellectas facilè perire. Sed ût est ferax ineptiarum ingenium humanum, damnum compensari solet novis additamentis, & multiplici proventu fabularum: Quibus, tanquam zizaniis, quæ superſunt bona semina, maximam partem,

tem, ſuffocantur. Apertè dicam: Quicquid veri ſolidique habuit Cabala Judaica, multas ob cauſas ſenſim imminutum aut vitiatum fuit: Doctores autem Hebræi, quò nomen antiquæ Cabalæ, & myſticæ alicujus ſcientiæ gloriam apud ſe retinerent, quod deperditum erat, ſuis inventis imaginariis reſarciebant; &, prolabente tempore, per novos commentatores aliis aliiſque ſuperinductis figmentis, tandem tota abiit in confuſionem. Quale quid eſt illa farrago, quam hodiè *Cabalam* appellamus.

Diximus ſuprà id ſibi propoſuiſſe antiquam Cabalam, quantum conjecturis aſſequi licet, ut nobis exponeret Rerum omnium proceſſum à Primâ Causâ, & earundem in primam Cauſam receſſum. Notandum eſt enim, credidiſſe Antiquos, *ex nihilo nihil fieri*: Et quicquid eſt ſubſtantiæ, aliquo modo ſemper extitiſſe, ſemperque extiturum. Doctrinam enim de eductione rerum ex nihilo, & reductione in nihilum, Philoſophis ignotam, primùm invexiſſe videtur Theologia Chriſtiana: ut apud Stoïcos, Platonicos, alioſque videre licet. Neque in aliâ ſunt ſententiâ, ut mihi videtur, Cabaliſtæ: quandoquidem rerum ortum per *Emanationes* à primâ causâ explicant. Quod emanat autem ab alio, præ-exſtitit; licet ſub aliâ forſan ſpecie aut formâ. Loquuntur itidem de retractione rerum in primum Ens, revolutione & reſtitutione ad primævum ſtatum. Quaſi hanc animo concepiſſent Ideam, primum Ens, ſive *En ſoph*, in ſe continere omnia: Et eandem ſemper eſſe Entitatis quantitatem in univerſo, ſive ſit in ſtatu creato, ſive increato. Cum eſt in ſtatu increato ſive antemundano, Deus eſt omnia ſimpliciter: cum autem fit mundus, non augetur quidem Entitatis gradus aut menſura, ſed Deus ſeſe explicat & evolvit, per

emana-

emanationes & effluxus à ſummis ad ima: quibus conſtituuntur diverſæ rerum creatarum formæ & ordines. Ideóque, ſæpe verba faciunt de *Vacuis*, & de *Vaſis* & *Vaſculis*, quaſi ad recipiendos hos effluxus: & de *Radiis* effluentibus: & de *canalibus*, quibus decurrunt & propagantur. Denique, cum Deus retrahit hos radios & reſorbet, perit mundus externus, atque omnia iterum fiunt Deus. *Emittis ſpiritum, creantur: abſcondis faciem, perturbantur.*

*Idem docent hodierni* Brachmanes *apud Indos.*

Dixi autem, eadem ferè docuiſſe veteres ſapientes, de rerum origine & progreſſu à Deo: & viciſſim de earundem regreſſu aut reſolutione in Deum. Creatio & Annihilatio hodierno ſenſu, ſunt voces factitiæ: neque enim occurrit, apud Hebræos, Græcos aut Latinos, vox ulla ſingularis, quæ vim iſtam olim habuerit. Præterea, quoad Philoſophos, notum eſt, in Stoïcorum Scholâ præfata dogmata obtinuiſſe. Aiunt enim illi res omnes, ſuo modo, participare Deum, animaſque noſtras nominatim eſſe μόρια θεοῦ ἢ ἀποσπάσματα: unde *Seneca* de Animo, *Quid eſt autem cur non exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt.* Et apud Ciceronem dictum eſt, *à naturâ Deorum hauſtos animos & delibatos habemus, & decerptos à divinâ mente.* Neque minùs in Deum refundendos eſſe ſtatuunt, poſt certas temporum periodos. *Reſoluto Mundo*, ut inquit Seneca, *& Diis in unum confuſis, Jupiter, pauliſper ceſſante naturâ, acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus.* Credebant, Univerſum alternare vices: nunc in Jove, nunc extra Jovem, conſiſtens. Secundùm illud Zenonis, Κατὰ χρόνων τινὰς περιόδους ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὰ πάντα θεὸς εἶναι, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. Deus *ſecundùm quaſdam temporum periodos reſorbet res omnes in ſeipſam, & dein eaſdem ex ſeipſo regenerat.*

*Epiſt. 6.*

Facilis

Facilis eſt comprehenſu hæc Stoïcorum Hypotheſis, ſed nimis craſſa; ad materiam enim & res materiales omnia reſtringunt, & per Jovem ipſum nihil aliud intelligunt quàm ſimplicem Æthera; in quem reſolutum iri totum mundum credunt: denuò rediturum, ſtato tempore, in formam & faciem Naturæ; hoc eſt, in varias corporum formas & rerum ordines, quem *Mundum* appellamus. Sed ultra vim & ambitum Mundi materialis, alium agnoſcunt *Ægyptii*, *Orphici*, *Pythagorici*, *Platonici*: Qui tamen omnes, quoad rerum originem & finem, plurima habent Cabaliſticis affinia. Deum eſſe, aliquo modo, omnia: multoties & multifariàm innuunt Platonici; & per emanationes vel irradiationes ſui mundum produxiſſe. Crediderunt veteres, cujuſcunque ordinis, quantum mihi conſtat, *ex nihilo nihil fieri*; neque aliquid in nihilum reverti poſſe. Idque non tantùm intelligunt de *generationibus* quæ dicuntur: ſive de transformationibus rerum aliarum in alias, in mundo jam facto: ſed etiam, ut vocibus receptis utar, de Creatione & Annihilatione: Quaſi antè Mundi ortum, aut poſt ultimam abolitionem, non eſſent prorſus nihil, rerum eſſentiæ: Sed haberent ſemper ſuum modum ſubſiſtendi in naturâ divinâ, licet ſine omni diſtinctione individuorum. Porrò, Circuitum quendam inſtituiſſe videntur, innumeris ſæculis peragundum, inter hos duos rerum univerſarum maximè diverſos ordines: ſtatum ſcilicet Creatum & Increatum. Et finito mundi curriculo, refuſiſque omnibus in primam cauſam, fit quædam ἀποκατάστασις καθολικὴ, &, ut ita dicam, Deificatio univerſalis. Denique, hunc ſtatum rerum Deificum non æternum fore autumant, ſed, poſt immenſa æva, novum iterùm oriturum eſſe mundum: atque has

fatorum vices & alternationes perpetuò duraturas.

Hæc propterea à pluribus expositi, quòd obscura magis elucescunt comparatione rerum, vel similium, vel oppositarum. Neque ulla mihi nota est philosophia aut hypothesis, quæ propiùs accedit ad Cabalisticam, eâ quæ jam descripta est. Quod si forsan non occurrant singula apud dictos philosophos quæ ad absolvendam hypothesin adjunximus, omnium saltem fundamenta & stamina apud eos reperiuntur; & si perficere voluissent telam suam & ad exitum perducere, his filis contexenda esset. Dein quoad Cabalam, neque illa forsan explet omnes partes hujus hypotheseos: cùm circa rerum origines multò magis versetur, quàm in earum finibus & periodis explicandis. Sed quæ desunt aut vitiantur, supplenda sunt & corrigenda, secundùm analogiam principiorum, & congruenter elementis Cabalisticis: ut totum opus sibi constet, atque omnibus suis numeris absolvatur. Denique cùm aliquamdiù mecum reputâssem, siquid esset in sapientiâ veterum, sive Græcâ sive Barbaricâ, quod cognationem aliquam haberet aut similitudinem cum Cabalâ Judaicâ, nihil in utrâvis reperi, quod ipsam specie & vultu magis referre videretur, quàm præfata Hypothesis: de originatione rerum à Primâ Causâ per effluxus & emanationes: & earundem, finito circulo, in suam originem refluxu. Hæc autem mysteria, *de modo ortûs & occasûs Rerum*, in hâc infimâ vitâ & umbrâ mortis, ubi jam versamur, captum humanum reverâ superant, atque ideò frustra affectantur. Quod si aliàs tibi minùs placeat hæc interpretatio, neque in his latere existimes Arcanum Cabalæ: Estò: Ego non contestabor litem. Sed me sines itidem uti meo jure, neque à propriâ sententiâ dimo-

dimoveri: quæ hujuſmodi eſt, Cabalam Judaicam vel eſſe ſomnium ſine ſenſu, vel ſomnium ſine Interprete, niſi ad hunc ſenſum convertatur. Et quicquid olim fuerit, hodiè eſt *inſtar ſalis infatuati: Ad nihil valet amplius, niſi ut foras abjiciatur.* Hæc de Cabalâ Judaicâ.

Non me pœnitet, quod diutiùs in hoc argumento moratus ſim: cùm ex eo pendeat, quicquid à Judæis afferri ſolet de rerum divinarum & naturalium cognitione. Nempe nihil celebrant Judæi ſapientiæ nomine, præter Legem & Cabalam: & quæ latent in Lege myſteria, vi & ope Cabalæ recluduntur. Neque tamen hæc ſcripſi ad doctrinam illam refellendam: refelli enim non poteſt quod in tenebris abſconditur: Sed ut modum oſtenderem, quo in lucem proferri debeat, vel ad æternas tenebras damnari. Intereà ne noceat incautis, & cæco tramite in errores ducat, præmonui, & pro viribus obſtiti.

*Sapientia prima eſt,*
*Stultitiâ caruiſſe:*

Primuſque ad veritatem gradus, *præcavere errores.* Ad quos evitandos, in ſapientiæ ſtudio Legis vim ſemper habeat, *NULLI* Authoritati præter Divinæ: Nulli rationi præter claræ & diſtinctæ, fidem penitùs adhibendam eſſe.

Sæpe autem ex ipsâ aviditate augendæ ſcientiæ, in errores delabimur; vel ob præcipitem animi aſſenſum, ante examen peractum: vel earum rerum cognitioni inhiando, in quibus nullum examen locum habere poteſt. Nempe quæ viribus noſtris attingi nequeunt, neque ullo lumine, vel à naturâ nobis dato, vel cœlitùs admiſſo. Hujuſmodi ſunt ſpeculationes illæ de Mundo Angelico, ipſiuſque apparatu. In quot ſumma genera, & ſubalternas claſſes, diſtri-

buitur Hierarchia cœlestis: Quid agunt, quæ loca habitant. Facilè credo, plures esse naturas invisibiles quàm visibiles, in rerum universitate: pluresque Angelorum ordines in cœlo, quàm sunt pisces in mari; Sed Horum omnium familiam quis nobis enarrabit? Et gradus, & cognationes, & discrimina, & singulorum munera? Harum rerum notitiam semper ambivit ingenium humanum, nunquam attigit. Theologi Ethnici multa philosophantur circa mundum invisibilem, Animarum, Geniorum, Manium, Dæmonum, Heroum, Mentium, Numinumque & Deorum. Ut videre est apud Jamblichum de *mysteriis Ægyptiorum*, apud Psellum & Plethonem in *Chaldaicis*, & passim apud Authores Platonicos. Hos etiam imitati sunt ex Christianis Theologis nonnulli, circa Angelorum ordines: & Pseudo-Christiani Gnostici, sub Æonum & Deorum nominibus, multa confinxerunt in hâc materiâ. Denique Cabalistæ, in suo mundo *Jetzirathico*, myriades Angelorum lustrant, sub Ducibus *Sandalphone* & *Metatrone*; prout istarum rerum studiosis notum est. Sed ad quid valent hæc omnia? Quid sinceri solidique habet hæc Philosophia Seraphica? Non sum nescius, mundi Angelici meminisse Apostolum *Paulum*, & in eo distinxisse plures ordines & classes. Sed in genere tantum; de his non philosophatur; nihil speciatim docet aut disputat: Quinimò reprimendos esse censet eos, tanquam vanâ scientiâ inflatos, qui in hæc incognita & inscrutabilia temerè sese ingerunt. Juvat utique, non diffiteor, quandoque in animo, tanquam in Tabulâ, majoris & melioris mundi Imaginem contemplari: ne Mens assuefacta hodiernæ vitæ minutiis, se contrahat nimis, & tota subsidat in pusillas cogitationes. Sed veritati intereà invigilandum est, moduſque

*Col.* 1. 16. *Eph.* 1. 21.

*Col.* 2. & 18.

duſque ſervandus, ut certa ab incertis, diem à nocte, diſtinguamus. Sapientis enim eſt, non tantùm, ea quæ ſciri poſſunt, ſcire: ſed etiam, quæ ſciri non poſſunt, diſcernere & diſcriminare.

Huic diſſertationi de Judæis finem impoſituro, venit mihi in mentem *Eſſenorum* ſive *Eſſæorum*, pervetuſtæ, celebriſque olim *Secta*, apud Judæos: Qui priſcorum Philoſophorum ſpeciem præ ſe ferebant, ipſoſque Brachmanas inſtitutis & vitæ ratione imitari videbantur. Horum meminerunt Authores varii. *Plinius*, ſubridens, ex pœnitentibus & pertæſis humanæ vitæ cœtum illum compoſitum ait, neque unquam defeciſſe per aliquot annorum millia, licet ἄγυνον καὶ ἀσυνεσίαςον. *Gens ſola*, inquit, *Eſſeni*, *& in toto orbe, præter cæteras, mira. Sine ullâ fœminâ, omni venere abdicatâ, ſine pecuniâ, ſociâ Palmarum. In diem ex æquò convenarum turba renaſcitur, frequentantibus, quos vitâ feſſos, ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ità per ſæculorum millia, (incredibile dictu) gens æterna eſt, in quâ nemo naſcitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.* Argutè dictum, ſi minùs veré. Horum Philoſophorum vivam imaginem depinxit *Philo Judæus*: vitamque eorum exhibuit, illi ſimillimam, quam duxerunt olim in Paradiſo innocui parentes: & nos iterum ducturi ſumus, Deo volente, in *novâ Terrâ* Futurâ. Oneroſum eſſet totum Philonis de hâc re ſermonem adducere: ſed, quod huc ſpectat maximè, quid de Philoſophiâ ſenſerint, ità paucis enarrat. Φιλοσοφίας ἧ, τὸ μὲν λογικὸν, ὡς ὐκ ἀναγκαῖον εἰς κτῆσιν ἀρετῆς, λογοθήραις τὸ δ᾽ φυσικὸν, ὡς μεῖζον ἢ κατ᾽ ἀνθρωπίνην φύσιν, μετεωρολέσχαις ἀποδιδόντες, πλὴν ὅσον αὐτῶ περὶ ὑπάρξεως Θεῦ, καὶ τῆ τῶ παντὸς γενέσεως φιλοσοφεῖται· τὸ ἠθικὸν εὖ μάλα διαπονοῦσι, &c. *Philoſophiæ partem Logicam,*

*Foſ. cont. Ap. li. 1.*

*Hiſt. Nat. li. 5. c. 17.*

*Quod omnis probus liber. & de Vit. Contempl. & in Apol. pro Jud. apud Euſeb. Item Foſ. Ant. li. 18. c. 2. & de Bel. Jud. li. 2. 12.*

*ut parandæ virtuti non necessariam, relinquunt verborum captatoribus. Physicam verò, ut humano captu majorem, rerum sublimium curiosis: Eâ parte exceptâ, quæ de existentiâ Dei, rerumque ortu, philosophatur. In morali autem se strenue exercent*, &c. Pauca habent, ut vides, in philosophiâ naturali, sed gravissima, capita: de Deo nempe, mundique ortu. Sed quâ ratione Mundi Originem exposuerint, aut quatenùs à *Mose* discesserint, non indicat *Philo*. Neque plura suppetunt, quod sciam, apud authores, Essenorum dogmata physica: modò ea adjunxeris, quæ, ex illorum mente tradit *Josephus*, de *Animarum immortalitate* & *futuris Paradisis*. Reliqua in suis *Libris Sacris*, quorum ille meminit, occuluerunt: & quærenda sunt maximè apud Brachmanas. Apud *Brachmanas* dico: cùm illorum esse propaginem *Essenos*, ex *Clearcho* notârit *Josephus*. Ità enim Clearchum intelligo, non Judæos in genere, sed Scholam Essenicam derivatam esse à Bragmanicâ. Quod ex cognatis moribus & institutis non malè arguitur.

*Bel. Jud. li. 2. 12.*

*Ibid.*

*Cont. Ap. li. 1.*

Hactenùs de Judæis; De quorum Theologiâ & Philosophiâ integrum tractatum conscribere apud se constituerat *Josephus*: ut patet ex procœmio ad Antiquitates suæ gentis. Hunc tractatum, si absolutum salvumque haberemus, quid valuerint in Scientiis Judæi, usque ad sua tempora, unico intuitu constaret. Ex illo autem tempore, utì periêre funditùs *Esseni*, ita *Cabalistæ* magis magisque degenerârunt: Et doctrina illa, per tot manus tradita, & per tot sæcula, tanquam vinum sæpiùs transfusum, tandem in vappam desit. Id quod pluribus argumentis aliunde constitit, & ex eo denique persuaderi possit, quod hi Authores, cùm de rebus clarioribus & notitiæ nostræ subjectis philosophantur, ut de naturâ Animæ, de

*Philo etiam opus non dissimile scripsisse dicitur, Phot. BB. cod. 104.*

de Cœlis, aut aliquâ parte mundi corporei, vel planè aberrent à ſcopo, vel nihil ſupra vulgus doctorum ſapiant. Quantillum itaque merentur fidei, cùm de rebus ſublimioribus, & humano ingenio inacceſſis, obſcura, ambigua, & ambagioſa oracula proferunt? Sed de his ſatis, & de Literis Judaicis.

---

# CAP. VIII.

## *De Ægyptiis, & multifariâ eorum Literaturâ.*

TAndem ad *Ægyptios* perventum eſt. Qui in ſecundis tertiiſve ſtare meruiſſent, ſi cuilibet genti locum ſuum, aut ſecundum temporis ordinem, aut dignitatis, dediſſemus. Populus enim *Ægyptius* & perantiquus eſt & percelebris ſapientiâ; quorum utrumque id teſtari poſſit, quod inter laudes & ornamenta *Moſis* numeretur, eum *Ægypti ſapientiam* calluiſſe. *Act. 7. 22.* Hæc igitur erat neque *Moſe* poſterior, neque viro illo maximo indigna. Prætereà, ad magnificandam ſapientiam *Solomonis*, ſuperâſſe dicitur *ſapientiam Orientalium*, atque *omnem ſapientiam Ægyptiorum*; quo planè innuitur, Ægyptiacam illam fuiſſe illuſtrem: quâ major in comparatione nominari non poterat. *1 Reg. 4. 30.* Hæc à ſacris teſtibus. Idem teſtantur affatim Græci, non verbis tantùm, ſed re & operâ: eorum enim præſtantiſſimi, quod ſuo loco expli-

explicabitur, Ægyptum petebant, tanquam Philosophorum scholam, & divinioris literaturæ fontem. Romani denique, Ægyptios *omnium Philosophiæ disciplinarum parentes*, atque *solos divinarum rerum conscios*, nuncupabant. Qualis autem fuerit, & quotuplex illa sapientia Ægyptiaca, pluribus dicendum est.

*Macrob. Som. Scip. l. 1. c. 19. Saturn. l. 1. c. 14. & l. 7. c. 13.*

Geometria ab Ægyptiis inventa fuit, secundum communem sententiam; atque primùm occupata in dimetiendis & definiendis agris, quorum terminos auctus Nilus quotannis confundebat. Huic autem causæ vel occasioni si artem coævam statuant, arguit summam scientiæ Ægyptiacæ antiquitatem. Sed ut nulli genti, nulli ævo, nimiùm attribuamus, facilè credo hanc antiquam Ægyptiorum Geometriam, non solertem & profundam fuisse, ad omnes magnitudines Geometricas & subtiles Theorias, qualiter est hodierna, protensam; at in Geodæsiâ, quæ dicitur, aliisque documentis practicis quæ vitæ commoda spectabant, subsistitisse: Et quemadmodum olim *Plato* distinxit Ἀριθμούς & Ἀριθμοῦντας, ità hîc distinguendum esse videtur inter Γεωμέτρας & Γεωμετροῦντας; quales fuisse antiquas gentes, initiatos scilicet, non Mystas in hâc disciplinâ, illud argumento esse videtur, quod *Pythagoras*, qui eas omnes inviserat ad corradendam à singulis scientiam, cùm redux in patriam, *virtutem lateris oblongi in triangulo rectangulo ad cætera comparati* ipse excogitâsset, maximum duxit & *Hecatombe* dignum inventum. Neque minùs *Thales*, qui Geometriam in Ægypto didicit, inventâ circuli & trianguli adscriptione vel inscriptione, gaudio emotus Diis Bovem immolasse dicitur. Cùm verò hæc simpliciora, pulchra licet & perutilia, in Geometriâ Barbaricâ non repererint, frustrà

*Herod. in Euter. Diod. Sic. l. 1. Laert. proœm. Strab. l. 16, & 17. Plato in Phædro. Achil. Tatius ad Arat. phæn. princ. Jamb. de vit. Pyth. p. 144.*

*In Epinom. p. 990.*

*Laert.*

fruſtrà quis in eâdem quæſiiſſet theoremata magis operoſa, methodoſque Analyticas, quæ poſteris innotuêre: & quæ Græcorum ingeniis, in hâc materiâ præclaris, potiſſimùm debemus.

Aſtronomia etiam dicitur Ægyptiorum inventum à pleriſque; quam, ſereno cœlo, innubi & impluvio, adjuti, cæteris gentibus priùs & fœliciùs exercuerunt. Non nego tamen aliis hanc laudem attribui, & maximè *Babyloniis*; à quibus Syderum ſcientiam didiciſſe Græcos innuit *Herodotus*; utì Geometriam ab Ægyptiis: δοκέει δέ μοι ἐντεῦθεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα, de Ægypto loquitur & inundatione Nili, ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν· πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. *Diodorus* autem ipſos Babylonios, cum ſuis artibus, traduces facit Ægyptiorum; atque ad exemplum Ægypti, ſacerdotum ordines & ſcientiarum ſtudia inſtituiſſe; verba ipſius apponam, Οἱ δὲ ἐν Αἰγύπτῳ φασὶ καὶ μετὰ ταῦτα ἀποικίας πλείστας ἐξ Αἰγύπτου κατὰ πᾶσαν διασπαρῆναι τὴν οἰκουμένην· εἰς Βαβυλῶνα μὲν γὰρ ἀγαγεῖν ἀποίκους Βῆλον τὸν νομιζόμενον Ποσειδῶνα ἐξ Λιβύης· ὃν παρὰ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν καθιδρυθέντα, τούς τε Ἱερεῖς κατασήσασθαι παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἀτελεῖς, καὶ πάσης λειτουργίας ἀπολελυμένους, οὓς Βαβυλώνιοι καλοῦσι Χαλδαίους· τάς τε παρατηρήσεις τῶν ἄστρων τούτους ποιῆσαι, μιμουμένους τοὺς παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς καὶ φυσικούς, ἔτι δὲ Ἀστρολόγους. Quæ ita reddit interpres; *Plurimas etiam poſtea ex Ægypto colonias in orbem terrarum diſſeminatas eſſe, dicunt. In Babylonem Belus, Neptuni & Libyæ, ut creditur, filius, coloniam duxit; & delectâ apud Euphratem ſede, Flamines, pro more Ægyptiorum, impenſis & oneribus publicis exemptos, inſtituit; quos Chaldæos Babylonii nominant. Hi ſtellas, ſacerdotum*

*Plat. in Epinom.* *Ariſt. Metaph. 1. Laer. procem.* *Diod. l. 1.* *Achil. Tat. ut ſupra* *Manil. Aſtron. 1.* *In Euter.* *Lib. 1.*

*in Ægypto, Physicorumque & Astrologorum exemplo, observant.* Rectè videtur *Cicero* utrosque populos in hâc re conjunxisse; *Ægyptii & Babylonii,* inquit, *in camporum patentium æquoribus habitantes, cùm ex terrâ nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset, omnem curam in syderum cognitione posuerunt.*

Lib. 1. de Div.

Ego lites illas de primatu literaturæ inter gentes, aut primâ scientiarum inventione, parvi facio; cùm easdem à pluribus simul inventas esse nihil impediat; atque nostrâ magis intersit scire, qui auxerint adjuverintque scientias, quousque perduxerint, & quæ monumenta aut dogmata, quorum ope in iisdem excolendis proficere liceat, posteris reliquerint. Quod autem de *Geometriâ Barbaricâ* diximus, idem ferè de eorum *Astronomiâ* dicendum esse censeo, eam non accuratam fuisse, aut universalem. Sapiebant Astronomiam veteres, ut *Plutarchus* ait, de *Numâ Pompilio,* ἥψατο δὲ καὶ τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν πραγματείας, οὔτε ἀκριβῶς, οὔτε παντάπασιν ἀθεωρήτως. Quædam cœlorum phænomena observabant, sed observatu faciliora; Fixarum ortus & occasus, errantium periodos & revolutiones; &, in usus Genethliacos, quibus nimiùm indulgebant, Zodiaci partes, & Planetarum aspectus. Prætereà Æquinoctia & solstitia, aliaque ad anni formam explicandam necessaria. Et quidem, si rem rectè assequor, *Agriculturæ, Genethliacæ,* & *Calendarii* rationibus, eorum Astronomia, aut unicè, aut potissimùm, inserviebat. Planetarum Theorias, artis illius partem maximè operosam, penetrâsse veteres, aut complexos esse, non constat. Hypotheses motuum cœlestium primus *Eudoxus* constituisse dicitur; atque Tabulas motuum, primus *Ptolomæus.* Methodos illas & artificia hypothesium & calculorum Astronomicorum facilè

credo

credo à Græcorum ingeniis provenisse; minori in studiis apparatu utebantur antiqui, saltem antiquissimi.

Dices forsan & Babylonios & Ægyptios plurimorum sæculorum observationes cœlestes apud se habuisse; rectè, sed quales? prodeant & se monstrent: de phænomenis manifestis, qualia jam attulimus, institutas esse dicimus, aut de Eclipsibus præteritis; *præteritis* dico, neque enim mihi constat, aut Ægyptium, aut Assyrium Astronomum Eclipsin Solis *futuram* suâ arte unquam annunciâsse; ob id celebratur *Thales*, quod Eclipses primus prædixerit, neque hanc illi laudem, quod sciam, Barbarorum quisquam præripuit. De Babyloniis testatur Diodorus, eos nihil accurati scivisse de Solarium Eclipsium calculis, περὶ δὲ τὸ κατὰ τὸν ἥλιον ἐκλείψεως, ἀθενεστάτας ἀποδείξεις φέροντες, οὐ τολμῶσι προλέγειν, οὐδ' ἀκριβῶς ὑπὲρ αὐτῆς παραγράφειν τοὺς χρόνους. Has nec prædicere, nec earum tempus definire, audent.

*Laert. Cicer. de div. l. 1. Plin. l. 2. c. 12. li. 2. m. fol. 117.*

Hæc autem circa Astronomiam Barbaricam notavimus, non tam ex historiâ & certis testibus, quàm quod consequentia sint ad res notiores, neque aliunde redargui possunt. Non me latet semel atque iterùm innui à *Diodoro* exactam rerum cœlestium scientiam & observationes accuratas habuisse Ægyptios; sed hoc comparatè ad cæteras gentes intelligo; cùm sine geometriâ & telescopiis harum rerum accurata scientia vix & nè vix haberi poterat. Cæterùm his non obstantibus, verum mundi systema antiquis innotuisse, syderumque tam errantium quàm inerrantium naturam & materiam, verisimile est; atque hinc suam doctrinam de mundi formâ, & de corpore Lunari, quod Ἀντίχθονα appellat, sumpsisse Pythagoram. Cùm eandem Lunam appellârint Ægyptii αἰ-

*Lib. 1. fol. 73. & fol. 46. m.*

*In Tim. Plat. l. 1. p. 45. Laert. proœm.*

θερίαν γῆν, teste *Proclo*: & τὺς ἀστέρας πῦρ εἶναι dixerint, quod de Fixis intelligo. Hujusmodi summaria doctrinarum capita, quæ facilè & paucis tradi poterant, ad dogmata πατροπαράδοτα referre licet; sed methodos practicas & artes instituendi calculos ad hypotheses particulares, hæc & quæ ab his dependent, cùm traditionibus commodè transferri nequiverint, defuisse in veteri Astronomiâ non sine ratione creditur.

Hæc de Geometriâ & Astronomiâ Ægyptiorum. Musicam etiam & Medicinam coluisse dicuntur: rectè, sed more Antiquorum, sine rerum Theoriâ. Medicina eorum fuit maximâ ex parte προφυλακτικὴ, facili methodo instituta; & in condiendis quidem cadaveribus, quàm in curandis corporibus magis studiosi fuisse videntur. Illud autem singulare de iis refert Herodotus, quod pro singulis morbis & partibus affectis singuli essent medici; hic oculorum, ille dentium, alter alvi curam habebat, atque ita de cæteris; neque alter alterius provinciam ingredi ausus sit. Unde, necesse est, scateret regio illa mediciolis. De Chemicâ, quæ Ægyptiis etiam à non-nullis ascribitur, nihil habeo quod dicam, cùm eâ de re sileant authores antiqui, & quæ afferri solent à recentioribus, incertâ authoritate, conjecturis, & interpretationibus, aut dubiis monumentis, niti videantur. Quoad Musicam, dicitur quidem Hermes invenisse tres differentias tonorum, *acutum*, *gravem*, & *medium*; atque etiam Lyram trichordem. Sed, referente eodem Diodoro, arcebant viros à discendâ aut exercendâ musicâ Ægyptii, quod eorum animos nimis emolliret. Multis post Hermetem sæculis Pythagoras fertur invenisse rationes harmoniæ ex malleorum ictibus in officinâ ferrariâ; hæc illi magis profuit ad hanc artem quàm tota Ægyptus, aut longa per Orientem

*Diodor. li. 1.*

*Li. 2. c. 84.*

*Diodor.*

rientem peregrinatio. Atque, ut nemini ſuum invideamus, Græcis accepta referri debent harum ſcientiarum, ac ferè reliquarum omnium, forma & diſpoſitio: In earum autem cauſis Phyſicis indagandis, quæ ultima eſt perfectio, adhuc laboratur. Hiſce verò jam relictis, ad Phyſiologiam Ægyptiorum, quò maximè tendit diſſertatio noſtra, accedamus.

Cum Phyſiologiâ autem conjunxêre Antiqui Theologiam ſuam; ac cùm de rerum ortu & naturâ diſſerebant, de Diis etiam & eorum origine tractare ſoliti ſunt. Quare apud eos *Coſmogonia*, *Theogonia*, *Theologia*, idem ferè valent; atque hæc omnia Philoſophiæ nomine jam complectimur. Quid ſenſerint Ægyptii *de rerum origine* nobis explicuit *Diodorus Siculus* libro primo; nempe ex confuſâ elementorum maſſâ, quod Græci poſtea *Chaos* dixerunt, mundum ſublunarem formatum eſſe aſſerebant. Atque primam Telluris formam, Sacerdotes *Thebani*, ut ex *Euſebio* diſcimus, voluerunt eſſe *Oviformem*. Dein quoad mundi ſublunaris interitum & rerum exitum, duplicem eſſe ſtatuebant, per Aquam & Ignem; quod à Sacerdote Ægyptio apud Platonem refertur. Et ἀποκαταστάσεις, periodoſque Mundanas, cum primis docuerunt. Denique, cœlos & totam rerum compagem quod ſpectat, ſyſtema mundi quod appellamus Pythagoricum, omnium antiquiſſimum eſſe, & ab Oriente deductum, nihil dubito; hoc autem inter Myſtas reſervato, alterum magis percrebuiſſe veriſimile eſt.

*Præpar. Evang. l. 3. c. 11.*

*In Tim.*

*Orig. cont. Celſ. l. 5.*

Et revera quæ fuerint dogmata Ægyptiorum, & quid alios docuerint, ab eorum diſcipulis, philoſophis Græcis, reſciendum eſſe videtur; qui, ut notum eſt, relictâ patriâ, Ægyptum petere ſolebant ad adipiſcendas literas altiores. Ita, exempli gratiâ, ſi Orpheus ſuam phyſiologiam, perinde ac ſua ſacra, ab

Ægyptiis

Ægyptiis hauserit, in eâ non vulgare specimen habemus sapientiæ Ægyptiacæ; cùm & Chaos, & transformationes Chaûs, & Telluris primævæ formam, eum nôsse & explicuisse constet; ut in sequentibus videbimus. Plerumque autem in expendendâ & indagandâ philosophiâ Barbaricâ, erramus, vel minoris, quàm par est, eam esse ducimus, cùm hujus aut illius phænomeni particularis explicationem quæsitum imus apud barbaros philosophos: Non enim id agebat philosophia illa antiquissima, ut rerum singularum examen institueret; frustrà quæres apud Priscos *unde* suas vires habeat *Magnes*, aut unde suos colores cœlestis *Iris*: quæ sit materia Ignis: quales Aquæ particulæ: aut quantus compressi aëris impetus? Non rerum istarum satagebat prisca sapientia, sed in Phænomenis *MUNDANIS*, ut ita dicam, & quæ totam naturam afficiebant, occupata fuit. Quæ *rerum Origo*, quæ *vicissitudines & periodi*, quis *supremus exitus*? Hæc si quæras ab antiquis, responsum feres. Sed ad Ægyptios nostros redeamus.

Quemadmodùm apud Persas *Zoroaster*, ità apud Ægyptios nominatissimus est *Hermes Trismegistus*; uterque rerum divinarum & humanarum scientiâ celebris, sed utriusque memoriam quandam, potiùs quàm historiam, tenemus. Pro eodem habeo Ægyptiorum *Thoyth*, Sanchoniathonis *Thaautum*, Platonis *Theuth*, & Druydum *Mercurium*. Sed quis fuerit, quando vixerit, quos libros exarârit, hæc inter ignota aut incerta numeranda esse censeo. Virum fuisse maximum, atque tempora *Mosaica* præcessisse, illud monstrare videtur, quòd, ex communi consensu veterum, fons esset & author sapientiæ Ægyptiacæ, quam *Mosem* edoctum esse legimus; ideoque *Mose* priorem statuit *Eusebius* in suo Chronico. Quoad libros

*Apud Euseb. In Phædr. & Phileb. Cæs. com. 6.*

bros *Hermetis*, qui circumferuntur ſub ipſius nomine ſuppoſititios eſſe, rectè monuerunt & monſtrârunt viri eruditi. Is, qui dicitur *Aſclepius*, ab Apuleio, ut fertur, latinè traductus, cæteris habetur antiquior, & nonnulla forſan Ægyptiaca retinet. Immanis erat Librorum Triſmegiſti numerus, referente Jamblico: nempe ex Seleuci fide & computo, *duæ myriades voluminum*: Ex Manethonis autem, *ſex chiliades, quingenti & viginti quinque, ſupra tres myriades.* Hìc fudant viri docti in expendendâ hâc librorum molè: Alii verſus intelligunt, alii papyri folia, alii oratiunculas & breves ſermones. Ego *Clementis Alexandrini* computum libentiùs amplector, qui quadraginta duos numerat Hermetis libros, eorumque Catalogum & argumenta exhibet. Conſule locum, ſi placet: ubi obiter Proceſſionem antiquo-barbaram Sacerdotum Ægyptiorum, non ſine voluptate, videbis. Hos Hermetis libros, ſi unquam extiterint, longa dies jam ſuſtulit è medio. Ex iis, quæ nuncupantur τὰ γενικὰ, de principiis rerum generalibus tractabant, adeoque non exigui erant momenti. Præ cæteris autem dolendum eſt mihi Hermetis *Coſmologiam*, cujus meminit Philo Biblius, periiſſe; unde ea quæ commentatus eſt Sanchoniathon de *mundi origine*, & quæ Diodorus de eâdem materiâ ex mente Ægyptiorum, traducta eſſe videntur. Sed de his plura in ſequentibus. Denique, quot fuerint *Hermetes*, quis primus, quis ſecundus, & quâ ratione diſtinguendi ſint, non diſcutio: Neque enim nomina & perſonas quærimus, ſed res & dogmata; & probè novi, in id genus diſquiſitionibus quàm facile ſit ad incerta prolabi.

*Caſaub. Exer. 1. Sect. 11.*

*De myſt. Ægypt. c. 1. Sect. 8. c. 1, 2.*

*Strom. 6. p. 633.*

*Euſeb. præp. Ev. li. 1. c. 10. p. 34.*

Hæc hactenùs: Quâ ratione antiquæ gentes barbaræ, quæ dicuntur, & potiſſimùm Ægyptii, ſapientiam

tiam suam acquisiverint, infrà erit dicendi locus; quomodò autem retinuerint & conservarint, non inutile erit, coronidis loco, hîc paucis exponere. Notum est, inter Ægyptios, scientiarum & disciplinarum studiis sacerdotes, omnium maximè, operam navâsse, neque tantùm religionis & rituum sacrorum, sed philosophiæ etiam curam & custodiam iis esse demandatam: οἱ ὧν ἱερεῖς καὶ φιλοσοφίαν ἤσκουν, καὶ ἀστρονομίαν, inquit *Strabo*, *l.* 17. Unde præceptores Pythagoræ, Platonis, & Eudoxi, in Ægypto, tot Sacerdotes nominantur; & Pythagoras dicitur literas accepisse ab *Amasi*, Ægyptiorum rege, ad sacerdotes, ut extero literaturam Ægyptiacam ambienti faciliores essent aditu. Ità sacerdos erat qui miranda illa & Græcis inaudita, Soloni retulit, de Atlantide primævâ: & sacerdotes Memphi, ubi Vulcani Templum, *Philosophos Memphiticos* appellat Diodorus, cùm eorum sententiam de formâ tripartitâ Telluris & incrementis Nili recitat. Quid plura addam in re notâ? Disciplulorum suorum, ex Græciâ adventantium, catalogos retinent & ostentant sacerdotes Ægyptii, referente Diodoro Siculo; οἱ γὰρ ἱερεῖς τῶν Αἰγυπτίων ἱστοροῦσιν ἐκ τῶν ἀναγεγραφῶν τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, παραλαβεῖν πρὸς αὐτὸς Ὀρφέα τε καὶ Μουσαῖον, &c. πάντων ὧν τούτων σημεῖα δεικνύουσι, τῶν μὲν εἰκόνας, τῶν δὲ τόπων, ἢ κατασκευασμάτων ὁμωνύμους περσηγορίας. Atque *horum omnium ostendunt quædam signa aut monumenta, quà imagines, quà desumptas è regionibus aut operibus denominationes.* Denique horum sacerdotum collegia erant & sedes in pluribus per Ægyptum locis; sufficit illud *Heliopoli* notare ex *Strabone*, teste oculato. Ἐν ᾗ τῇ Ἡλιουπόλει καὶ οἶκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον οἱ ἱερεῖς· μάλιστα γὰρ δὴ ταύτῃ κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ, τὸ παλαιὸν, φιλοσόφων ἀνδρῶν, καὶ ἀστρονο-

*Diod. Sic. l. 1.*

*Chæremon. apud Porph. de abst.*

*Clem. Alex. strom. 1.*

*Porphyr. de vit. Pyth.*

*Tim. Plat.*

*l. 1. ver. fin.*

*l. 17.*

ἀςρονομικῶν, ἐκλέλοιπέ δὲ καὶ τοῦτο νυνὶ τὸ σύςημα καὶ ἡ ἄσκησις. Ἐκεῖ μὲν οὖν οὐδεὶς ἡμῖν ἐδείκνυτο τῆς τοιαύτης ἀσκήσεως προεςώς, ἀλλ' οἱ ἱεροποιοὶ μόνον, καὶ ἐξηγηταὶ τοῖς ξένοις τῶν περὶ τὰ ἱερά. Hic ait se vidisse domicilia in quibus egerant *Eudoxus* & *Plato*, qui per tredecim annos, ut fama erat, cum his sacerdotibus versati fuissent. Sed ut pergamus.

Hanc suam sapientiam partim columnis, partim libris sacris inscriptam, conservabant Ægyptii. Hæc paucis ignota sunt: Neque tantùm Ægyptii, sed aliæ etiam gentes antiquissimæ columnis insculpere solebant res ad posteros transmittendas. Nota est de columnis *Sethianis* ante diluvium narratio *Josephi*; quem penes sit fides. Sed de Babyloniis certior est memoria, unde observationes Chaldæorum circa Eclipses desumpsisse Callisthenem probabile est. *Epigenesq*; apud *Plinium* ait *Babylonios septingentorum & viginti annorum observationes Syderum, coctilibus laterculis inscriptas retinuisse*. Prætereà ex columnâ Babylonicâ descripsisse dicitur *Democritus* sermones suos morales. At cæteris omnibus celebriores sunt Hermetis columnæ in Ægypto, quarum meminêre plurimi & probatissimi authores. His aiunt Mercurium doctrinam suam antiquitùs inscripsisse, eandemque expositam & elucidatam, Mercurium secundum multis libris complexum esse. Id saltem constat, ex his columnis multa desumpsisse & Philosophos Græcos & Historicos Ægyptios. De *Platone* notat *Proclus*, ex *Crantore*, sacerdotes Ægyptios affirmare quod sermonem *Atlantium* ex his columnis mutuatus esset, easque ætate *Procli* aut *Crantoris* adhuc fuisse superstites. Ἐν ςήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις ταῦτα γεγράφθαι. Suam itidem Philosophiam hinc accepisse Pythagoram agnoscit *Jamblicus*, κατὰ τὰς Ἑρμοῦ

*Lib. 1. c. 4.*

*Simpl. in l. 2. de cœl. l. 7. c. 56.*

*Clem. Alex. Strom. 1.*

*De myst. Ægypt. Sec. 1. c. 3.*

 παλαιὰς

παλαιαὶ ςῆλαι, ἃς Πλάτων τε καὶ Πυθαγόρας διαγράψαντες, φιλοσοφίαν συνεςήσαντο· *quas Plato & Pythagoras ante eum legentes, philosophiam indè constituerunt.* Alii etiam, ut *Sanchoniathon, Phœnicius*, iisdem monumentis usi sunt: Ille, ex Taauti libris & Templorum inscriptionibus, ἀναγραφαῖς, philosophiam suam & rerum gestarum memoriam retuliſſe dicitur. Denique, ex eodem fonte, Manetho, scriptor & propheta Ægyptius, suam prompsit historiam sacram: ubicunque fuit illa Terra *Seriadica*, in quâ positas esse has columnas asserit.

*Euſ. Chron.*

*Lib. 22.* *Ammianus Marcellinus*, qui Ægyptum peragraverat, rerum mirandarum non incuriosus spectator, has *Stelas* in cavernis quibusdam aut subterraneis fornicibus, quas propriâ voce Σύριγγας dixêre, reconditas fuisse ait; idque non procul à Thebis sive Diaspoli. Addit præterea ante Diluvium hic repositas esse: ut aquarum, opinor, injuriis immunes essent. Ante-diluvianas fuisse itidem asserit suas Manetho; atque idem de suis *Sethianis* Josephus. Unde non immeritò suspicari licet eâsdem esse columnas, has & illas, sub alio nomine; præsertim cum non multùm sit discriminis inter vocem Συριαδικὴ *Josephi*, & Σηριαδικὴ Manethonis. Jucundum quidem esset Archæologias ante-diluvianas, vel monumenta literaria alterius mundi, spectare & perlegere; sed cùm susque deque versabantur omnia in Cataclysmo, ægrè credo conservari potuisse in illâ ruinâ universali, aut postea integras reperiri, hujusmodi qualescunque inscriptiones. Quanquam, ut verum fatear, siqua tentanda esset via, aut quærendum munimen contra vim & impetum tantæ cladis, nihil rutius esse poterat quàm quod in solidâ & subterraneâ lapicidinâ aut massâ saxeâ insculptum hærebat. Sed cùm de re constiterit,

ſtiterit, de tempore aut loco litem non movebimus.

Inſcriptionibus ſacris ſuccedunt *Sacri Libri* Ægyptiorum; aliquanto recentiores, ſed non minùs celebres. Horum meminerunt plerique authores qui de rebus Ægyptiis ſcripsêre. *Diodorus*, cùm de ſacerdotum Ægyptiorum ſtudiis & officiis loquitur, inter alia, principibus adſtare dicit, ἐκ τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγεγραμμένων πράξεων, τὰς ὠφελῆσαι δυναμένας παραναγινώσκοντες. Et ex his Commentariis referunt nomina & Catalogum Græcorum Philoſophorum, ut infra videbimus, qui ſapientiam Ægyptiacam edocti fuiſſent, οἱ δὲ ἱερεῖς ἱστοροῦσιν ἐκ τῶν ἀναγραφῶν, τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, &c. His uſum eſſe *Sanchoniathonem* in opere ſuo Phœnicio componendo innuit Philo Biblius, cùm ea quæ ſcripſerat eum contuliſſe ait, τοῖς ἀπὸ τῶν ἀδύτων εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις Ἀμμουνέων γράμμασιν συγκειμένοις. *Manetho* etiam dicitur Ægyptiacam ſuam hiſtoriam ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων μεθερμηνεύειν. Neque enim ea tantùm quæ ad Deorum cultum aut imperii leges ſpectabant, in his Libris conſcripta fuere, ſed hiſtorica qualiacunque majoris momenti, miſcellanea etiam, & omne genus philoſophica. Scilicet id penſi & curæ datum erat ſacerdotibus, ut referrent in hos commentarios quicquid eſſet memoriâ & poſteris dignum; & quæ à majoribus accepiſſent, in iiſdem ea cuſtodirent diligenter. Ità Soloni retulit Flamen *Saiticus*, *Quæcunque erant memoratu digna in Templis eorum deſcribi.* Et miratur *Strabo* in hos Libros non relatum fuiſſe quod de *Nili origine* & incrementis ſenſerint illi inter Veteres qui Æthiopiam permeâſſent. Θαυμαστὸν οὖν πῶς ἐκ τῶν τοιούτων ἀφορμῶν οὐ τελέως ἐναργὴς ἦν ἡ περὶ ὄμβρων ἱστορία τοῖς τότε· καὶ ταῦτα τῶν ἱερέων φιλοπραγμονέστερον ἀναφερόντων εἰς

*Euſeb. præp. Evang. l. 1. c. 9. Joſ. cont. Ap. l. 1.*

*In Tim.*

*l. 17.*

τὰ ἱερὰ γράμματα, καὶ ἀποτιθεμένων ὅσα μάθεσιν περιττὴν ἐπιφαίνει. *Mirum itaque est cur tantis oblatis investigandi occasionibus, non prorsùs innotuerit imbrium historia ejus ætatis hominibus: præsertim cùm sacerdotes curiosiùs in SACROS LIBROS referrent & reponerent, quæ subtilioris aliquid haberent cognitionis.* *Heliodorus* autem in his, ut videtur, instructior, Græcis multa percontantibus de Nili fontibus & inundationibus, se respondisse ait ex propriâ scientiâ, & ex iis quæ in *Sacris Libris* præscripta erant; ὅσα περὶ ποταμοῦ τούτου βίβλοις ἱεραῖς ἀναγεγραμμένα, μόνοις τοῖς προφητικοῖς καὶ γινώσκειν καὶ ἀναγινώσκειν ἔξεστι.

Lib. 2. Æthiop.

Hæc erant monumenta literaria Ægyptiorum, *Stelarum Inscriptiones & Libri Sacri.* In utroque autem genere quædam erant obvia & exposita, vulgo & peregrinis; quædam autem in Templorum adytis reservata. Hoc innuit suprà *Heliodorus*, cùm ait, ὅσα μόνοις τοῖς προφητικοῖς καὶ γινώσκειν καὶ ἀναγινώσκειν ἔξεστι· & *Philo* etiam τοῖς ἀπὸ τῶν ἀδύτων εὑρεθεῖσι, ἃ δὴ οὐκ ἦν πᾶσι γνώριμα. Unde Cæsar, apud Lucanum, ad Achorea sacerdotem Ægyptium ita loquitur,

*Quodcunque vetustis*
*Insculptum est adytis, profer.*

Duplex enim erat doctrinæ genus apud antiquas gentes, δημῶδες καὶ ἀπόῤῥητον, *doctrina vulgaris* & *doctrina arcana*; idque non tantùm ob diversitatem materiæ, sed eandem sæpe materiam duplici modo tractabant, populari & philosophica. Illa facilè patebat omnibus, per monumenta publica, & præceptores communes: Hæc autem, nè inter manus populi versata, vilesceret aut corrumperetur, non uno modo occultata fuit & abscondita. Præterquam enim quod hujus doctrinæ monumenta in Templorum adytis, ut jam diximus, latebant, conscripta erant non

non vulgari genere characterum; à morosis sacerdotibus, quibus id curæ erat, non nisi magno apparatu & exercitatione præeunte, enarranda. Quùm verò hæc non sint prorsus indigna scitu, & ad notitiam literaturæ Ægyptiacæ pertinere videantur, ad eorum explicationem pauca quædam, si placet, ulteriùs subjiciemus.

Duplex erat, ut Doctrinæ, ita Literarum genus, apud Ægyptios, *sacrum* & *vulgare*. Id quod testantur *Herodotus*, *Diodorus*, *Strabo*, aliique plures. Herodotus in *Euterpe*, Διφασίοισι δὲ γεάμμασι χρέωνται, loquitur de Ægyptiis, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἱερὰ, τὰ δὲ δημοτικὰ καλέεται. Diodorus libro primo, παιδεύουσι δὲ τὸς υἱὸς οἱ μὲν ἱερεῖς γεάμματα δύο τὰ τε ἱερὰ καλέμενα, καὶ τὰ κοινοτέραν ἔχοντα τὴ μάθησιν. Quod infra repetit distinctiùs, atque *sacras* Ægyptiacas, *vulgares* Ethiopicas esse asserit; Ἰδίων δ' Αἰγυπτίοις ὄντων γραμμάτων, τὰ μὲν δημώδη περσαγορευόμενα πάντας μανθάνειν, τὰ δ' ἱερὰ καλέμενα παρὰ μὲν τοῖς Αἰγυπτίοις μόνους γινώσκειν τὸς ἱερεῖς, παρὰ τῶν πατέρων ἐν ἀπορρήτοις μανθάνοντας, παρὰ δὲ τοῖς Αἰθίοψιν ἅπαντας τέτοις χρῆσθαι τοῖς τύποις. *Cùm enim suæ Ægyptiis sint literæ propriæ, vulgares appellatæ, ab omnibus promiscuè discuntur, sacras autem dictas soli sacerdotes cognoscunt, secretò à parentibus traditas; his autem (Sacris) omnes indiscriminatim Æthiopes utuntur.* Unde Sacerdotes illi propriè dicti sunt ἱερογραμματεῖς. Doctrinæ Hermeticæ pars vel methodus mystica, in adytis Templi *Saitici* reperta, dicitur ἀναγεγραμμένη ἐν ἱερογλυφικοῖς γράμμασι, teste Jamblico. Neque Libris tantùm, sed columnis etiam insignioribus, cum his literis sacris inscriptum erat; ut in Sepulchro *Isidis* & *Osiridis*; quod Nisæ in Arabiâ esse dicitur, Diodorus dicit στήλην ἑκατέρᾳ τῶν θεῶν ἐπιγεγραμμένην

*De myst. Ægypt. Sect. 8. c. 5.*

μένην τοῖς ἱερεῖς γράμμασι· & *Sesostris* columna, quæ in confiniis Arabiæ & Æthiopiæ posita erat, his literis, juxta *Strabonem*, transitum ipsius significabat: Φασὶν ἐνταῦθα στήλην ἐν Σεσώστριος τοῦ Αἰγυπτίου, μηνύουσαν ἱεροῖς γράμμασι τὴν διάβασιν αὐτοῦ.

*Lib. 16.*

Neque tamen Ægyptiorum proprium erat institutum illud de duplici genere literarum, sed iis cum aliis gentibus Orientalibus commune, præsertim Æthiopibus & Babyloniis; De quorum utriusque literis sacris scripsisse videtur Democritus, si ex librorum ipsius titulis, Περὶ τῶν ἐν Μερόῃ, & περὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι, ἱερῶν γραμμάτων, judicare liceat. Ἱερῶν λόγων ἑρμηνευτὰς, apud Babylonios memorat *Lucianus*; & cùm ex columnâ Babylonicâ sermones morales sumpsisse dicitur *Democritus*, quod suprà notavimus, id de eâdem Babylone intelligo de cujus literis sacris scripsit; quibus forsan signata fuit ipsa illa columna. Denique Bragmanes Indi, non aliis tantùm literis, sed aliâ etiam à vulgari, linguâ, utuntur ad conservandam suam philosophiam. Sed pergamus in proposito.

*Apud Laert.*

*De Macrob.*

Præter has literas ignotas, sacrorum monumentorum custodes erant sacerdotes ferè inexorabiles; qui, Draconum instar, his thesauris nocte dieque incubuerunt: Et quod in libris sacris scriptum erat, non nisi his interpretibus ad populum pervenit, aut ad Exteros. De hâc difficultate questi sunt Philosophi Græci, qui in Ægyptum profecti ad comparandas scientias, multos annos insumpsêre in adeundis & demulcendis sacerdotibus. Audiamus *Strabonem* de Heliopolitanis, quoad *Platonem* & *Eudoxum*. Συνανέβη δὴ τῷ Πλάτωνι ὁ Εὔδοξος δεῦρο, καὶ συνδιέτριψαν τοῖς ἱερεῦσι ἐκεῖνοι ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη, ὡς εἰρηταί τισι· περιττοὺς γὰρ ὄντας κατὰ τὴν ἐπιστήμην τῶν οὐρανίων, μυστικοὺς

*Vid. Plut. de Is. & Osir. p. 354.*

*Li. 17. p. 806.*

μυςικὺς δὲ καὶ δυσμεταδότους, τῷ χρόνῳ καὶ ταῖς θεραπείαις ἐξελιπάρησαν, ὥςτε τίνα τῶν θεωρημάτων ἱςορῆσαι, τὰ πολλὰ δὲ ἐπεκρύψαντο οἱ βάρβαροι. *Eudoxus cum Platone eò*, scil. Heliopoli, *profectus est, & ambo cum sacerdotibus tredecim annos sunt versati, ut à quibusdam traditum est. Isti sacerdotes, cùm rerum cœlestium scientiâ præstarent, cæterùm arcanam eam servarent, neque cum quoquam facilè communicare vellent: tempore & obsequiis tandem devicti, quædam exposuerunt theoremata, plurima autem Barbari occultabant.* Sed præ cæteris memorabile est exemplum Pythagoræ, quo hoc δυσπρόσιτον sacerdotum Ægyptiorum notum faciamus. Ille enim cùm iter pararet in Ægyptum, rogavit Polycratem Tyrannum, ut Amasi Ægyptiorum Regi, amico & hospiti, scriberet, quò ad doctrinam sacerdotum liberiùs admitteretur; & cùm ad Amasin pervenisset, literas itidem ab ipso accepit ad sacerdotes, ut eorum philosophiæ particeps fieret: Unde ad Heliopolitas primùm profectus, ab iis ablegatus fuit ad Memphiticos, tanquam ad Seniores; Memphi, eodem prætextu dimissus est ad Diospolitas sive Thebanos; Illi autem, cùm, metu Regis, causam nullam ulteriùs obtendere auderent, eum à proposito deterrere studebant, laboris & molestiarum magnitudine: ideoque dura admodum, & à Græcorum religione prorsùs aliena, ei jam novitio, injunxerunt. Cùm verò hæc omnia pertulisset, animo forti & invicto: ut sacrorum & studiorum consors fieret, invitis etiam extorsit. Hæc à Porphyrio narrantur, ex *Antiphonte*, de *vitâ virorum virtute illustrium.* Ex his probationibus Pythagoræ una videtur fuisse *Circumcisio*; quam subiisse Pythagoram testatur Clemens Alexandrinus: ἵνα εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν, τὴν μυςικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν. *Ut ingressus*

*De Vit. Pyth.*

*1. Strom. p. 302.*

greſſus Adyta, myſticam Ægyptiorum philoſophiam addiſceret. Hoc quidem exigebant Ægyptii ſacerdotes, juxta Origenem, ab omnibus qui ad ſacra aut ſcientiarum ſtudia admiſſi erant. *Apud Egyptios*, inquit, *à quibus omnes prope Gentes ritus ſacrorum & ceremonias mutuatæ ſunt, nullus aut Geometriæ aut Aſtronomiæ ſtudebat*, &c. *niſi ſuſceptâ circumciſione.* Multa erant præterea probationum genera & κακοπάθειαι, ut appellat Porphyrius, quibus initiandos exercebant. Fateor autem hoc aliis gentibus, plus minùs, in uſu fuiſſe; Celtarum Druides, Judæorum Eſſeni, Græcorum Hierophantæ, myſteria ſua & diſciplinam ſecretam ἀμυήτοις tradere noluerunt: Quinetiam juramento obſtricti erant quandoque ὃν ἀποκρύφοι, ταῦτα ἔχειν. Idem de Perſis, Syris, Indis, rectè obſervatur. Sed præterquam quod horum multa, originis Ægyptiacæ eſſe credantur, ad alias gentes imitatione tradu&ta: ſi fortè in ſacris aliqui, in ſcientiarum ſtudiis nulli, adeò difficiles ſe præſtitêre ac Ægyptii.

*Com. in Rom. c. 3.*

*Orig. contra Celſ. l. 1. p. 11.*

Denique, ad celandam ſuam doctrinam, hieroglyphicis formis, ſymbolis, ænigmatibus, & fabulis, multa involvebant Ægyptii: dico *hieroglyphicis formis*, nam *ſacras literas* prorſus diſtinguendas eſſe exiſtimo ab hieroglyphicis formis: Cùm enim tot & tanta ſcripta fuerint his literis ſacris, Hermetis monumenta, ad aliquot myriadas voluminum; omnes Libri ſacri, Columnæ ſacræ, & inſcriptiones Templorum, vix à me impetrare poſſum ut credam tot & tam diverſæ materiæ argumenta, Phyſiologica, Theologica, Moralia, Hiſtorica, Politica, exprimi potuiſſe variis animalium formis, aut corporis humani membris, aut inſtrumentis mechanicis; ex hiſce enim tribus Hieroglyphica Æthiopum & Ægyptiorum conſtituebantur; referente Diodoro. Quinetiam libenter credo

*Iambl. de myſt. Ægypt. Sec. 8. c. 1.*

*Li. 3.*

credo præter ſacras eorum literas, & Hieroglyphica, propriè ſic dicta, ſacerdotibus in uſu fuiſſe alias notas Hieroglyphicas, inſtar literarum Sinenſium; aut Scripturam alterius formæ à vulgari. Atque huic quadrare videtur quod de triplici genere literarum apud Ægyptios tradit *Clemens Alexandrinus*, *Strom.* 5. Οἱ παρ' Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι, πρῶτον μὲν πάντων τὴν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι, τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην· δευτέραν δὲ τὴν ἱερατικήν, ἣν χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς· ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν, τὴν ἱερογλυφικήν. Atque hujus rei exemplum habemus in Pythagorâ, qui, juxta Porphyrium, triplices illas Ægyptiorum literas didicit; Γραμμάτων δὲ τρόπους διαφορὰς ἐξέμαθε, ἐπιστολογραφικῶν τε καὶ ἱερογλυφικῶν καὶ συμβολικῶν, τῶν μὲν κοινολογουμένων κατὰ μίμησιν, τῶν δὲ ἀλληγορουμένων κατά τινας αἰνιγμούς. Sed hæc incertiora ſunt, neque magni ponderis. *De vitâ Pyth. p. 185.*

Quoad ſymbola & ænigmata, notum eſt, moris fuiſſe gentibus antiquis ſub his involucris animi ſenſus tradere; ſive ut ingenii acumen quoddam & ſolertiam oſtentarent, ſive ut proferrent ambiguis & obſcuris modis doctrinam arcanam, quam liquidò & palàm enarrare religio erat. Quoad illos luſus & concertationes ingenii per res aut ſententias ænigmaticas, ſymbolicas, aut hieroglyphicas, eorum habemus non pauca exempla inter principes viros gentium barbararum. Rex Scythiæ, *Dario*, qui Iſtrum trajecerat, bellum minans, ſymbolum pro literis miſit, *murem*, *ranam*, *avem*, *jaculum*, *aratrum*: quod alio atque alio modo explicabant *Darii* interpretes. Alter Rex Scythiæ populo *Byzantino* hæc verba miſit, *Nolite afferre detrimentum vectigalibus meis, nè mei equi aquam veſtram bibant.* Innuens, niſi deſiſterent, ſe bellum eis illaturum. Rex Ægypti cum rege *Clem. Alex. ſtrom.* 5. *Ibid.*

Æthiopiæ hoc modo decertabat, cum *Bias* illi explicuit quâ ratione *pontum ebiberet.* Prætereà *Salomon* & rex *Tyriorum* contendebant ænigmatis; ut & *Samſon* & *Philiſtæi* in hiſtoriâ ſacrâ. Apud Græcos, *Heraclitus* cum ſuis diſcipulis, obſcuris ſententiis delectabantur; & Pythagoræi ſymbolis. Hìc autem vox *anigma* & *ænigmaticum*, latè ſumitur, pro ſermone obſcuro, involucris & ambagibus tegente rem quam deſignat, vel materiam quam tractat: ſive ſit per modum quæſtionis, mandati, aut orationis ſimplicis. Id enim Græcis eſt αἰνίτλεσθαι, res ſibi notas obſcuris dictis ſignificare; quod plures dicendi modos complecti poteſt. Denique apud Hebræos מָשָׁל & חִידָה *proverbia* & *anigmata*, omnes partes ſapientis explere videntur; quod ſententiosè dictum eſt, ſcitè graviterque, מָשָׁל appellatur; quod myſticè autem, ut ſolet doctrina arcana, חִידָה dicitur. Quo ſenſu intelligenda ſunt prophetæ verba *Pſalmo* 78. 2, ?. & *Evangeliſtæ* etiam *Matth.* 13.35. Sunt enim in doctrinâ ſacrâ, perinde ac exoticâ, myſteria ſive ἀπόῤῥητα, quæ ſubobſcurè proferuntur; tandem ſub extremis temporibus apertè & in propatulo demonſtranda.

*Joſ.* 5.c.2.

*Pſ.*49.3,4. *Baruc.*3.23

Plures erant modi Philoſophiam & Theologiam tradendi apud veteres, & plerumque arcani. Faciem velabant veritati, ac ſi vetuiſſet pudor nudam oſtendere populo. Hos modos ità notat *Proclus*: οἱ μὲν γὰρ δι' ἀποδείξεως περὶ τῶν θείων λέγοντες, ἢ συμβολικῶς, ἢ μυθικῶς, ἢ δι' εἰκόνων λέγουσιν· οἱ δὲ ἀπαρακαλύπτως τὰς ἑαυτῶν διανοήσεις ἀπαγγέλλοντες, οἱ μὲν κατ' ὄψιν ἦμην, οἱ δὲ κατὰ τὴν ἐκ θεῶν ὄπτευσιαν ποιοῦνται τὰς λόγους. *Qui enim per demonſtrationem de rebus divinis tractant, vel ſymbolicè & mythologicè, vel per ſimilitudines & rerum imagines loquuntur. Qui verò apertè ſuas cogitationes enunciant, alii quidem per ſcientiam,*

*Theol.Plat. l.1.c.4.*

*ſcientiam, alii per divinum afflatum verba faciunt.* Qui per ſcientiam aut *ſcientificè*, ut nunc loquimur, Philoſophiam tradidêre inter priſcos, perpauci, aut nulli mihi cogniti. De *Gymnoſophiſtis* & *Druidis*, ità *Laertius*, Καί φασι τὸς μὲν Γυμνοσοφιςὰς καὶ Δρυΐδας αἰνιγμαΐωδῶς ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι. *In proœm.* De priſcis in genere ità *Phornutus*, Εἰκὸς ὅτι οὐκ οἱ τυχόντες ἐγένοντο οἱ παλαιοὶ, ἀλλὰ καὶ συνιέναι τὴ τῦ κόσμυ φύσιν ἱκανοὶ, καὶ πρὸς τὸ διὰ συμβόλων καὶ αἰνιγμάτων φιλοσοφῆσαι, περὶ αὐτῆς ἐυεπίφοροι. *Perſuaſum hoc habeas, veteres non fuiſſe contemnenda capita, ſed ad naturam mundi cognoſcendam idoneos: ad eamque explicandam ſymbolis & figuris ingeniosè fœlices.* Claudamus hoc argumentum verbis *Clementis Alexandrini*, Πάντες ὧν ὡς ἔπος εἰπεῖν, οἱ θεολογήσαντες, βάρβαροί τε καὶ Ἕλληνες, τὰς μὲν ἀρχὰς τῶν πραγμάτων ἀπεκρύψαντο· τὴ δὲ ἀλήθειαν αἰνίγμασι καὶ συμβόλοις, ἀλληγορίαις τε αὖ καὶ μεταφοραῖς, καὶ τοιούτοισί τισι τρόποις παρέδοσαν. *Omnes igitur, ut ſemel dicam, qui de rebus divinis tractârunt, tàm Barbari quàm Graci, rerum quidem principia occultaverunt: veritatem autem œnigmatibus & ſymbolis, & allegoriis itidem & metaphoris, aliiſque modis conſimilibus, tradiderunt.* Ad cætera jam pergamus. *De nat. Deor. cap. ult.* *Strom. 5. p. 556.*

Ad *Fabulas* & *Mythologica* accedimus: quibus abundabat Antiquitas tàm Barbara quàm Græca, & ſupra omnes, Ægyptii; in rebus enim Ægyptiacis explicandis nihil difficilius eſt quàm genuinam hiſtoriam à fabulosâ diſtinguere. Sed longè latéque diffuſæ erant per terrarum orbem Theologia & Philoſophia Mythologicæ; multarum gentium de Diis μυθοποιίας, memorat *Phornutus*, ἄλλαι μὲν ὑπὸ Μάγων (μυθοποιάι) γεγόνασιν, ἄλλαι δὲ παρὰ Φρυξὶ, καὶ πάλιν παρ' Αἰγυπτίοις τε, καὶ Κελταῖς, καὶ Λίβυσι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἔθνεσι. *Cap. de fab. anti. trad.*

ἔθνεσι. *Aliæ à Magis compositæ sunt fabulæ, aliæ à Phrygibus, & ab Ægyptiis aliæ, & à Celtis, & ab Afris, & ab aliis gentibus.* Mythologiæ Ægyptiacæ specimen habes apud Plutarchum de *Iſid.* & *Oſir.* Phœniciæ apud Sanchoniathonem. His adjungere licet ex Luciano *Aſſyrias* & *Arabicas* fabulas vel fabularum interpretes, Ἀσσυρίων καὶ Ἀράβων οἱ ἐξηγηταὶ τῶν μύθων. Præterea Indas vel Brachmanicas, quarum meminit *Strabo*, cum de iis loquens ait, διὰ μύθων τὰ πολλὰ πιστεμβύουσι. Hodiernos etiam *Bragmanas* fabulis ſcatere, & fabuloſo cortice involvere ſuam philoſophiam, abundè patet ex relationibus doctorum virorum qui gentes illas nuper inviſerunt. Et quoad Septentrionales, ut illud etiam adjiciam, conſulenda eſt, quam anteà citavimus, *Edda Iſlandorum*: quæ perantiqua continere videtur, & non obſcurè indicat, quæ traditiones mythologicæ, & qualis fuit philoſophia iſtarum gentium Borealium. Denique in ſacro codice veteris Teſtamenti, quot habemus à Prophetis aliiſque, ſermones Mythologicos? Neque aliud ſunt plurimi ſermones Chriſti in Evangelio, quos, honeſtiori voce, Parabolas appellamus.

*Vid. plures gentes in not. ad loc. ex Damaſcio.*

*In Macrob.*

*Lib. 15.*

Vides quàm totum genus humanum, quaſi cœlo tactum, impulſum fuit & incitatum ad hanc doctrinam mythologicam: Quod enim de gentibus Barbaris jam oſtenſum eſt, non minùs de Græcis patebit in ſequentibus, ubi de *Orpheo* agetur. Quare hunc genium mythologicum, divinum eſſe arguit

*c. 3.* *Saluſtius de Diis & Mundo*; Ὅτι μὲν οὖν θεῖοι οἱ μῦθοι ἐκ τῶν χρησαμένων ὄξυν εἰσιν· καὶ γὰρ τῶν ποιητῶν οἱ θεόληπτοι, καὶ τῶν φιλοσόφων οἱ ἄριστοι, οἵ τε τὰς τελετὰς καταδείξαντες, καὶ αὐτοὶ δὲ ἐν χρησμοῖς οἱ θεοὶ, Μύθοις ἐχρήσαντο. *Divinas itaque fabulas eſſe, ex iis qui eas uſurpârunt, aſſerere licet; ex poëtis enim numine afflati;*

*ti; & philoſophis, optimi quique; & qui ſacra & ceremonias oſtenderunt; Dii etiam ipſi in Oraculis, fabulis uſi ſunt.* Hìc autem Fabularum nomine non oportet intelligere fabulas vulgò ſic vocatas, ſcilicet hiſtoriolas aut narrationes, tam quoad materiam quàm quoad formam, fictas; ſive utiles ſint, ſive tantùm jucundæ: Fabulas enim è nihilo fingere, non Homericum eſt, inquit *Strabo*: οὐκ μηδενὸς δ' ἀληθοῦς ἀνάπτειν καινὴν τερατολογίαν, ὑχ Ὁμηρικόν. Vix auſim id dicere, ſed facilè dico, οὐκ ὀρθῶς φιλοσοφικόν. Fabulæ enim Philoſophicæ ſemper habent aliquid fundamenti in re ipsâ; ſtamina vera ſunt, ſed falſi colores ſuperinducuntur. Rectè *Planciades Fulgentius* de diverſo fabularum genere: *Fabularum, quarum nomen indicat falſi profeſſionem, aliæ delectationis tantùm, aliæ etiam utilitatis causâ conſcriptæ ſunt: Eas verò quæ tantùm delectant philoſophi repudiantes, alteram fabularum ſpeciem hoc modo dividunt: Inventarum utilitatis causâ fabularum in quibuſdam & materia ficta eſt, & per mendacia ipſe relationis ordo contexitur, ut in fabulis Æſopi, elegantiâ fictionis illuſtribus: at in aliis materiæ veritas ſubeſt, ſed hæc ipſa veritas per quædam compoſita & ficta profertur; & hæc jam vocatur fabuloſa narratio non fabula. Ut myſticæ Heſiodi & Orphei de Deorum progenie ortuve traditiones. Ex hâc ergo ſecundâ diviſione, quam diximus, prior ſpecies, quæ concepta de falſo per falſum narratur, à Philoſophiæ libris prorsùs aliena eſt.* Eæ igitur tantùm ſunt philoſophicæ, quarum fabuloſo cortici ſubeſt veritas; eaque non vulgaris. Id enim ſibi propoſuiſſe videntur philoſophiæ mythologicæ authores, ut doctrinam arcanam ab interitu conſervarent, neque tamen vulgo aut vulgaribus ingeniis exponerent. Providentia divina, quæ omnium ſæculorum & labentis mundi

*Lib. 1. f. 20.*

*Præfat. ad Mythol.*

mundi habenas moderatur, cognitionem rerum divinarum & naturalium ita temperat, & latentem conservat, ut non nisi suo tempore clarè effulgeat veritas; simulque constet, ubi effulserit, eandem absconditam latuisse, & variis modis velatam inter homines, à primis mundi sæculis.

Hæc de usu Mythologiæ, inter omnes gentes literatas & sapientes diffusæ; de ipsius antiquitate quædam præterea adjicienda sunt. Philosophia Mythologica videtur mihi perantiqua, neque tamen omnium antiquissima; ut fiat umbra, oportet ut sit corpus; & imagines rerum rebus ipsis sunt posteriores. Sed perantiquam esse id probat, quod ab omnibus gentibus antiquitate conspicuis usurpata fuerit. Et apud Græcos extra dubium est, eorum Philosophos
*L. 1. fol. 20.* & Theologos antiquissimos, addit etiam *Strabo*, Historicos (Οἱ πρῶτοι ἡ ἱστορικοὶ καὶ φυσικοὶ, μυθογράφοι) fuisse Poëtas, & Mythologicè scripsisse. Id de
*Lib. 3.* Lino testatur *Diodorus Siculus*, Λίνον φασὶ τοῖς Γελαστικοῖς γράμμασι συνταξάμενον τὰς τῶ πρώτω Διονύσου πράξεις, καὶ τὰς ἄλλας μυθολογίας ἀπολιπεῖν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. *Res Bacchi*, aliasque mythologias in commentariis reliquisse. Cætera apud Græcos monumenta vetustissima, mythologica erant; Qualia fuere *Orphica*, Θεογονίαι, Γιγαντομαχίαι, atque *Cycli Epici* argumenta. Id enim opus, à multis celebratum, videtur fuisse MYTHOLOGICON MAGNUM Græcorum, ex antiquissimis poëtis compositum, qui historiam Fabularem conscripserant. Res priscas tantùm continuit, & non solùm sæculum μυθικὸν pertransivit, sed perrexit ad ἀϊδίλα principia; incœpit enim ab exordio mundi & in Ulysse desinebat,
*Cod. 239.* ut notavit ex *Proclo Photius*, Ἄρχεται μὲν ἐκ τῆ Οὐρανῦ καὶ Γῆς μυθολογυμένης μίξεως· διεξέρχεται δὲ περὶ θεῶν,

τὰ

τά τε ἄλλα τοῖς Ἕλλησι μυθολογήμα---καὶ περατοῦται ὁ Ἐπικὸς Κύκλος, συμπληρώμα ἐκ διαφόρων ποιητῶν, μεκρὶ τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως. Itidem *Clemens Alexandrinus* ait, Μάλιστα ἐν τοις πάνυ παλαιοῖς τῶν τοῦ Κύκλου ποιητῶν τιθέασι. Sed de hoc opere plura infrà. Denique *Chao* nihil antiquius in hoc mundo, atque ortum rerum ex Chao mythologicè tractâsse Græcos, per modum *Genealogiæ Deorum*, satis alibi demonstrabitur. Quare ipsi physiologiæ coævam esse in Græciâ hanc Mythistoriam, & eosdem habuisse authores, non negarem. *Strom. 1. fol. 333. Euseb. præp. Ev. p. 39. pen.* *Lib. 2. c. 1.*

Sed à Barbaris mutuati sunt philosophiam Græci; id igitur præcipuè quærendum, quàm antiqua sit *Mythologia Barbarica*. De Ægypto verò agitur hìc præcipuè, quæ pristinæ sapientiæ nutrix habebatur. Apud Ægyptios autem nihil sanctius, nihil antiquius philosophiâ *Hermetis*, quare eò redit disquisitio nostra, aut ipsius pars prima, *Sub quo genere doctrinæ tradita fuit primùm philosophia Hermetis?* Nimiùm multa sunt dubia circa hanc doctrinam, si discutienda essent singula; quibus monumentis inscripta fuit, Libris, an Columnis, an utrisque? Quibus literis, Hieroglyphicis propriè sic dictis, aut aliis? Quo scribendi genere, simplici an allegorico? Sed missis cæteris, de hoc ultimo impræsentiarum breve examen instituamus.

Imprimis illud non dubito, utroque modo conscriptam fuisse hanc philosophiam, diversis temporibus; nam de libris *Hermetis* allegoricè scriptis fit mentio, & de interpretatione horum librorum, & de eorundem in allegorias iteratâ conversione; quare varias subiisse vices & formas quoad stylum & modum scribendi, negari non debet. Sed quoties & quo ordine hoc factum, nimio plus incertum mihi videtur. Duo tantùm

tantùm nobis suppetunt authores, quod sciam, aut authorum fragmenta, unde hæc colligi possunt, *Manetho* & *Philo Byblius*; neque horum alteruter rem distinctè explicat. *Manetho* apud *Eusebium*, & exinde apud *Syncellum*, ait, *Mercurium* primum, doctrinam suam, sacrâ dialecto, literisq; Hieroglyphicis, columnis in Terrâ Seriadicâ positis, inscripsisse: quæ post diluvium, ex sacrâ linguâ in Græcam, literis itidem Hieroglyphicis, versa fuit: & scriptis commendata in Templorum Ægyptiorum adytis ab *Agathodæmone*, secundo *Mercurio*, patre *Tat*. Sed præter illa duriuscula, de columnis ante-diluvianis, de Terrâ *Seriadicâ* nemini notâ, & de literis Hieroglyphicis in Græcanicâ linguâ: præter hæc, inquam, *Manethonis* sermo propositum nostrum non attingit: nam de traductione in aliam linguam agit, non in aliud styli genus; neque explicat quo genere styli, simplici vel allegorico, Autographa illa *Mercurialia* sive monumenta *Seriadica* conscripta erant. Propiùs accedit ad rem nostram *Philo Byblius*; Filius *Thabionis*, inquit, primus dicitur Libros Mercuriales in allegorias convertisse, atque eâ formâ ad Græcos posteà descendisse hanc doctrinam; qui pro innato sibi ingenio variè eam ornando & amplificando ex alienâ propriam fecerunt. Post multas autem generationes, *Surmubelum* & *Thuro*, (ignota mihi capita,) ità obumbratam denuò illuminâsse. Verba *Philonis* ultima hæc sunt, Μετὰ γενεὰς πλείστας θεὸς Σουρμυβηλὸς, Θυρώτε, ἢ μετωνομασθεῖσα χώσαρθις, ἀκολουθήσαντες, κεκρυμμένῳ τῷ Ταάυτου, καὶ ἀλληγορίαις ὑπσκιασμένῳ

*Chron. p. 6. Græc.* Ἐκ δὴ ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κιμώνων στηλῶν, ἱερᾷ, φησι, διαλέκτῳ καὶ ἱερογλυφικοῖς γράμμασι κεχαραγμένων ὑπὸ Θωὺθ τὸν πρώτου Ἑρμοῦ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν, μετὰ τὴν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν γράμμασιν ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τῶν Ἀγαθοδαίμονος, τῷ δευτέρῳ Ἑρμοῦ, πατρὸς δὲ Τάτ, ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγυπτίων.

*Euseb. præp. Evang. l. 1. c. ult.*

*Ibid. seq.*

ἐπισκιασμῷλω ἡ θεολογίαν ἐφώτισαν. Prætereà dicit *Sanchoniathonem* ante Trojana tempora hanc doctrinam *contuliſſe cum iis quæ reperta erant in adytis repoſita, arcanis Ammoneorum literis*, atque eo modo ſuis fabulis eam repurgâſſe. Sed iterùm iterúmque à ſacerdotibus reductam eſſe ad ambages Mythologicas.

Hìc quidem de ſtylo mutato, & modo explicationis, non de linguâ tantùm aut literis, apertè agitur; Et licet non admodùm clarè hæc à Philone deducta ſint, aut ab *Euſebio* inde deſcripta, utcunque hinc patet Philoſophiam Hermetis varias metamorphoſes ſubiiſſe, primamque ipſius formam fuiſſe nudam & ſimplicem, atque à filio *Thabionis* (quiſquis ille fuit, ſive Manethonis *Agathodæmon*, ſive alter aliquis) in methodum & inſtitutionem artificioſam per ſymbola, ænigmata, allegorias, mythologias, & imagines hieroglyphicas, primò fuiſſe tranſpoſitam. Atque hæc mihi videtur origo philoſophiæ larvatæ, ut ità dicam, in Ægypto; atque forſan totius mythologiæ Barbaricæ Græcæque; ſaltem ex eorum ſententiâ qui cæterarum gentium philoſophiam ex Ægyptiaca derivandam eſſe ſentiunt. Unde omnem gentem antiquam quæ ſuam habet mythologiam, ſuam olim habuiſſe philoſophiam puram, æquum erit ſupponere; cui, tanquam nucleo, circumobductus erat poſteà cortex fabuloſus. Studii enim & artis opus eſt Mythologia, aut quævis doctrina allegorica; non primus ingenii impetus, ſed ſecundus tertiuſve, cùm res jam inventæ fuerint, & celandæ ſint aut ornandæ.

De fabulis & allegoriis philoſophicis hìc loquimur, iiſque priſcis, quibus ſemper aliquid ſubeſt fundamenti loco. Cæterùm in hujuſmodi allegoricis aut Mythiſtoricis interpretandis maxima cura & cautio

adhibenda est. Præterquam enim quod suâ naturâ luxuriant, & ornatûs causâ aut propter τὸ πρέπον καὶ τὸ πιθανὸν, multa habeant quoad interiorem sensum superflua, toties mutantur & refinguntur, ut qualia fuerint in primâ suâ origine non facilè est dignoscere; rectè notavit *Plutarchus* de Ægyptiis, Καίτοι λεπταί τινες ἀπόῤῥοιαι καὶ ἀμυδραὶ τῆς ἀληθείας ἔνεισι ταῖς Αἰγυπτίων ἐνδιεσπαρμέναι μυθολογίαις, ἀλλὰ ἰχνηλάτου δεῖται, καὶ μεγάλα μικρῶν ἁλῶναι δυναμένου. *Sunt quidem etiam in Ægyptiorum fabulis exilia quædam veritatis vestigia, sed Indagatorem desiderant acutum, & qui magna à parvis venari queat.* His igitur perpensis, mihi statutum est ab hujusmodi argumentis nihil authoritatis mutuari; sed cùm res aliunde constiterit, & probata fuerit liquidâ ratione aut historiâ veraci, non abs re erit severiorem philosophiam hisce condimentis quandoque temperare.

Ἔρωτ. p. 762.

De Philosophiâ Ægyptiacâ hæc dicta sunto. In quâ explicandâ eò magis abundavimus, quod hæc gens cæteris sapientior habita sit, & ab hoc exemplo de reliquis omnibus in eodem genere literaturæ idem judicium fieri possit. At videor mihi subaudire aliquem, dicentem, Quî potest explicari sapientia Ægyptiaca sine explicatione *Obeliscorum, Hieroglyphicorum, Tabularum mysticarum*, ut *Smaragdina, Isaicæ*, & monumentorum consimilium? In his latent mysteria Ægyptiorum, naturalis scientiæ arcana, aut etiam sacra Adeptorum ἀπόῤῥητα. Age sodes, videamus quid magni aut miri continent hæc pomposa monumenta; Quid nos docent, ignotum antea aut absconditum, sive in Scientiis, sive in Theologiâ antiquâ. Cedo quemvis Interpretem. Ex iis qui hoc munus susceperunt, Quis se expedivit optimè? Quem sequemur ducem? Inter antiquos, hanc tractâsse materiam

teriam nullum memini præter *Oram Apollinem*, vel *Niliacum*: incertæ ætatis & originis authorem. Hunc ex Ægyptiaco in ſermonem ſuum tranſtuliſſe dicitur Philippus quidam, ſequioris ævi Græculus. Sed exigui ponderis ſunt quæ nobis explicantur Hieroglyphica in iſthoc tractatu. Recentiores dein, (quibus nominandis abſtineo) qui de Symbolis, Hieroglyphicis, Tabulis, Obeliſcis, aliiſque Ægyptiacis, ſcripſêre, quid magni aut egregii, ex his monumentis eruerunt, vel ad elucidationem naturæ, vel ſcientiarum quarumcunque augmentum? Ludunt plerumque in minutis, aut operosè ſudant in obſcuris aut inutilibus. Proinde, ſi philoſophiam ſpectes, non aliunde repetenda eſt ſapientia Ægyptiorum, quàm ab eorum diſcipulis, Philoſophis Græcis. Idque potiſſimùm ab antiquiſſimis, nempe Orphicis, Ionicis, Pythagoricis, Platoniciſque. Patrum imagines in filiis & nepotibus intuemur: & ab his alumnis diſciplinæ Ægyptiacæ, ipſius effigiem qualitercunque licet depingere vel adumbrare.

Alia prætereà diluenda eſt objectio, antequam huic diſſertationi finem imponamus; ſcilicet, ſi tanta eſſet, ut à nobis fertur, Ægyptiorum ſapientia: tanta rerum divinarum & naturalium cognitio: quî fieri potuit ut in Idololatriam craſſam, omniumque fœdiſſimam hæc gens laberetur. *Fœdiſſimam*, inquam, cùm non tantum Solem, Lunam, & Cœleſtia Corpora; non tantùm homines illuſtres & beneficos; ſed etiam beſtias & animalcula; imò ipſa olera, pro numinibus haberent & venerarentur. Reſpondeo, utì divina ſapientia, ita humana ſtultitia, eſt imperſcrutabilis; neque ideò negandæ ſunt res certæ & conſtanti fide traditæ, quòd Rationi non conſentiant, aut aliæ aliis

opponantur. Siquis tibi exposuisset doctrinam Christianam, cultumque purum & simplicem Dei invisibilis quem suis imperat, atque in hoc cultu vetita esse simulacra; præterea dixerit populum Christianum literis & scientiis florere, & viris ingenio præstantibus præ cæteris humani generis. Alter autem subaudiens & subridens, Hæc ità se habere posse prorsùs negaret, hoc fretus argumento, Quòd ipse sæpiùs vidisset hunc populum Christianum in suis Templis adorare, non quidem Solem aut Sydera, nec Bestias, aut Herbas, sed his omnibus inferiora, *albi panis frustula*, aut placentas farinaceas. Atque ea Templa præterea defunctorum hominum Simulacris referciri. Denique se vidisse iterum iterúmque, hos bonos viros coram his simulacris & coram hâc placentâ panaceâ venerabundos prosterni, elatis in cœlum oculis manibusque, ductis ex imo pectore suspiriis, datisque signis omnibus quibus numinis præsentiam cultumve testari solent homines. His utrinque auditis, Quid facies, quæso? cui potiùs credes, huic aut illi, Philosopho aut Historico? aut neutri? aut utrique? Utrique certè credendum est, neque ob rei incongruentiam neganda est fides. Nam adeò vaga res est, & subdola, natura humana, ut nec rationi, nec sibi constet, in suis moribus; sæpe absurda facit, sæpe adversa: & contrariis motibus fertur, aut ex imbecillitate, aut ex malitiâ. Et cùm hæc domi videas, hodieque, quid miraris olim facta fuisse non dissimilia apud gentes barbaras. Præterea quid nobis exprobras Ægyptiorum nostrorum Idololatriam, cum totum genus humanum, exceptis paucis Judæis, infecerat illa labes; neque artium & scientiarum vis, aut obstare potuit aut mederi, huic pesti. Græcos & Romanos invasit & subjugavit, perinde ac gentes incultiores:

*Cicer. l. 1. de nat. Deor. Sec.* 36

tiores: atque illis minùs insaniisse Ægyptios, & Philosophi & Theologi ostenderunt. *Clem. Alex. admon. ad Gent. p.25.*

Sed quoad malum illud Idololatriæ, apud majores nostros epidemicum, uti jam licet dicto Comœdi, *Facilè omnes cum valemus, rectè consilium ægrotis damus.* Nos sanati & immunes ab hoc morbo, miramur alios eodem tam diù laborâsse; cùm tam facile esset aut venienti occurrere, aut præsenti mederi. Sed, à nobis ad patres nostros, quàm disparsit ratio, malè interim reputamus. Judæi primùm, vivâ Dei voce, repetitis miraculis, mille minis, & mille pœnis, ab Idololatriâ depulsi & deterriti erant. Nos Judæorum oracula amplectimur, *Mosis* & Prophetarum vestigia premimus: atque insuper, à Christo & Apostolis ipsius, cultum adhuc puriorem docemur, & à sensibus magis abstractum. Quibus documentis, tanquam fortioribus antidotis, contra omnes vires istius veneni munimur & corroboramur. His tamen non obstantibus, Ecclesiæ Christianæ partem maximam, aut eminentissimam, ad cultum Idololatricum prolapsam esse querimur: veteremque morbum, sub novâ specie, invito omni cœlo, recidivum. Hæc cùm ita sint, quid miramur, Naturam humanam, sibi, ut olim, permissam, atque suis tenebris involutam, in eadem, aut minora, incidisse crimina; atque suâ vi malum repellere non potuisse, quod supremo numinis auxilio nondum repulsum vidimus. Age verò, & depositis præjudiciis, de rebus humanis humanitùs loquamur: non ex voto nostro, sed prout rei fert natura, & multorum Sæculorum usu deprehensum est. Deus Philosophorum esto Numen invisibile: Sed Numen populi, gentisque humanæ, sibi relictæ, semper erit aliquid aspectabile. Audi, si vacat, historiam Arabicam de *Abrahamo*: Traditio est apud illos, *Abr. Echel. hist. Arab. c.6.*

*Abra*

*Abrahamum, ſtatim atque in lucem editum, à Patre, in quâdam ſpeluncâ, quæ in montis receſſu erat, abſconditum fuiſſe, metu Chaldæorum, qui manus illi inferre quærebant: quòd ſuis Diis fatalem fore, Aſtrologi prædixiſſent. Inde tandem noctu primùm prodiens, jam vir factus, cælum, ejuſque innumera aſtra, non abſque admiratione ſummâ contemplari cœpit: videnſque ſtellam Veneris fortè exorientem, & cæteras lumine, ſplendore, & claritate, longè ſuperantem, ait, HIC EST DEUS MEUS, ET CREATOR MEUS. Sed cùm non multo poſt, Luna apparuiſſet, mutatâ ſententiâ, dixit, HIC EST DEUS MEUS, ET CREATOR MEUS. Demùm, orto Sole, attonitus exclamavit, HIC, HIC, EST VERE DEUS MEUS, ET CREATOR MEUS: QUO SPLENDIDIUS, QUO ALTIUS, QUO PULCHRIUS, NIHIL EXCOGITARI POTEST. Sed, hæc dicenti, apparuit adſtititque Angelus Gabriel, eumque docuit verum Deum, veramque religionem.* Genus humanum, religionis flammâ correptum, idololatriâ prohibere, ſine miraculis & cœleſti auxilio, tantum non impoſſibile eſt. A defunctorum hominum, animalium, olerumve cultu, ut cohibeamur, ſufficere videtur ratio naturalis: Hæc enim nihil habent auguſti aut ſtupendi, quo animum effaſcinent. At Luminaria cœleſtia, omnium omninò, quæ aſpectui ſubjiciuntur, præſtantiſſima, tam magnitudine quàm ſplendore, oculos primùm percellunt: dein mentem, admirandi ſui motûs conſtantiâ, ordine, & rapiditate, concutiunt: denique, multifariis virtutibus & beneficiis, totum hominem ſibi devinciunt, & quaſi obruunt. Ab horum Corporum cœleſtium admiratione (quibus etiam Animas dedêre veteres) nemo ſe temperare potuit, aut debuit: Et ab admiratione ad veneratio-

nerationem, in rebus magnis, ſtupendis, & inacceſſis, facilis eſt progreſſus.

At verò, inquies, non Idololatriæ ſolùm, ſed etiam *Genethliacæ* & *Magiæ:* Huic improbæ, illi vaniſſimæ, arti, deditiſſimi erant Ægyptii; nec Ægyptii tantùm, ſed omnes ferè veteres. Rectè mones: ſed quoad Genethliacam, quid mirum Gentes illas, quæ Cœlum, Solem, & Sydera, pro tot Numinibus habuere, eadem rebus humanis dominari, & ſuum cuique fatum præſcribere, aut reverà credidiſſe, aut, quò lucrum ſibi facerent, voluiſſe ut id crederet populus. Illud magis miror, reperiri etiamnum, inter homines Chriſtianos, qui eandem artem colant & tueantur. Etiam nunc, inquam, cùm non tantùm ab omni ſuperſtitione magis abhorrere debemus, ſed cùm innotuit etiam, luce clariùs, Cœlorum natura; nempe Planetas nihil aliud eſſe, quàm tot moles opacas terreſtres, Fixaſque tot moles igneas: Neque ideò *Aſtrologiæ*, quæ dicitur, *Judiciariæ*, ullum Theorema, in Scientiâ naturali fundari, vel fundari poſſe.

Quoad Magiam, multa ſunt ipſius genera: nobis quidem Chriſtianis ſolidè interdicta, ob mutatum forſan mundi inviſibilis regimen. Sed lege naturæ interdictum eſſe qualecunque cum Geniis commercium, non tam facilè patet. Hoc autem commercio ſi abuſi ſint nonnulli, ſive in damnum humani generis, ſive ad faſtum & oſtentationem, malitiæ quidem id arguit authores, aut vanitatis, non autem ignorantiæ. Denique facilè aſſentior iis, qui, utramq; artem, Aſtrologicam & Magicam, primùm edoctos eſſe homines, aiunt, à malis Angelis. Videntur enim mihi, cum utriuſque apparatum intueor, Inventa, vel Deliramenta, pluſquam humana. Sed de his ſatis.

Cùm

Cùm hæc ita ſe habeant, & ſalva ſit antiqua Ægyptiorum fama quoad literas & ſcientias, quâ ratione periit, & quando tandem hæc priſca ſapientia paulatim extincta fuit, ultimo jam loco explicandum. Quanta eſt rerum humanarum inconſtantia, & quàm mirandæ vices! Non tantùm Imperia mutantur, ſed literæ, mores, religio, ex aliis in alias terras migrant; & cùm omnibus non liceat his ſimul frui, alternatim fruimur. Ità res humanæ comparantur, ac ſi inter præſtituti temporis ambitum, ſingulas terras populoſque, ſuas habituros eſſe vices, tam in bonis quàm in malis, decretum eſſet. Ab oriente, inſtar Solis, curſum ſuum incœperunt literæ: ad occidentem vergentes, ubi earum luce jam diù gaudemus: Quis novit ſi, relictis his ſedibus, ulteriùs progreſſuræ ſint: vel ſi undique diffuſæ, totum terrarum orbem ſuis radiis ſimul illuſtrabunt. Quoad Ægyptum, floruit olim omni diſciplinarum genere, & jam extremâ barbarie obruitur. Uſque ad Perſarum tempora ſuas literas atque ſua ſacra inviolata tenuit, primuſque Cambyſes Templa Ægyptiaca ſpoliavit, diruitque; &, vulnerato Deo Api, Sacerdotes omnes contemptui habuit. At extincto Cambyſe, Darius non tantùm humaniſſimè tractavit Ægyptios, ſed erudiendum ſe tradidit ſacerdotibus, ut earum doctrinam ſacram addiſceret. Ità *Diodorus*, ὁμιλῆσαι μὲν γὰρ αὐτὸν, de Dario loquitur, τοῖς ἱερεῦσι τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ μεταλαβεῖν τῆς τε θεολογίας αὐτῶν, καὶ τῆς ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγεγραμμένων πράξεων. Sed non eodem animo affecti erant erga Ægyptios & eorum ſacra Reges poſteri, nam, petente Ægyptum Alexandro, libenter & ſine belli diſcrimine, in ipſius dominationem venerunt Ægyptii, idque, ut ait Hiſtoricus, quòd eos & eorum ſacra malè tractâſſent Perſæ.

*Herod. l. 3.* *Diod. l. 1.* *Juſtin. l. 1. c. 9.*

*Lib. 1.*

Perſæ. Οἱ δ' Αἰγύπτιοι ὑπὸ Περσῶν ἠσεβηκότων εἰς τὰ ἱερὰ καὶ βιαίως ἀρχόντων, ἄσμενοι προσεδέξαντο τὸν Μακεδόνας. Sed ab hoc tempore, ſub Alexandri ſucceſſoribus, ſenſim degeneraſſe videtur & ſacerdotium & ſapientia Ægyptiaca, ita tamen ut in utroque intervallo, ſub Perſis & ſub Ptolomæis, deſcenderint in Ægyptum ex Græcis philoſophis multi; quotquot nempe poſt Pythagoram (qui in Ægypto fuit eodem tempore quo Cambyſes) iter illud ſuſceperunt. Sed debellatâ à Romanis Ægypto, & combuſtâ Bibliothecâ Alexandrinâ, unà periit Literatura Antiqua. Fuit autem poſtea Alexandriæ Schola illuſtris: non Græcorum tantùm, ſed etiam Judæorum, dein Chriſtianorum, uſque ad tempora Saracenica. A quibus, & ſequioribus Turcis, tandem ad barbariem redacta fuit tota Ægyptus: priſcæ ſapientiæ ſedes olim florentiſſima.

*Diodor. l. 17.*

*Iambl. de vit. Pyth. l. 1. c. 4.*

Siqua prætereà expetuntur, circa cauſas & ortum ſapientiæ Ægyptiacæ, occurrent infrà, ubi in *Originem ſapientiæ priſcæ & barbaricæ* inquiritur. Reſtat hìc unicum addendum, ut ſcriptores qui potiſſimùm deſiderantur in hoc argumento, breviter indicemus, quemadmodum in reliquis factum eſt. *Severus* quidam, apud *Suidam*, Sophiſta Romanus, dicitur peragrâſſe totam Ægyptum, & *libros omnes qui aliquid arcani habebant, & quoſcunque reperire potuit, ex omnibus Adytis ſuſtuliſſe*, & *in Alexandri monumento concluſiſſe*. Hæc nobis ſubduxit vir invidus. Inter deperditos eminet *Manetho*, deſideratiſſimus author, *Flamen ſacrorum & ſcriba Adytorum* Ægypti, ut ipſe ait ad *Ptolomæum*; qui ex *columnis Mercurialibus* commentaria ſua deprompſit. Hiſtoriam compoſuit, à vetuſtiſſimis & fabuloſis ſæculis exorſus, & per Deorum & ſemideorum imperia ad tempora notiora progreſſus

*Cap.*

*In Voc.*

*Apud Euſ. Chron. p. 6.*

gressus est. Cumque mos esset antiquis suas historias aut archæologias à quadam Cosmogoniâ auspicari, idem à *Manethone* factum fuisse in hoc opere verisimile est. Quinetiam Theologiam Ægyptiacam seorsim conscripsit, quæ complecti solet, apud veteres, Physiologiam. Sed audiamus *Eusebium* de operibus *Manethonis*, Γᾶσαν μὲν οὖν τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν εἰς πλάτος τῆς Ἑλλήνων μετείληφε φωνῆς, ἰδίως τε τὰ περὶ τῆς κατ' αὐτοὺς θεολογίας Μανεθὼς ὁ Αἰγύπτιος, ἐν τε ᾗ ἔγραψεν ἱερᾷ βίβλῳ, καὶ ἐν ἑτέροις αὐτοῦ συγγράμμασι. *Omnem historiam Ægyptiacam fusè, & speciatim quæ ad Theologiam hujus gentis pertinent, in Græcam transtulit linguam Manethos Ægyptius, cùm in sacro opere quod scripsit, tùm in aliis commentariis.* Memorat prætereà *Suidas* τὰ φυσιολογικὰ *Manethonis*; quod opus, nisi forsan principium esset aut prolegomenon suæ historiæ, proposito nostro quàm maximè responderet. Adhæc *Laertius* citat τὴν τῶν φυσικῶν ἐπιτομὴν *Manethonis*, & *Porphyrius* τὴν περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας, *de antiquitate & pietate librum.* Hæc singula an fuerint diversa opera, & ejusdem Manethonis *Sebenitæ*, non disputo, cùm nostra non intersit; patet utcunque istiusmodi fuisse quæ in hoc argumento non parùm lucis conferre potuissent.

*Præp. Ev. l. 2. princ.*

*In Proœm. de abstin. 2. & Euseb. præp. Evan. l. 4. c. 15.*

Scripsit *Sanchoniathon*, secundum Suidam, περὶ τοῦ Ἑρμοῦ φυσιολογίας· atque etiam Αἰγυπτιακὴν Θεολογίαν. *Asclepiades* etiam, apud eundem, in sacris istis exercitatissimus, scripsit *Hymnos in Deos Ægyptiorum*: & de *omnium Religionum consensu* Commentarium. Scripsit adhæc *Historiam Egyptiorum*, *Ogygiorum* res gestas continentem: *ad tres minimùm annorum myriades.* Hæc ille. *Petosiris*, cujus meminit Juvenalis, & Plinius non semel, Astrologica, & de Ægyptiorum mysteriis, è Sacris Libris, quædam scripsisse dicitur.

*Voce Ἡρακίσκος.*

Deside-

Desideratur præterea *Hecataus*, sive Abderita, sive Milesius, περὶ τ Αἰγυπτίων φιλοσοφίας; cujus meminit *Laertius in proœmio*, ubi etiam ex *Aristagorâ* repetit dogmata Ægyptiaca. Dein *Palæphatus*, referente *Suida*, Αἰγυπτιακὼ θεολογίαν conscripsit, & παλύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων· quæ eodem spectasse videntur: nempe ad Theologiam eorum Mythologicam. Denique *Chæremon*, sacerdos Ægyptius, quem laudat summoperè *Porphyrius*, & è contra multis modis vilipendit *Strabo*; *Hieroglyphica* & *res* Ægyptias literis commisit. His addi possunt alii rei philosophicæ apud Ægyptios scriptores; sed quid his & illis authoribus, qui jam exciderunt, sigillatim enumerandis immorarer, cùm unico ictu perierint in Ægypto librorum multæ myriades; ingens, scilicet, & instructissima Bibliotheca Ptolomæi Philadelphi; in quâ non tantùm literaturæ Ægyptiæ, sed omnes, ut par est credere, doctrinæ Orientalis superstites thesauri reponebantur.

*Voce* Παλαίφ.

*De abstin. l.* 4. *Geogr. l.* 17.

# CAP. IX.

## *De Philosophiâ Græcanicâ: & primò de Orphicâ.*

HÆC de *Philosophiâ Barbaricâ* dicta sunto. Sequitur *Græca*, quæ etiam tempore posterior fuit, & ab alterâ derivata. Hoc ferè apud omnes eruditos in confesso est, & res ipsa loquitur: Cùm verò nonnulli, aut ex amore Gentis Græcæ, aut quod minùs seduli essent rerum antiquarum scrutatores, hoc in dubium revocârint: probationem rei primo loco afferre debemus, ut quæ dicturi sumus posteà de hâc philosophiâ, majorem vim & lucem habeant, ubi de ipsius origine conventum fuerit. *Huet. in Prolæm.*

Non negamus à Græcis multa inventa in scientiis, præcipuè Mathematicis; quas egregiè excoluerunt; ut supra dictum est. In Philosophicis etiam nonnulla observata, multa digesta & in formam systematis disposita. Ut utroque modo Græca Romanis ingeniis longè anteponenda esse censerem. Sed utì disciplinarum Mathematicarum rudimenta, ità in Philosophiâ non rudimenta tantùm, sed maxima & præstantissima dogmata, à Barbaris accepisse Græcos asserimus; atque de hâc re unica lis est aut esse debet; nam circa *Geometriam*, *Astronomiam*, *Arithmeticam*, ipsos Græcos habemus testes, aut confitentes, has scientias ab exteris primùm inventas & plus minùs excultas fuisse. Ità testantur, *Herodotus*, *Plato*, *Aristoteles*, *Cap. prec.*

*Aristoteles*, *Diodorus*, *Strabo*, *Laertius*, *Achilles Tatius*, aliique; unde quoad tres illas disciplinas, intrà tres antiquas gentes, Assyrios, Ægyptios, Phœnices, (quibus *Lucianus* addit Æthiopes, quoad Astronomiam) semper stetit controversia; neque inventionis & primatûs laudem ambiebant Græci. Quapropter Græcorum defectus in observandis astris supplet Aristoteles (*de Cœl. l. 2. c. 12.*) ab Ægyptiis & Babyloniis. In syderali cognitione, quantulam observationum historiam, quas speculas, quæ instrumenta Astronomica, memorantur Græci antiquitùs habuisse? Babyloni, in Templo *Jovis Beli*, à Reginâ *Semiramide* constructo, turris erat octuplex, sive octo turres, aliæ aliis superstructæ, in quibus sydera contemplabantur Astronomi; referente *Diodoro*: Ut olim montes montibus superimposuerunt Gigantes, quò cœlum peterent. *Semiramis* autem floruit annis octingentis ante bellum Trojanum, cùm nondum *literas* haberent Græci. Præterea, captâ ab Alexandro Babylone, *Calisthenes* dicitur misisse in Græciam observationes cœlestes novendecies centenorum & trium annorum, quæ apud Babylonios in monumentis asservabantur. Has si ab Alexandri temporibus sursùm computemus, ultra *Semiramidis* ætatem assurgent; unde in hâc ipsâ *Beli* turri factas esse à Chaldæis has observationes, magnam

*Herod. l. 1. fol. 75.*

*L. 2. fol. 94.*

*Simpl. l. 2. de cœl. p. 123. ex Porphyrio,* ὑπ' Ἀριστοτέλους οὖν πειθομένους ἕπεσθαι δεῖ μᾶλλον τοῖς ὑστέροις, ὡς μᾶλλον σώζουσι τὰ φαινόμενα, ἐκείνων μήτε τελείως σωζόντων, μήτε τοισαῦτα φαινόμενα εἰδότων, διὰ τὸ μήπω τὰς ὑπὸ Καλλισθένους ἐκ Βαβυλῶνος πεμφθείσας παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἑλλάδα. τοῦ Ἀριστοτέλους τοῦτο ἐπισκήψαντος αὐτῷ· ἄστινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι καὶ ἐννεακοσίων τριῶν, μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακέδονος σωζομένας. *Idem* Simplicius *meminerat antea (l. 1. de cœl. p. 27.) observationum bis millennium apud Ægyptios, & apud Babylonios adhuc plurium:* ἤκουσα γ' ἐγὼ Αἰγυπτίους ἄστρων παρατηρήσεις ἔχειν ἐγγεγραμμένας οὐκ ἐλάττοσιν ἢ δεχιλίοις ἐν αὐτοῖς, Βαβυλωνίους δ' ἔτι πλείοσι. *Denique, notus est immanis Babyloniorum calculus apud Cicerenem* de divin. l. 1. *qui, cùm omnem fidem superet, non est memoratu dignus.*

partem,

partem, veriſimile eſt. Denique, quò propiùs ad Græcos & Græcorum tempora deſcendamus, *Epigenes*, ſeptingentorum & viginti annorum obſervationes apud Babylonios; & qui minimum notabant, *Beroſus* & *Critodemus*, quadringentorum & octoginta,

*l. 7. c. 56.* literis tradidêre. Verba ſunt *Plinii: Epigenes apud Babylonios DCCXX annorum obſervationes ſyderum coctilibus laterculis inſcriptas dõcet, gravis author imprimis; Qui minimùm, Beroſus & Critodemus CCCCLXXX annorum.* Si ætatem *Epigenis*, qui *Beroſum* anteceſſiſſe

*Sen. nat. q. l. 7. c. 3.* videtur, & apud Babylonios fuit ſtudiorum causâ, ſumamus circa tempora Alexandri, obſervationes ab illo memoratæ multùm ſuperant non tantùm omnes Græcorum, ſed etiam Babyloniorum illas ab Hipparcho poſteà collectas. Et cùm Hipparchus & Ptolomæus Græcarum obſervationum antiquiſſimas, Babyloniarum, non tantùm antiquis, quales recenſuimus, ſed etiam infimis & noviſſimis, quales ſunt illæ Nabonaſſari, poſtponant, eo ipſo fatentur hujus artis auctores & cultores primos fuiſſe exteros: à quibus cùm fundamenta quædam & initia accepiſſent Græci, ulteriùs paulatim progreſſi, & res plures & rerum rationes explicuerunt; rectè enim notatum eſt, Eclipſium, aliarumque obſervationum cœleſtium *hiſtoriam* à Barbaris, *cauſas* verò & rationes & calculos à Græcis proveniſſe.

Sed de Mathematicis ſatis; cùm hoc ſit quaſi extra aleas vagari. Et in præcedentibus pro Græcis contra Barbaros, utì hìc pro barbaris contra Græcos certatum eſt. Pro causâ mutatâ, in utriuſque caſtris militavimus; rationem ſecuti, non partium ſtudium. Jam verò agendum eſt de diſciplinis Phyſiologicis; quibus adjungere aut immiſcere ſolebant gentes ſuam Theologiam. Et in his acriores erimus contra Græcos quàm

quàm anteà, cùm non tantùm initia rerum philoſophicarum, ſed lectiſſima dogmata & notitias præclaras à gentibus acceperint: quas oblivioni tradiderunt poſteà, magnâ ex parte, cùm in ſectas diviſi fuere; & novas tentando methodos, ineptas & infrugiferas, philoſophiam humano generi inutilem reddiderunt: Ut verè dici poſſit de utraque diſciplinâ, ſi rectè judico, Græcos perfeciſſe Barbarorum Mathematicam, Philoſophiam perdidiſſe.

Sed de utriuſq; philoſophiæ antiquitate primò tractandum eſt, ut hanc alterâ poſteriorem eſſe oſtendamus: idque contra ſententiam Laërtii, & aliorum, qui originem hujus ſapientiæ à Græcis petendam eſſe volunt. *In Proœm.* Si liceret uti teſtimoniis *Clementis Alexandrini*, *Euſebii Pamphili*, & aliorum Græcorum Patrum, facile eſſet in hâc causâ vincere; illi enim teſtantur, ſemel atque iterum, præſtantiſſimam inter Græcos doctrinam furtivam eſſe, & à barbaris ereptam. Quæ nomina clariora apud Græcos *Platone* & *Pythagora*? Quæ philoſophia divinior? audiamus quæ de his *Clemens*; Πλάτων ὃ ὐκ ἀρνεῖται τὰ καλλίϛα εἰς φιλοσοφίαν παρὰ τῶν βαρβάρων ἐμπορεύεσθαι· εἰς τε Αἴγυπτον ἀφικέσθαι ὁμολογεῖ. *Non inficiatur Plato ſe ea quæ ſunt præſtantiſſima in Philoſophiâ mercatum eſſe à barbaris; ſeque in Ægyptum profectum eſſe fatetur.* *Strom. 1.* Adjunge deinceps *Pythagoram*, qui inter Ægyptios non minùs profecerat. Ὁ δὲ Πλάτων δῆλον ὡς σεμνύνων ἀεὶ τὲς βαρβάρυς εὑρίσκεται· μεμνημένος αὐτῶ καὶ Πυθαγόρυ τὰ πλεῖϛα καὶ γενναιόταλα τῶν δογμάτων ἐν βαρβάροις μαθόνλας. *Manifeſtum eſt Platonem ſemper magni facere Barbaros, ut qui meminiſſet ſe & Pythagoram plurima nobiliſſima dogmata ab iis didiciſſe.* Nec aliter *Euſebius*, cum peregrinationes *Pythagoræ* in Ægyptum, Babylonem, Perſidem, Indiam. *Præp. Ev. l. 10. c. 4. p. 471.*

Indiamque recenſuiſſet, addit, Καὶ ἄλλα παρ' ἄλλων συλλεξάμενος, μόνον παρὰ τῶν σοφῶν Ἑλλήνων ἔσχεν ὑδεν, πενία σοφίας καὶ ἀπορία συνοικοῦντων· ἔμπαλιν δ' ὧν τῶν ἔξωθεν αὐτῷ πεπορισμένων αἴτιος αὐτὸς μαθήσεως κατέστη τοῖς Ἕλλησιν. *Aliaque ab aliis diſcens, à ſolis Græcis auferre nihil potuit: tantâ illi ſapientiæ penuriâ & indigentiâ unà laborabant. Contrà, peregrinis ipſe artibus ditatus, Græcis ſcientiæ & eruditionis author fuit.* Denique citat non minùs illuſtre teſtimonium ex Porphyrii libro, opinor, deperdito, *Theodoretus,*

*Serm. 1. de fide, p. 10.* his verbis, Καλκόδειον γὰρ ἡ πρὸς θεὸς ὁδὸς, αἰπεινή τε καὶ τραχεῖα· ἣν πολλὰς ἀτραπὸς βάρβαροι μὲν ἐξηῦρον, Ἕλληνες δε ἀπεπλανήθησαν· οἱ δε κρατοῦντες, ἤδη καὶ διέφθειραν· ὧν εὑρεσιν ὁ θεὸς Αἰγυπτίοις ἐμαρτύρησε, Φοινιξί τε καὶ Χαλδαίοις, Λυδοῖς τε καὶ Ἑβραίοις. *Via quæ ad Deos perducit, ære munita eſt, eademque ardua & aſperrima. Cujus quidem calles quamplurimos Barbari invenerunt; at verò Græci ab eâ longiùs aberrârunt. Qui vero eam tenebant eandem corruperunt. Ejus porrò Inventores fuiſſe Deus teſtatur Ægyptios, Phœnices, Chaldæos, Lydios ac Hebræos.*

*Lib. 1.* Idem cum Patribus Chriſtianis antea notavit *Joſephus* contra Appionem, his verbis: ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς περὶ τῶν θείων καὶ θείων πρώτους παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντας, οἷον Φερεκύδην τὸν Σύριον, καὶ Πυθαγόραν, καὶ Θάλητα, πάντες συμφώνως ὁμολογοῦσιν Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων γενομένους μαθητάς. *Sed & eos qui de cæleſtibus & divinis primitùs apud Græcos ſunt philoſophati, id eſt, Pherecydem Syrium, & Pythagoram & Thaletem, omnes concorditer conſitentur, Ægyptiorum & Chaldæorum fuiſſe diſcipulos.*

Sed ne Patres Chriſtiani & Judæi nimiùm Græcis invidere videantur, quid ipſi Græci de ſuis Philoſophis ſenſerint, audiamus. *Porphyrius* de *vitâ Pythagoræ,*

*goræ*, idem dicit quod à nostris jam dicitur, & cùm varias gentes retulisset, Ægyptios, Arabes, Chaldæos, aliosque, quibuscum versatus fuit Pythagoras per multos annos, subdit, ἐκ τῆς περὶ ταῦτα τὰ ἔθνη πλάνης ὁ Πυθαγόρας τὸ πλεῖστον τῆς σοφίας ἐνεπορεύσατο. *Ex peregrinatione ad hasce gentes Pythagoras potissimam sapientiæ partem acquisivit.* Quoad Platonem, nota sunt quæ affert in Timæo de Græcis & Ægyptiis, & præcipuè dictum Sacerdotis Saitici ad Solonem, *O Solon, Solon, vos Græci semper pueri estis, nec quisquam è Græcia senex.* Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse Sacerdotem, *Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia.* Hæc contra patriam suam, nisi pro veris apud se rescivisset *Plato*, aut non memorâsset aut refutâsset. Prætereà sparsim occurrunt apud *Platonem* doctrinæ Ægyptiacæ non pauca vestigia, quæ ad hypothesin nostram confirmandam suis locis notabimus. His consona sunt quæ notat *Megasthenes*, qui tempore *Alexandri* & deinceps vixit, & cùm diù apud Indos versatus esset, rerum Indicarum libros composuit, in quorum tertio, omnia quæ circa rerum naturam philosophantur Græci, barbaris pridem innotuisse, ait. Verba sunt apud Clementem, Ἅπαντα μὲν τοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι. Τὰ μὲν παρ' Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τά δε ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων.

*Vid. etiam Suid. voce, ἱερατική.*

*Strom. 1. p. 305.*

Sed quid in his moramur, cùm tot testes habeamus literaturæ Græcæ à barbaris derivatæ, quotquot in Ægyptum descenderunt philosophi Græci ad comparandam sibi sapientiam. Horum autem non brevem catalogum ex commentariis Sacerdotum Ægyptiorum

*Vid. & Plut. de Is. & Osir. p. 154.*

tiorum contexuit Diodorus Siculus, in fine libri primi; additque, ex Ægypto cuncta, quibus admirationem illi apud Græcos sibi pepererunt, translata esse. Verba ipsius hæc sunt: Τούτων δ' ἡμῖν διευκρινημένων, ῥητέον ὅσοι τῶν παρ' Ἕλλησι δεδοξασμένων ὅτι συνίσει καὶ παιδεία παρέβαλον εἰς Αἴγυπτον ἐν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις, ἵνα τῶν ἐνταῦθα νομίμων καὶ παιδείας μετέχωσιν. οἱ γὰρ ἱερεῖς Αἰγυπτίων ἱστοροῦσιν ἐκ τῶν ἀναγεγραφῶν τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, παραβαλεῖν πρὸς αὐτοὺς Ὀρφέα τε καὶ Μουσαῖον, καὶ Μελάμποδα καὶ Δαίδαλον· πρὸς δὲ τούτοις Ὅμηρον τε τὸν ποιητὴν, καὶ Λυκοῦργον τὸν Σπαρτιάτην· ἔτι δὲ Σόλωνα τὸν Ἀθηναῖον, καὶ Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον. ἐλθεῖν δὲ καὶ Πυθαγόραν τὸν Σάμιον, καὶ τὸν μαθηματικὸν Εὔδοξον. ἔτι δὲ Δημόκριτον τὸν Ἀβδηρίτην, καὶ Οἰνοπίδην τὸν Χῖον. πάντων δὲ τούτων σημεῖα δεικνύουσι, τῶν μὲν εἰκόνας, τῶν δὲ τόπων, ἢ κατασκευασμάτων ὁμωνύμους περιηγορίας. ἔκ τε τῶν ἑκάστῳ ζηλωθείσης παιδείας ἀποδείξεις φέρουσι, συνιστάντες ἐξ Αἰγύπτου μεταληλυθέναι πάντα δι' ὧν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐθαυμάσθησαν. *His ità à nobis expositis, recensendi sunt qui priscis illis temporibus, sapientiâ & doctrinâ celebres apud Græcos, peregrinationes in Ægyptum susceperunt, ut legum & disciplinarum gentis participes fierent. Etenim Sacerdotes Ægyptiorum Orpheum, Musæum, Melampodem, Dædalum, Homerum Poëtam, Lycurgum Spartanum, Solonem Athenienſem, Platonem Philosophum, Pythagoram Samium, Mathematicum Eudoxum, Democritum Abderitam, & Oenopidem Chium, ad ipsos advenisse è sacris commentariis referunt. Signaque horum omnium, quà imagines, quà desumptas à locis aut operibus appellationes ostentant. Et ex arte aut disciplinâ quam quisque affectabat, demonstrationes afferunt, undè probant ex Ægypto cuncta, quibus se postea admirabiles reddiderunt apud Græcos, translata esse.* Audin' mi Græcule? quæ turba peregrinantium? hos

omnes

omnes in Ægyptum profectos esse credis ad venandos crocodilos? Plato & Eudoxus, ex horum numero, tredecim annos insumpserunt Diospoli cum Sacerdotibus. Cum Heliopolitanis & Saiticis Solon, à quibus Sermonem Atlanticum accepit. Pythagoras multa & molesta examina subiit, & circumcidi se passus est, ut fertur, à Prophetis Ægyptiis, ut ad eorum doctrinam arcanam admitteretur. Orpheum suam doctrinam, qua saxa & stipites movit, homines feros & agrestes in civitates & societatem allexit, ab Ægyptiis hausisse, hìc & alibi sæpiùs testatur Diodorus. Denique haud facilè est indicare quenquam apud Græcos, qui sapientiâ clarus evasit, sine peregrinatione inter gentes barbaras. *Thales* nullum habuit præceptorem præter Ægyptios; Authorque fuit Pythagoræ, cùm ad eum, jam senem, venerat discendi studio, ut se in Ægyptum ad Sacerdotes Memphiticos & Diospolitanos conferret. *Pherecydes*, Pythagoræ præceptor, ex arcanis libris *Phœnicum* seipsum docuisse dicitur; ἑαυτὸν ἀσκῆσαι, κτησάμενον τὰ Φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία. Et si nulli fuerint apud Græcos his clariores aut vetustiores philosophi, Græciam à barbaris edoctam esse, quo possumus jure, aut quibus rationibus, inficiari.

*Strab. l. 17.* *Plut. in vit. Sol. p. 92. & 96.* *Laert.* *Jamb. in vit. Pyth. l. 1. c. 2.* *Suid.*

Hæc autem quæ ex Diodoro attulimus, eo fortiora esse debent, quòd propriæ suæ sententiæ circa Græcos parùm faveant; Ille enim non obscurè significat se non consentire *Ephoro*, Historico, qui Barbaros Græcis suis antiquiores esse agnoscit. Dein quoad literas & disciplinas, adeò propensus est in Græcos Diodorus, ut ex solâ fabulâ *Heliadum* in Rhodo Insulâ, Græcos primitùs in Ægyptum disciplinas invexisse innuere velit: Et easdem posteà cum Græcis philosophis, peregrè agentibus, quasi ex postliminio in patriam rediisse.

*Li. 1. princ.* *Li. 5.*

redditse. Quare quæcunque apud Diodorum reperiuntur contra gentis Græcæ aut literaturæ Græcæ antiquitatem, non ex invidiâ dicta, aut erga gentes amore, sed rerum ipsarum certâ fide extorta mihi videntur.

*Vid. Bochar. Can. l. 1. c. 20. & Scal. in Euseb. Chron.*

Denique si Literarum originem apud Græcos quæramus, ab alienigenâ invectas esse, Cadmo, Phœnice, compertum erit; idque non multùm ante tempora Trojana. Ante illud tempus autem non tantùm literæ aut vocum elementa, sed literatura & disciplinæ apud multas gentes floruerunt; Assyrios, Ægyptios, Phœnices, Arabes, Æthiopes, Indos, Celtas. Moses ante tempora Cadmi edoctus erat sapientiam Ægyptiacam; Jobus, aut libri ipsius author, ante tempora Mosis, Arabicam; Abrahamus, Chaldæam & Phœniciam. Dein *Bragmanum* in Indiâ, *Gymnosophistarum* in Æthiopiâ, *Druidum* apud Celtas, nemo novit antiquitatem; sed Chronologorum calculis statui solent ante tempora Trojana. Quare expensis singulis, tam Literis quàm literaturâ, Philosophiam barbaricam & antiquiorem esse & parentem Græcanicæ, historiæ veteri, rerumque & temporum rationibus maximè respondet.

*De Abrah. testimonia congessit Grot. in Matt. 5. 31.*

His ita expositis circa origines philosophiæ Græcanicæ, philosophos ipsos & eorum dogmata jam leviter percurremus; ut quantum dictis consentiant, & explicandis mundi Archæologiis utiles esse possint: Quæ præterea eorum scripta desiderantur, quæ supersunt, paucis videamus. Philosophiæ Græcæ duplex est intervallum, ante sectas inductas & posteà; post sectas inductas auctasque, exolevit philosophia antiqua, & quæ ei successit, in scholis Græcorum magis artificiosa fuit, quàm solida. Pauca illa & præclara capita circa *mundi ortum & occasum*, & variantis

tis naturæ ordinem, quæ priscis sapientibus instar omnis Physiologiæ erant, sectarii Græci neglectui ferè habuerunt; & ex rerum notionumque minutiis philosophiam quandam condidêre, alendis disputationibus, quàm veritati investigandæ, magis idoneam. Hos igitur minores Græcorum philosophos non multùm morabimur, & cùm inter sectarum ultimas & infimas fuerit Peripatetica, infra Aristotelem non descendendum; quod enim eò usq; subsidit, in re Philosophicâ antiquitatis nomen non meretur.

Intervallum illud ante-sectarium adhuc distingui potest in tempus Poëtarum & Philosophorum; qui quidem re & argumento sæpe conveniebant, genere scribendi diversi. Antiquissimi qui apud Græcos philosophabantur, erant Poëtæ, secundum illud *Plutarchi*, πρότερον μὲν ἐν ποιήμασιν ἐξέφερον οἱ φιλόσοφοι τὰ δόγματα καὶ τοὺς λόγους, ὥσπερ Ὀρφεὺς καὶ Ἡσιόδος, &c. Nec tantùm carmine, sed etiam mythologicè plerumque scripserunt philosophiam. Ità enim mihi videntur scripsisse *Thamyras Thrax*, *Linus*, *Orpheus*, & *Musæus*, perinde ac *Hesiodus*. Carmine autem scripserunt prætereà philosophi, *Thales*, *Zenophanes*, *Empedocles*, *Parmenides*, aliique, quorum nonnulla fragmenta poëtica-philosophica collegit *Stephanus*. Quoad philosophos illos Mythologicos, videntur omnes, præter *Homerum*, ut hoc obiter notem, *Cosmogonias*, sive de ortu mundi, poëmata scripsisse. Ità *Thamyras* ille, cujus meminêre *Plato*, *Plutarchus*, *Clemens Alexandrinus*, *Suidas*, *Zetzes*, Cosmogoniam composuit πεντάκις χιλίοις στίχοις, præter aliud opus de bello *Titanum*. *Linus* etiam *Cosmogoniam* scripsit, cujus initium erat,

*De Pyth. orac. p. 402. & de ei. p. 388.*

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπιφύκει.

*Olim*

*Olim tempus erat, ſimul indigeſta jacebant,*
*Quo cuncta.*

*In proœm.* Additque Laertius hinc Anaxagoram ſententiam ſuam accepiſſe, πάντα χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ, Νοῦν δε ἐλθόντα αὐτὰ διακοσμῆσαι. *Omnia ſimul erant, mens autem accedens ea in ordinem adduxit.* Hæc Chaos indicant unde ortus eſt mundus, ſive ornata rerum compages. Prætereà Muſæus *Theogoniam* ſcripſit; quod idem valet ac *Coſmogonia*, ut jam ſatis notum eſt; & Barbarorum *Coſmogonias* mutâſſe mihi videntur in *Theogonias* Mythologici Græcorum Philoſophi. *Muſæum* ſcripſiſſe phyſicè, ſive doctrinam naturalem, conſtat ex eodem Laërtio, cùm ſubdit, φάναι τε ἐξ ἑνὸς τὰ πάντα, καὶ εἰς ταὐτὸν ἀναλύεσθαι, Eum *ſtatuiſſe ex uno omnia fieri, & in idem reſolvi.* Heſiodi *Theogonia* nota eſt; & quâ ratione interpretanda ſit, cum cæteris Græcorum, infra videbimus. Reſtat *Orpheus*, qui etiam de rerum ortu philoſophatus eſt; ſed de Orpheo plura ſtatim ſunt dicenda.

Sunt autem adhuc plures poëtæ veteres Græci, ut *Eumolpus*, *Amphion*, *Meleſander*, aliique; qui, cùm incertum ſit quid ſcripſerint, à nobis ſunt prætereundi. Numerare autem debemus hoc loco inter Mythologos Archæologicos *Cycli Epici* ſcriptores; quorum nomina poſuit *Proclus* in ſuâ *Creſtomathiâ*. Illud opus πολυθρύλλητον, cujus antea meminimus, quoddam erat ſyntagma hiſtoriæ mythicæ; non tam dignum lectu ob elegantiam, quàm quod integram & cohærentem rerum ſeriem complecteretur; unde
*Cod. 239.* & *Cyclus* dictus. Ità *Photius*, Τῶ Ἐπικῶ Κύκλω τὰ ποιήματα διασώσεται καὶ συνδάζεται τοῖς πολλοῖς, οὐχ ὕτω διὰ τὴ ἀρετὴν, ὡς διὰ τὴ ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων. Atque à Chao, rerum omnium primordio, incepiſſe hoc opus, ex eodem *Photio* antea monſtra-

monſtratum eſt; unde ad tempora Trojana, vel circiter, hiſtoriam mythicam ordinatè deduxit. Quale opus, fabuloſum licet, periiſſe, maximè quidem dolendum eſt. Sed ad Orphea noſtrum jam redeamus.

Quoad hunc virum celeberrimum, tantum abeſt ut pro nullo habeam, aut inani nomine, quod viſum eſt nonnullis; ut pro maximo Græcorum ſemper eum habiturus ſim. Hunc ſi ab umbris revocare liceret, ut ille olim ſuam Euridicem, ad probandam doctrinam noſtram circa rerum origines, unus valeret multos teſtes. Quis non novit Orpheum antiquum Chaos ceciniſſe, & ejuſdem diſcretiones varias & metamorphoſes? Orbemque jam completum, intus & extra, Ovo aſſimulâſſe? Quod Ovum Orphicum, apud gentes ferè omnes mundi ſymbolum, eſt viva quædam imago Telluris primigeniæ, & propoſitæ à nobis Theoriæ compendium. * Expoſuiſſe dicitur Θεογονίας, καὶ κόσμου κλίσιν, καὶ ἀνθρώπων πλαστουργίαν, maxima capita. Vixit Orpheus haud multum poſt tempora Moſaica, atque primus in Græciam doctrinam Orientalem invexiſſe videtur, eorum antiquiſſimus qui Ægyptum adierunt. Hunc æmulabatur Pythagoras, & ab eo multa ſumpſit, id fatente Jamblico; ὅλως ὃ φασὶ Πυθαγόραν ζηλωτὴν γενέσθαι τῆ Ὀρφέως ἑρμηνείας τε καὶ διαθέσεως, καὶ τιμᾶν τὸν θεὸν Ὀρφεῖ παραπλησίως· & poſteà addit, ἔτι δὲ φασὶ καὶ σύνθετον αὐτὸν ποιῆσαι τὴν θείαν φιλοσοφίαν καὶ θεραπείαν· ἃ μὲν μαθόντα παρὰ τῶν Ὀρφικῶν, ἃ δὲ παρὰ τῶν Αἰγυπτίων, &c. Dixiſſet etiam in præcedentibus τὸν ἱερὸν λόγον Pythagoricum deſumptum eſſe, aut compoſitum, ex imitatione Orphicorum: οὐκ ἔτι δὲ ἓν ἀμφίβολον γέγονε, τὸ τὰς ἀφορμὰς παρὰ Ὀρφέως λαβόντα Πυθαγόραν, συντάξαι τὸν περὶ θεῶν λόγον,

*De Orpheo.*

* *Cedrenus ex Timoth. p. 57.*

*De vit. Pythag. 28.*

λόγον, ὃν καὶ ἱερὸν διὰ τοῦτο ἀπεγράψαμεν, ὡς ἂν ἐκ τοῦ μυστικωτάτου ἀπευθυσμένον περὶ Ὀρφεῖ τόπου. Prætereà notum est hunc *Philosophum*, & *Theologum* Legislatoris vices etiam peregisse, populumque ferum & ἄθεον, ad cultum, mores, & religionem deduxisse.

*De hoc consensu doctrinæ Orphicæ & Pythagoricæ scripsêre tam* Syrianus *quàm* Proclus. *Hic etiam in suis commentariis ad* Timæum, *& in* Theologiâ Platonicâ *idem testatus est sæpius,* ( Βιβ. Ε.ρ. 291. & βιβ. Δ. *ult.* ) *ad* Timæum *inquit,* Πυθαγόρειος ὢν ὁ Τίμαιος ἕπεται ταῖς Πυθαγορείων ἀρχαῖς· αὗται δέ εἰσιν αἱ Ὀρφικαὶ παραδόσεις· ἃ γὰρ Ὀρφεὺς δι' ἀπορρήτων λόγων μυστικῶς παραδέδωκε, ταῦτα Πυθαγόρας ἐξέμαθεν, ὀργιασθεὶς ἐν Λεβήθροις τοῖς Θρακίοις. *Dein, in Theol. Plat. omnem ait Theologiam Græcanicam, interventu Pythagoræ & Platonis, ab Orpheo deductam esse.* Ἅπασα γὰρ ἡ παρ' Ἕλλησι θεολογία τῆς Ὀρφικῆς ἐστὶ μυσταγωγίας ἔκγονος· πρώτου μὲν Πυθαγόρου παρ' Ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος, δευτέρου δὲ Πλάτωνος ὑποδεξαμένου τὴν παντελῆ περὶ τούτων ἐπιστήμην, ἐκ τε τῶν Πυθαγορείων καὶ τῶν Ὀρφικῶν γραμμάτων. *Denique Syrianus l. 2. in commentariis ad Aristotelis Metaphysica, hæc habet,* Et tot quidem de Pythagoreis principiis: quod idem est ac si dicas de Orphicis & Platonicis. *Idem etiam innuit* Herodotus, *l. 2. c.* 81.

" *Sylvestres homines, sacer, interpresq; Deorum,*
" *Cædibus & fœdo victu deterruit Orpheus;*
" *Dictus ob hoc lenire Tigres, rabidosq; Leones.*

Hæc dum mecum revolvo, fingere mihi soleo Orpheum apud suos Thraces, instar Mosis cujusdam apud suos Hebræos; utrumque novæ religionis Patrem: Hunc Judaicæ, illum Græcæ aut Ethnicæ; *Sic magnis componere parva solebam.* Et quemadmodum non incusamus Mosen superstitionis aut ignorantiæ, licet multas ceremonias, onerosas & inutiles, ut nobis videntur, religioni Judaicæ inseruerit, cùm populi indoles & animus ferre non poterant præstantiora; ità oportuit etiam Orpheum populi sui mores & ingenium in consiliis habere, neque id quod reipsâ optimum erat, aut quod sibi optimum visum sit, instituere, sed optimum eorum quæ gens aspera & agrestis, cùm proposita essent, amplecteretur. Quemadmodum Solon rogatus ecquid optimas

mas leges populo Athenienſi ſcripſiſſet, reſpondiſſe dicitur, ὧν ἂν προσδέξαιτο τὰς ἀρίστας. *Optimas quas accepturi illi erant:* atque idem Solon varia ſacra inſtituit, ex conſilio Periandri, non quod ſibi placerent, ſed quod populo. Non itaque conſtat Orpheo unquam ex animo placuiſſe Polytheiſmum, quem ante obitum palam abdicâſſe dicitur: nec ritus & ſacra quæ colebat; ſed cùm homines ſylveſtres in ſocietatem allicere, & aliquali religione imbuere ſtuderet, ineptum & inutile fuiſſet puri numinis purum cultum his, hominibus dicam, an animantibus, proponere. Pura numinis doctrina puruſque cultus ſenſus non tangunt, neque animam affectuſque commovent, ſolâ mente & intellectu percepti. Et cum gentibus moratis excultiſque difficile eſſet hujuſmodi religionem induere, in homines planè barbaros quid profeciſſet? Eò res redit, ut verbo dicam, non quale voluit numen, aut cultum, ſed qualia potuit, prædicavit & inſtituit Orpheus.

*Plutar. in Solon.*

*Juſt. de Morarc. Theoph. ad Autol. l. 3. princ. Cyril. cont. Jul. l. 1.*

Moſes autem tantis non laborabat anguſtiis: præterquam enim quod populum habuit, ignarum licet hebetemque, ſocietati tamen legibuſque non inaſſuetum: miraculis pollebat, & vi divinâ, quibus populo ſuo terrorem incutere, aut auxilium cœlitùs afferre, poterat. Hoc autem inſtar omnium eſt ad flectendos in quaſcunque partes animos affectuſque humanos, cùm divinitùs nocere aut juvare poſſumus. Orpheus autem hâc divinâ potentiâ deſtitutus, quibus armis terreret populum, aut quibus artibus attraheret? Primùm, muſicâ, quâ pollebat, convocavit, & coëgit feros homines, & ad auſcultandum dictis diſpoſuit: Dein collectos & audiendi avidos paſcebat fabulis & jucundis narrationibus, quibus aliquid veri interſperſit. Poſteà cùm mirari & colere

cœperint ſuum Orpheum, auſus eſt ad veritatem propiùs accedere, ad diſciplinam, præcepta & morum culturam, ſed cum aliquo ſemper fabularum condimento; πρὸς τὸ δημαγωγεῖν καὶ ψυχαγωγεῖν τὰ πλήθη· quemadmodùm de ſuo Homero inquit *Strabo*. Tùm Deos & eorum fulmina memorare cœpit, & colendos eſſe ſuaſit, tanquam rerum omnium dominos; tam ut mala averterent quibus obnoxia eſt vita mortalis, quàm ut lætam fortunam à cœlo cuique mitterent. Denique Inferos cecinit, Campoſque Elyſios, impiorum & beatorum ſedes; ut extinctâ hâc vitâ haberent adhuc quod metuerent & quod ſperarent. Hoc modo, atque his gradibus Theologiam quandam condidit, ſed fabulis refertam; & cultum quendam inſtituit, ſed admodum ſuperſtitioſum. Neque enim jam optima molitur Orpheus, ſed è malis minima. Ac utì vera religio immensè præſtat ſuperſtitioni, ita ſuperſtitio quàm maximè præſtat barbariei & vitæ morumque feritati: Neque ab hoc infimo gradu ad ſupremum ferè aſcenditur, niſi per illum medium.

Quoad fabulas, quibus refertam eſſe doctrinam Orphicam non negamus, earum quidem uſus jam exolevit, & nuda veritas omnibus exponitur; credique vix poteſt hodiè, quanta fuerit olim hujus generis doctrinæ utilitas dicam, an neceſſitas. Animi inculti & ſolis ſenſibus aſſueti, inſtar hominum è tenebris aut carcere nuper eductorum, ferre non poſſunt clarum veritatis lumen: Sed per fabulas, tanquam per nubem, intueri gaudent. Nec ad morum honeſtatem & vitæ diſciplinam, nec ad religionem & Deorum cultum, rectà ſe duci patitur plebs rudis & inſulſa, ſed ducenda eſt per ambages. Appoſitè ad hanc rem, & ad probandam Orphei inſtitutionem *Strabo*, de uſu fabularum loquens, Οὐ γὰρ ὄχλον τε γυναι-

γυναικῶν, καὶ παντὸς χυδαίου πλήθους ἐπαγαγεῖν λόγῳ Lib. 1.
δυνατὸν φιλοσόφῳ, καὶ προσκαλέσασθαι πρὸς εὐσέβειαν,
καὶ ὁσιότητα, καὶ πίστιν, ἀλλὰ δεῖ καὶ διὰ δεισιδαιμονίας·
τοῦτό δε οὐκ ἄνευ μυθοποιΐας καὶ τερατείας. Κεραυνὸς γὰρ, καὶ
αἰγὶς, καὶ τρίαινα, καὶ λαμπάδες, καὶ δράκοντες, καὶ θυρσό-
λογχα τῶν θεῶν ὅπλα, μῦθοι· Καὶ πᾶσα θεολογία ἀρ-
χαϊκή· ταῦτα δ' ἀπεδέξαντο οἱ τὰς πολιτείας καταστη-
σάμενοι, μορμολύκας τινὰς πρὸς τοὺς νηπιόφρονας· *fieri enim non potest ut mulierum & promiscuæ turbæ multitudo Philosophicâ oratione excitetur ducaturque ad religionem, pietatem, & fidem: sed superstitione præterea ad hoc opus est; quæ incuti sine fabularum portentis nequit. Etenim fulmen, ægis, tridens, faces, angues, hastæque Deorum thyrsis præfixæ, fabulæ sunt, atque tota theologia prisca. Hæc autem recepta fuere à civitatum authoribus, quibus veluti larvis insipientium animos terrerent.* Vides itaque non tantum poëtas lusu quodam ingenii, sed Legumlatores virosque sapientissimos, ex consilio & ratione, usos esse fabulis & documentis mythologicis, ad constituenda initia vitæ civilis & religionis. Neque pigebit, in hunc finem, alium locum ejusdem authoris adscribere, ubi rationes reddit non ineptas, & utilitatis & voluptatis fabularum. Καὶ πρῶτον, ὅτι τοὺς μύθους ἀνεδέξαντο οὐχ οἱ Lib. 1.
ποιηταὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ πόλεις πολὺ πρότερον, καὶ οἱ νο-
μοθέται, τοῦ χρησίμου χάριν, βλέψαντες εἰς τὸ φυσικὸν πά-
θος τοῦ λογικοῦ ζώου. Φιλειδήμων γὰρ ὁ ἄνθρωπος· προοί-
μιόν δε τούτου τὸ φιλομυθόν· ἐντεῦθεν οὖν ἄρχεται τὰ παι-
δία ἀκροᾶσθαι καὶ κοινωνεῖν λόγων ἐπὶ πλεῖον. Αἴτιον δ'
ὅτι καινολογία τίς ἐστιν ὁ μῦθος, οὐ τὰ καθεστηκότα φρά-
ζων, ἀλλ' ἕτερα παρὰ ταῦτα· ἡδὺ δὲ τὸ καινὸν, καὶ ὃ μὴ
πρότερον ἔγνω τίς· τοῦτο δ' αὐτό ἐστι καὶ τὸ ποιοῦν φιλειδή-
μονα. Ὅταν δὲ προσῇ καὶ τὸ θαυμαστὸν καὶ τὸ τερατῶδες,
ἐπιτείνει τὴν ἡδονὴν, ἥπερ ἐστὶ τοῦ μανθάνειν φίλτρον. *Pri-*

*mùm quidem non poëtæ tantùm fabulas receperunt, sed multò ante Civitates & Legumlatores id fecere, utilitatis causâ nimirum, respicientes ad naturales affectus hominis, sive animalis ratione præditi. Cupidus enim cognitionis est homo, ad quam fabularum amor aditum ei parat; hinc namque incipiunt pueri audire, & sermonibus frui magis magisque. Causa autem est, quod fabula novarum rerum narratio est, non ea quæ consueta & constituta sunt, sed alia ab his diversa, recensens. Jucundum autem est quod novum & antea ignotum, hocque ipsum cognitionis cupidos efficit. Quod si admirabilia & portentosa fabulis admisceantur, augetur voluptas; voluptas autem, instar philtri, discendi amorem ingenerat.* Hujusmodi erat de fabularum usu veterum opinio. His adde, si libet, sententiam *Plutarchi*, quod philosophica fabulis mixta meliùs imbibantur. *De aud. Poët.* Ὅτι δ' οὐκ ἐν φιλοσοφίᾳ λεγομένων οἱ σφόδρα νέοι, τοῖς μὴ δοκοῦσι φιλοσόφως μηδὲ ἀπὸ σωφρονῆς ἀγεσθαι, χαίρουσι μᾶλλον καὶ παρέχουσιν ὑπηκόους ἑαυτοὺς καὶ χειροήθεις, δῆλόν ἐστιν ἡμῖν· οὐ γὰρ μόνον τὰ Αἰσώπεια μυθάρια καὶ τὰς ποιητικὰς ὑποθέσεις διερχόμενοι, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ τῶν ψυχῶν δόγματα μεμιγμένα μυθολογίᾳ μεθ' ἡδονῆς ἐνθυσιῶσι. *De hoc autem nobis constat, adolescentulos magis gaudere, libentiúsque obsequi, & tractabiliores se præbere iis philosophiæ dictis quæ philosophicè & seriò dicta non videntur. Non enim tantum Æsopicas fabellas & poëtica argumenta perlegentes, sed etiam de Animabus dogmata, fabulis permixta, divino quodam furore & gaudio corripiuntur.* Denique, *Dion Halicarnassæus*, licet fabulas non usquequaque probet, varios tamen affert usus *Ant. Rom. l. 2. p. 91.* τῶν μύθων Ἑλληνικῶν: &, inter cætera, illud, ὑποδείκνυσθαι τὰ τῆς φύσεως ἔργα δι' ἀλληγορίας, *opera Naturæ per allegorias explicare.* Ab his satis constat quid senserint antiqui de fabularum utilitate, si commodè adhibeantur.

antur; tam in religione & philoſophiâ, quàm in ſocietate civili conſtituendâ. Quæ autem de adoleſcentulis, mulieribus, & vulgò, hìc dicunt, multò magis valuiſſent Orphei temporibus, cùm pars melior gentis humanæ ſupra vulgus hodiernum vix aſſurgebat; cæteris ferarum inſtar, vitam inſociatam agentibus. Longoque poſt Orpheum ævo, à caſtis ſacriſque apologis non abſtinuit Legiſlator Evangelicus. Sed de his ſatis.

Hæc, quæ jam diximus, de Orpheo Politico & Legiſlatore intelligenda ſunt. Quid apud ſe ſenſerit, ut Philoſophus, de rebus divinis, de Deo & naturâ, alia planè eſt quæſtio. Moris erat olim viris ſapientibus, duplicem habere doctrinam, δημώδη & ἀπόῤῥητον, *vulgarem* & *arcanam*: Aliud in pectore, aliud ad populum. Atque hunc duplicem docendi modum habuiſſe Orpheum, dubitare non licet, cùm, non obſtantibus iis quæ in propatulo prædicâſſet aut inſtituiſſet, multa reconditioris Theologiæ & Philoſophiæ capita in doctrinâ Orphicâ reperiantur: multaque veterum teſtimonia & laudes, ipſius, in rerum contemplatione, ſolertiæ & acuminis, nos certiores faciunt. Facilè credo, nihil ab ipſo Orpheo ſcriptum, jam ſupereſſe: quod notavit dudum *Origenes ad Celſum*. Sed quæ laudantur ab antiquis Carmina, aliave fragmenta, pro *Orphicis*: ſive ab Onomacrito, ſive Cercope, aut quocunque alio compoſita: Ea doctrinam Orphicam plurimùm amplecti, non immeritò cenſentur. Prout *Aurea Carmina*, licet nihil remanſerit à Pythagorâ ſcriptum, ipſius Theologiam & inſtitutionem eatenùs exhibere non ambigimus. Ità Thaletis & aliorum Veterum, quorum Scripta perierunt, opiniones & dogmata, ab aliis tranſmiſſa, retinemus. *Lib. 1.*

Quæ

Quæ à Poëtis referantur de Orpheo, non multùm moramur; quod feras domuerit, quod ſylvas & ſaxa traxerit. Aliaque hujuſmodi. Hæc illum in arte muſicâ præcelluiſſe teſtantur, ſed, quoad cætera, mythologicè intelligenda ſunt; prout Horatius rectè expoſuit. Quæ verò ab Hiſtoricis Philoſophicis de Orpheo traduntur, eandem ac reliqua, quæ ab iiſdem authoribus tradita ſunt, merentur fidem. Referunt autem Orpheum, præter vim admirandam in poëſi & cantu, aliaque fœliciter inventa, vitæ civilis, & Religionis initia conſtituiſſe. Ita *Pauſanias in Bœoticis,*

P. 586. πιςευόμενον Ὀρφεὺς ἐυρεκέναι τελετὰς θεῶν, καὶ ἔργων ἀνοσίων καθαρμὺς, νόσων τε ἰάματα, καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων. *Deorum initia, & nefariorum facinorum expiationes, creditus eſt adinveniſſe Orpheus: Morborum etiam remedia, & iratorum numinum placationes.*

P. 588. Quapropter ipſius carmina *Homericis* prætulit, quod religionem magis ſaperent. Τιμῆς ὁκ τῦ θείυ, καὶ ἐς πλέον ὁκείνων ἔχυσι. Sparſit utique primus religionis ſemina inter Græcos, populoſque contiguos, Orpheus: cultumque ſacrum juſſit. Hoc teſtantur tam Philoſophi, quàm Hiſtorici Græci: notantque nonnulli in ipsâ voce θρησκεία, hujuſce rei hærere memoriam.

Voc. Θρησκεύει. *Ita Suidas,* λέγεται γὰρ ὡς Ὀρφεὺς Θρᾷξ πρῶτος ἐτεχνολόγησε τὰ Ἑλλήνων μυςήρια, καὶ τὸ τιμᾶν θεὸν, θρησκεύειν ὁκάλησεν· ὡς Θρᾳκίας ὄσης τ εὑρέσεως. *Fertur enim Orpheus Thrax primus initia Græcorum inſtituiſſe, & Deum colere, vocáſſe* θρησκεύειν, *quaſi Thracium eſſet id inventum,* Denique, vitam futuram, ejuſque, Deos & virtutem colentibus, fœlicitatem, primus in Græciâ aperuiſſe videtur: cùm, præcepta ſua obſervantibus, μετὰ τ τῦ βίυ τελευ ὼν, εὐδαιμονίαν promiſerit. Quod ſacroſanctum arcanum, vir divinus, *Moſes,* vix auſus eſt recludere ſuis Hebræis. Ὀρφεῶν τελεςαὶ autem

autem ſemper, ſibi & ſuis, beatitudinem poſt obitum polliciti ſunt. Hujuſce rei index eſt dicterium *Philippi* in pauperem Orphicum, de beatâ immortalitate diſſerentem: quod *Plutarchus* hoc modo refert. Πρὸς Φίλιππον τὸν Ὀρφεωτελεστὴν παντελῶς πτωχὸν ὄντα, λέγοντα δ' ὅτι οἱ παρ' αὐτῷ μυηθέντες μετὰ τὸν βίον τελευτῶσι, εὐδαιμονοῦσι, Τί οὖν ὦ ἀνόητε, εἶπεν, οὐ τῶν ταχίστην ἀποθνήσκεις, ἵνα ἀναπαύσῃ κακοδαιμονίαν τε καὶ πενίαν κλαίων; *Lacon. Apoth. p. 224.* *Orphei Sacerdoti, admodum pauperi, dicentique, BEATOS FORE POST MORTEM OMNES, qui ipſius ſacris initiati eſſent: Cur igitur, fatue, inquit Philippus, non ſtatim moreris? ut paupertatem tuam & miſeriam tandem deſinas plorare.* Quidni igitur aſſentiamur Diodoro, Orphea noſtrum, inter Græcos Poëtarum & Theologorum maximum, celebranti his verbis; περὶ ὃν παιδείαν ἀσχοληθεὶς, καὶ τὰ περὶ τὴν θεολογίαν μυθολογούμενα μαθὼν, ἀπεδήμησε μὲν εἰς Αἴγυπτον, καὶ κεῖ πολλὰ προσεπιμαθὼν, μέγιστος ἐγένετο τῶν Ἑλλήνων, ἔν τε ταῖς τελεταῖς, καὶ ταῖς θεολογίαις, καὶ ποιήμασι, καὶ μελῳδίαις. *Lib. 4. p. 162. vel 232.* *Diſciplinarum ſtudiis addictus*, de Orpheo loquitur, *Cùm non vulgarem in Theologiâ veterum ſcientiam comparâſſet, in Ægyptum profectus multa inſuper didicit; ita ut inter Græcos omnes, tum initiationum & Theologiæ peritiâ, tum poëmatum & melodiarum artificio, præſtantiſſimus haberetur.* Denique, quod antea dictum eſt de præmiis & pœnis poſt mortem, ait hunc Philoſophum primum in Græciam induxiſſe: Τὰς καὶ τῶν ἀσεβῶν ἐν Ἅιδου τιμωρίας, καὶ τὰς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας.---- *L. 1. p. 86.*

Ejuſdem rei teſtes ſunt Patres Chriſtiani, qui Theologiam Orphicam præ cæteris celebrem agnoſcunt. Ità *Athenagoras*, πεπίστευται παρ' αὐτοῖς ἀληθέστερον θεολογεῖν. *In explicandis rebus divinis cæteris fide dignior viſus eſt Orpheus: aut propiùs ad veritatem accedere.* *Legat.*

*accedere.* Et ſi excerpta Orphei, quæ occurrunt apud Patres, contuleris: adjunctis, quæ leguntur, ſparſim vel collectim, apud Authores exoticos: tot & tam præclara Theologiæ naturalis capita, à Thrace iſto, ab antiquitate pænè *Moſaicâ*, digeſta & conſtituta, meritò admiraberis. Unum ſummum Numen agnovit: idque ut nonnulli volunt, Triunum. Neque tamen ignoro, ſuperſtitioſa multa, & impura nonnulla, eidem Orpheo objectari à Patribus. Quibus equidem libenter aſſentior, quoad ſuperſtitiones. Neque enim aliter fieri potuit eo quo vixit ævo, eoque cum populo. A rudimentis incipiendum eſt in omni diſciplinâ: ac utì à pueritiâ ad ætatem virilem, ità à ſuperſtitione ad caſtam ſanamque religionem, progrediuntur homines. Sed neque humanis ſacrificiis, qui mos erat multarum gentium: neque animalium ſanguine, Deorum aras conſpergebat Orpheus: Ut teſtis eſt *Plato*. Eodem etiam reſpicere videtur *Ariſtophanes*, his verbis, Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετὰς θ' ἡμῖν κατέδειξε, φόνων τ' ἀπέχεσθαι. In ſacris, pecorum cædibus parcere nos docuit. Quinetiam qui vitam Orphicam ducebant, in communi menſâ abſtinuerunt ab animalibus. Similemque vivendi modum, Deoſque colendi, totamque Theologiam, teſte *Jamblico*, ab Orpheo accepit *Pythagoras*. Prætereà, non fingebat Deos humanâ formâ Orpheus, ἀλλὰ τῷ παντὶ τὴν φύσιν καὶ τὴν μορφὴν ὁμοίαν ἔχοντα. *Sed Univerſo ſimilem, naturam formamque habentes.* Quod animi magni, & ſupra vulgus elati, indicium erat. Denique, notum eſt, Tam Orphea, quàm ipſius ſequacem, Pythagoram, duplici uſos eſſe diſciplinâ, vulgari & Philoſophicâ: adeóque à ſermonibus aut inſtitutis popularibus, ſanctiora ipſorum dogmata, ſenſuſque interiores, non eſſe metienda. Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε

*De Leg. 6. p. 782.*

*Ran. act. 4. Sc. 1.*

*Vit. Pyth. c. 28.*

*Id. Ibid.*

ἐπίθεσθε βέβηλοι, inquit Orpheus, res diviniores prosecuturus; Atque ex iis quæ ibidem sequuntur, credit *Justinus* pœnituisse Orpheum sui erroris, omnisque in Deum aut homines contumeliæ. Sed quoad mores impuros, quod à nonnullis objicitur, culpam non constare arbitror. At quemadmodùm Christianis multas res nefandas & ficta crimina intentabant Ethnici, ità vicissim Christiani, ficta non dicam, sed levi famâ recepta, in Philosophos retorquebant opprobria; neque, effusis in adversarios Ethnicos vituperiis, se malè meritos existimârunt de religione nostrâ. Sed de hac re satis.

*De Mon. Dei, p. 104.*

Reliquum est, ut pauca quæ supersunt de Physiologiâ Orphicâ, breviter attingamus. *Universum* ex Æthere, Tellurem à Chao, orta esse voluit. De utroque hæc occurrunt apud *Suidam*, ex sermonibus Orphicis περὶ θεογνωσίας, desumpta. Εἶπε γὰρ Ὀρφεὺς, ὅτι ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη ὁ αἰθὴρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ δημιουργηθείς. Καὶ ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν τοῦ αἰθέρος ἦν χάος, καὶ νὺξ φοβερὰ πάντα κατεῖχε, καὶ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὴν αἰθέρα. *In rerum initio primùm exhibitus est Æther, à Deo factus & dispositus. Huic adjacebat, hinc & illinc, Chaos: & nox dira tenuit omnia, & occultavit quæ sub æthere erant.* Ità *Syrianus* ait (*in Arist. Metaph. c. 2.*) Æthera & Chaos ab Orpheo habita pro principiis. His duobus præmittit *Tempus*, secundum *Simplicium*, ut omnis generationis mensuram. Μετὰ γὰρ τὴν μίαν τῶν πάντων ἀρχὴν, ἣν Ὀρφεὺς καὶ χρόνον ἀνυμνεῖ, ὡς μέτρον οὖσαν τῆς μυθικῆς τῶν Θεῶν γενέσεως αἰθέρα καὶ τὸ πελώριον χάσμα προελθεῖν φησί. *Post unum omnium principium, quod tempus esse, Orpheus carmine celebrat, tanquam mensuram fabulosæ Deorum generationis, ait productum esse Æthera & ingens Chaos.* Hæc ità intelligi possunt, ac si voluisset Orpheus Æthera &

*Voc. Ὀρφ. & apud Cedrenum (p. 57.) ex Timotheo antiqno scriptore, & Procl. in Tim. βι. β. p. 117.*

*In Lib. 4. φυσ. ἀκροα.*

Chaos fuisse coæva; cui sententiæ ego non adstipulor. Sed apud antiquos, aut authores subsequentes qui antiquorum placita nobis retulerunt, Rerum universitas sæpe confunditur cum mundo sublunari: & quod ad alterum duorum separatim spectat, de alterutro, vel ambobus promiscuè dicitur. Ex Æthere facta est cœlestis & prima rerum fabrica: ex Chao mundus sublunaris; sive Tellus nostra, aliæque similes; idque post multa sæculorum intervalla. Hæc autem quæ seorsim tractanda essent, tam propter materiam quàm tempus, in unum sæpe compulerunt imperiti authores. Sed ad apparatum cœlorum duplicem, errantium & inerrantium, progrediamur.

Stellas fixas ex æthere aut igne compactas crediderunt veteres: & Telaugis Pythagorici discipulus, *Empedocles*, principia Orphica & Pythagorica secutus, modum explicuit quo Fixæ conflantur ex æthere; His verbis apud Plutarchum. Ἐμπεδοκλῆς πύρινα τὰ ἄστρα· οὐκ τῦ πυρώδους, ἅπερ ὁ αἰθὴρ ὢν ἑαυτῷ περιέλκων, ἐξέθλιψε κατὰ τὴν πρώτην διάκρισιν *Igneas esse stellas voluit Empedocles; eo ex igne factas, quem in se continens æther, in primâ secretione eliserit.* Nempe Fixæ conflantur ex illis particulis igneis, quas materia cœlestis vel ætherea, motu circulari acta, deprimit & detrudit ad centrum orbis. Et cum hujus ætheris aut ignis ingens massa collecta est in centro alicujus orbis, hæret ibi immobilis, radiosque emittens undequaque, Stellæ Fixæ vim, formam, & proprietates omnes induit.

*Plut. ph. 2. 13.*

Præterea statuit Orpheus, Quamlibet stellam esse mundum, in infinito æthere suspensum. Idem Pythagorici asseruerunt. Ἕκαστον τῶν ἀστέρων κόσμον ὑπάρχειν· ταῦτα δὲ τὰ δόγματα ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς φέρεται· κοσμοποιοῦσι γὰρ ἕκαστον τῶν ἀστέρων. Ut refert

*Ibid.*

*Plu-*

*Plutarchus.* Hæc verò de Errantibus libentius intelligo quàm de Fixis: licet has animatas esse, probè nôrim, ex veterum sententiâ. Planetas autem apertiùs Mundorum nomine insignire solent: saltem si ab exemplo Lunæ de cæteris statuamus. Quid de Lunâ statuêre veteres, erudito & eleganti tractatu explicuit *Plutarchus.* Hanc Pythagorici dixêre *Terram* Ætheream vel cœlestem: etiam Ἀντίχθονα, *alteram Terram nobis oppositam.* Et doctrinam illam Lunarem Orpheo acceptam tulit Pythagoras. Orpheus enim inter Græcos, primus Lunam habitabilem dixit, omnique instructam supellectile orbis habitabilis, tam naturali, quàm artificiali; secundum illa carmina quæ nobis conservavit *Proclus.* *De fac. in orb. Lun.*

*In Tim. Plat. Cl. 5. p. 154.*

Μήσατο δ' ἄλλην γαῖαν ἀπείρατον, ἣν τε σελήνην
Ἀθάνατοι κλήζουσιν ἐπιχθόνιοι δέ τε μήνην.
Ἣ πολλ' ὄρεα ἔχει, πολλ' ἄστεα, πολλὰ μέλαθρα.

*Altera Terra vaga est, quam struxit: quamque Selenem*
*Dii vocitant, nobis nota est sub nomine Lunæ.*
*Hæc montes habet, ac urbes, ædesque superbas.*

Hæc de cœlo, secundum Orphicos. Quoad Tellurem, notum est, eam è Chao excitâsse Orpheum, Ovoque similem formâsse. Id quod satis expositum est in libro secundo Theoriæ Telluris. Adjiciendum hoc loco, ejusdem Telluris *Incendium*, & post incendium *Renovationem*, pariter dogmata esse Orphica. *C. 7. & 10.* De priori ità *Cleombrotus*, Anti-stoicus, apud *Plutarchum.* Ὁρῶ δὲ Στωϊκὴν ἐκπύρωσιν τὰ Ἡρακλείτου καὶ τὰ Ὀρφέως ἐπινεμομένην ἔτι. *Video hanc conflagrationem Stoicam Heracliti & Orphei versus invasisse & invertisse.* *De defec. Or.* Ad posterius, sive rerum instaurationem

nem futuram, respexisse creditur Orpheus his versibus, apud *Proclum*, aliosque:

*In Tim. Bi. C. p. 99. Cl. Alex. str. 5.*

Πάντα τὰ δ' ἐκρύψας, καὶ θις φάος ἐς πολυγηθὲς
Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν, πολυθέσκελα ῥέζων.

*Quæ priùs occuluit, dulces in luminis oras,*
*Divino, deprompta sinu, sermone reducet.*

De Physiologiâ Orphicâ, quoad corporum Mundanorum materiam & origines, hæc sufficiant.

Substitisset hìc dissertatio nostra de rebus Orphicis, nisi scrupulum, nimio plus odiosum, injecisset, nonnullorum temeritas aut invidia; Eorum nempe, qui pro nullo haberi volunt, aut inani nomine, τὰ πάνυ Ὀρφέα. Adeoque, in ipsius dogmatis eruendis aut explicandis, perditum iri quicquid operis impendimus. *De Nat. Deor. l. 1.* Hujus rei meminit pridem *Cicero* inter philosophandum contra Epicureos: & eandem renovavit nuper vir optimus & eruditissimus, *Ger. Vossius*: & rationes excogitavit qualescunque, ut opinioni suæ fidem faceret, Orpheumque nostrum, non tantùm è Poetarum & Philosophorum, sed etiam ex hominum numero deleret & obliteraret. Orpheo adjungit Musæum & Linum, his verbis: *De art. Poët. c. 13.* *Puto enim Triumviros istos poëtios, Orphea, Musæum, Linum, non fuisse: sed esse nomina ab antiquâ Phœnicum linguâ, quâ usi Cadmus, & aliquamdiù posteri. Sanè* Λῖνος *carmen sive canticum, ac præcipuè lugubre, ut ex Athenæo, Eustachio, Suidâ, constat. Nomen ut puto, non quiâ Linum eo deplorarent, quod Grammaticum est commentum, sed ab Hebræo* הלין *murmurare, unde* תלונה telounah, *QUERELA, MURMURATIO: ut Linus nomen poëtæ sit lugubria canentis. Musæus*

*absque*

*abſque dubio à Muſa, ſive* Μῶσα, *quod à* מוסר *Moſar, ARS, DISCIPLINA. Orpheus itidem à ſcientiâ nomen habuerit; ſanè ARIFA Arabibus eſt SCIRE, NOVISSE: unde ARIF, ſciens, eruditus, doctus.* De Lino & Muſæo impræſentiarùm non agitur. Id tamen notare licet, tres gentes torſiſſe virum doctiſſimum, *Phœniciam, Hebræam,* & *Arabicam,* ut ex eorum ore, aut viſceribus, hæc tria nomina eliceret. Quem non ex antiquis, hâc arte aut licentiâ, ad figmentum redigere licet? modò ſufficiat, nominis etymon qualecunque ex aliquâ linguâ Orientali extundere, atque ea ratione proprium in appellativum liquefacere. Quid ſi *Cadmum,* quem memorat vir doctiſſimus, nomen inane eſſe dixero, atque fictum à voce קדם *Antiquum?* certè aptiùs reſpondet vox voci, quàm *Arif, Orpheo:* neque in Arabiam quæſitum proficiſcimur vocis originem, ut ille pro noſtro Thrace. Dein, quoad hiſtoriam, multò plures meminerunt Orphei, quàm Cadmi. Poëtæ, Græci & Latini: Patres, Græci & Latini: Hiſtorici & Philoſophi, Græci & Latini. Cui non dictus Orpheus? Imò gentes barbaræ hunc virum non tacuerunt: Ægyptii enim, ex fide Diodori, in ſacris commen- L. 1.
tariis nomen Orphei retinent, præficiuntque ſapientum Græcorum agmini, qui ad augendam ſcientiam, in Ægyptum deſcendêre. Cæterùm in hâc re teſtes optimi ſunt Patres Chriſtiani, quotquot contra Gentes ſcripſerunt: quandoquidem eorum interfuit maximè hunc hominem è medio tollere, ſi minimæ ſuſpicioni locus fuiſſet. Hunc hominem, inquam, Theologiæ Græcanicæ caput & coryphæum: quem ipſi Chriſto comparârunt aut prætulerunt Ethnici. Neque tamen è patribus quemquam, Orpheum abnegâſſe, aut celebre illud nomen in dubium revocâſſe, legimus.

legimus. Denique, res apertior est in Origene & Celso quàm ut eludi possit ullo modo. Celsus enim semel atque iterum immodicè laudat Orpheum, fa-
L. 1. p. 14. citque majorem Mose aut Christo, & præstantiorem
l. 7. p. 359. & 367. vitæ ducem. Unde sic alloquitur Christianos. Πόσῳ δ' ἦν ὑμῖν ἄμεινον, ἐπειδή γε καινοτομῆσαι τι ὠρέχθητε, περὶ ἄλλου τινὰ τῶν γενναίως ἀποθανόντων, καὶ θεῖον μῦθον πλάσασθαι δυναμένων, σωφρόσαι; φέρε, εἰ μὴ ἤρεσκεν Ἡρακλῆς, καὶ Ἀσκλήπιος, καὶ οἱ πάλαι δεδοξασμένοι, Ὀρφέα εἴχετε, ἄνδρα ὁμολογουμένως ὁσίῳ χρησάμενον πνεύματι. *Quanto satiùs esset, si innovare aliquid affectatis, de alio quopiam præclarè mortem perpessо, & divinâ fabulâ digno, cogitâsse? Et si non placuit Hercules aut Æsculapius, aut alii inter priscos gloriam adepti, Orpheum habebatis: VIRUM SINE CONTROVERSIA SANCTO AFFLATUM SPIRITU.* Vehemens Oratio: Quid his respondet Origenes? Si Orpheum nunquam fuisse credidisset, in promptu esset regerere, Quid mihi objicis, bone vir, umbram hominis? Quid mihi cum tuo Orpheo, quem Sol nunquam vidit? nomen fictitium & fabulare effers, vocem & præterea nihil. Hoc utique non reponit vir gravissimus; negat Orphei libros jam extare, non hominem ipsum unquam extitisse. Criminatur, quod Deos fecisset ἀνθρωποπαθεῖς: Sed vixisse & claruisse Orpheum, lacessitus non negat.

At docuit *Aristoteles*, inquies, Orpheum non fuisse: teste *Cicerone*, ut supra. Sed ubinam id docuit Aristoteles! quo libro, aut capite? nullus jam extat locus quod sciam, apud Aristotelem, qui hoc testatur. De scriptis quidem Orphicis dubitâsse vide-
*De Anim.* l. 1. c. 7. §. 12. tur, atque id forsan ad hominem transtulit *Cicero*. Sed quid denique dicendum de Doctrinâ Orphicâ? Hæccine

Hæccine nullum habuit Authorem, nullam originem? neque divinam, neque humanam? Antiquior erat Pythagorâ: hanc enim ille ſecutus eſt & excoluit, fatentibus ipſis Pythagoreis. Neque tot unquam fuiſſent ſuppoſititia ſcripta ſub nomine Orphei, niſi verus olim fuiſſet Orpheus. Quis enim ſui operis authorem nuncuparet Hippocentaurum vel Chymæram; nomen inane intelligo, vel rem fictitiam. Si nunquam extitiſſent Sibyllæ, neque Moſes, Solomon, Patriarchæ, tot libros Apocryphos, Pſeudonymos, interpolatos, mutuatitiis & ementitis titulis non habuiſſemus: Uti, ſine corporibus, non eſſent umbræ. Sacra *Orphica* non memoro: Quis ea conſtituit, rituſque Religionis & Theologiam invexit primus in Græciam non quæro. Sed de Scriptoribus rerum Orphicarum quid ſtatuendum? Viros bonos planè delirâſſe? *Syrianus* & *Proclus* ſcripſêre in *Theologiam Orphei*: & prætereà de *conſenſu doctrinæ Orphicæ* & *Pythagoricæ*. Collegiſſe dicitur Orphei ſcripta *Pherecydes* Athenienſis. *Herodotus* Orphei & Muſæi hiſtoriam ſcripſit: teſte *Photio, cod.* 80. Et *Epigenes* denique περὶ τῆς Ὀρφέως ποιήσεως: teſte *Clemente Alexandrino*. Hos ſcriptores alioſque ſimiles, ſua nobis narrare ſomnia credemus, de quodam Orpheo? vel iſtos potiùs ineptire, qui, virum clariſſimum, ab omni ævo populoque, recognitum & celebratum, è natorum hominum cenſu expungere, aut eradere, ſatagunt. De Orpheo & Orphicis ſatis.

*Suid. Voc. Syr. & Proc.*

*Suid. in Voc.*

*P.* 191.

*Strom.* 5. *p.* 571.

CAP.

# CAP. X.

## *De Philoſophis Græcis poſt Orpheum: & primò de Ionicis.*

HÆC de Philoſophis Græcorum antiquiſſimis, qui Poëtæ & Mythologi erant, dicta ſunto. Sequuntur reliqui, qui ſine fabulis, & plerumque ſine carmine ſcripſerunt; adeoque à plurimis unicè intelligi ſolent *Philoſophorum nomine.* Hujuſmodi ſunt, *Thales* cum ſuis *Ionicis*, *Pherecydes*, *Pythagoras*, *Zenophanes*, *Parmenides*, *Leucippus*, *Democritus*, *Empedocles*, *Plato*, aliique; uſque ad Epicurum & Ariſtotelem, in quibus deſinit antiquitas Philoſophica; niſi forſan apud Stoicos aliquid antiquorum dogmatum reperiamus. Solent autem Philoſophi Græci diſpeſci in ſuas claſſes aut ſcholas, ſub totidem Sectarum principibus; ſed cùm inſtituti noſtri ſit eos tantùm reviſere qui philoſophiam naturalem coluerunt, tres aut quatuor percurriſſe ſatis erit, *Ionicam.* nempe, *Italicam*, *Eleaticam*, &, ſi vacat, *Stoicam.* Idque eo potiſſimùm fine, ut quid ſtatuerint de *rerum originibus*, brevi diſcuſſione pateat: & quæ dogmata primæ inter Græcos philoſophiæ poëticæ, quæ antiquo-barbaræ, retinuerint.

Quoad Thaletem & claſſem Ionicam, ut inde exordiamur, reliquis antiquiorem, ſemimillennio vel circiter, à captâ Trojâ, florebat: ut lucem cæteris ferre non immeritò videatur. Unus erat è philoſophis

ſophis peregrinantibus, ac inter primos, Thales: ſuaſitque Pythagoræ, ut eâdem viâ ſapientiam quæreret: non domi, ſed apud Ægyptios ſacerdotes, *Memphiticos* & *Dioſpolitanos*, ubi ipſe inſtitutus fuiſſet. Imò, referente *Laertio*, nullum, præter Ægyptios ſacerdotes, præceptorem habuit, εἰδεὶς τε αὐτῷ καθηγήσατο, πλὴν ὅτ' εἰς Αἴγυπτον ἐλθὼν τοῖς ἱερεῦσι συνδιέτριψε. Quin ipſe Thales exterus erat origine, Phœnix ſcilicet, vel ex familiâ Phœniciâ; ac proinde *Arctos minor* ſive Cynoſura, ab ipſo primùm obſervata, dicta eſt *Phœnice*. Triplicem aut quadruplicem, apud Græcos, in literis primatum obtinuit, in Geometriâ, Aſtronomiâ, Phyſicâ, & denique quod animos immortales eſſe primus dixerit. Hoc autem Orphicis potiùs dandum eſſe videtur, qui in futurâ vitâ fœlicitatem ſuis pollicebantur. Quoad Geometriam verò, & Aſtronomiam, facilè credo Thaletem in his ſcientiis non tantùm Græcos anteriores, ſed etiam Ægyptios genteſque barbaras præcelluiſſe: non quod ille perfecerat ea ſtudia, aut magnoperè provexerat, ſed quæ parva ſunt incrementa, ſi ad hodiernam Mathematicam comparentur, rudis adhuc Græciæ, atque etiam exterarum gentium mathemata, facilè ſuperabant. Quod triangula circulis inſcripſerit aut circumſcripſerit, circuloſve triangulis: Quod æquinoctia & ſolſtitia notaverit: Quod Eclipſes Solis prædixerit: Hæc illi data ſunt eximiæ laudi; quæ tamen in hodiernis ſtudiis mediocria habentur. Denique quoad ſcientiam Phyſicam, quæ propiùs accedit ad propoſitum noſtrum, dicitur Thales de hâc primus diſſertationes inſtituiſſe; πρῶτος δὲ καὶ περὶ φύσεως διελέχθη, ὥς τινες. *nonnullis fertur, eum primum de Naturâ diſſeruiſſe.* Quod non aliter intelligendum eſſe cenſeo, quàm ſi

*Jamb. de vit. Pyth. c. 2.*

*Hygin. Aſtr. poet. l. 2. c. 2.*

*A Laert.*

dixisset Thaletem fuisse primum Philosophum Physicum, *proprium & genuinum.* Plures ante Thaletem de *naturâ* disseruerant inter gentes barbaras, & inter Græcos nonnulli, quos jam jam recensuimus, sed vel mythologicè scripserunt, vel physiologiam suam cum Theologiâ permiscebant, ut soliti sunt veteres; Thales autem primus de naturâ purâ putâ disseruit, sine fabulis aut commentationibus Theologicis. Cùm itaque apud Aristotelem, aliosque veterum, οἱ φυσικοὶ & οἱ θεολόγοι distinguuntur, inter Theologos, primum locum habet Orpheus, ipsiusque sequaces: inter Physicos Thales, & qui, more Thaletis, de rebus naturalibus nudè & simpliciter philosophantur.

Sed de dogmatis physicis hujus Philosophi nihil supereſt notatu dignum, præter illud de *Aquâ*, rerum omnium principio. Ἀρχὴν τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο, inquit *Laertius*: sive, ut *Galenus* habet, ὅτι τῷ ὕδατι συνεστάναι πάντα. Nempe in hoc mundo sub-
2. Pet. 3. lunari. Quod affine est philosophiæ Sancti *Petri* Apostoli, qui mundum primigenium, ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὑδάτων συνεστάναι voluit; *Aristoteles* memorat hoc
1. Metaph. c. 3. dogma de *Aqueis rerum primordiis* priscis viris & primævis Theologis adscriptum esse; cùm de hâc re verba faciens ait, εἰσὶ δέ τινες οἱ καὶ τοὺς παμπαλαίους, καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως, καὶ πρώτους θεολογήσαντας οὕτως οἴονται περὶ τὴν φύσεως διαλαβεῖν. Neque quidem abludit *Moses*, Theologorum antiquissimus, ab hâc sententiâ. Sed non integram Cosmogoniam complectitur hoc Thaletis Decretum, cùm mundi *materiam* tantùm notet, non compositionis modum, aut quam tandem formam assecuta sit hæc materia fluida. Quare ut pedem paulò ulteriùs promoveamus, non abs re erit *Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum*, ipsius Sectatores, consulere. Anaxagoras huic

huic materiæ fluidæ præfecit *Mentem*, ducem & præsidem; Nota est ipsius sententia, Libri, quem scripserat, initium; Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. *Omnia simul confusa erant, dein MENS superveniens ea ordine disposuit.* Hinc à suis & à posteris appellatus est νοῦς, sive *MENS.* Titulus, me judice, honorificentior, quàm *AFRICANUS*, aut *ASIATICUS.* Unde de eodem meritò dictum est, ὅτος δὴ πρῶτος διήρθρωσε τὰ περὶ ἀρχῶν λόγον· οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς πάντων οὐσίας ἀπεφήνατο, ὡς οἱ πρὸ αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ κινοῦντος αὐτῶν αἰτίου. *Hic primus rectè ordinavit doctrinam de Principiis. Neque enim de universi tantùm naturâ, sive rerum omnium materiâ, utì priores illo, sed etiam de motûs ipsius causâ & auctore philosophatus est.* Hoc utique, sive à *Lino* acceperat, ut vult Laërtius: sive aliunde, viam aperit ad veram Cosmopœiam; nam, sine causâ efficiente, iners & stupida res est materia. *Euseb. præp. Evan. l. 10. c. ult.* *In Prœm.*

Modum verò & ordinem quo hanc massam digessit, ὁ λόγος δημιουργὸς, ex solâ ratione gravitatis explicuit Anaxagoras, his verbis, Νῦν μὲν ἀρχὴ κινήσεως. τῶν δὲ σωμάτων τὰ μὲν βαρέα, τὰ κάτω τόπον, ὡς τὰ γῆ· Τὰ δὲ κοῦφα, τὰ ἄνω ἐπέχειν, ὡς τὸ πῦρ· ὕδωρ δὲ καὶ τὰ ἄερα, τὰ μέσον. *Motûs quidem initium à Mente proficisci: Corporum verò quæ gravia sint, ea inferiorem locum obtinere, ut Terram; Levia autem superiorem, ut Ignem. Aërem verò & Aquam, medium.* Rectè quidem; En quatuor elementa disposita secundum suas sedes natales; sed ubinam habitabimus, in quâ parte aut regione hujus mundi, nos & animantes? Terra est nucleus hujus globi elementaris, atque aquis tota cooperta: ut sicca fiat, quâ ratione efficies? quibus causis, aut machinis, aut instrumentis? Hìc semper hæsit aqua Græcis philosophis: Hâc difficultate nun-

quam se expedire potuerunt; Ità scilicet disponere elementa, maximè aquam, ut superesset Terra habitabilis. Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς hìc accersivit *Moses*, ad dissipandas aquas; & rectè quidem, quùm ei apud populum res agenda esset. At si rationis & philosophiæ castra non deseramus, quâ vi aut arte excutiemus hanc aquarum molem? Nequeunt, nec Aristoteles, nec Epicurus, nec Græcorum quisquam, hunc nodum solvere. Tentârunt quidem, excavando terram internam, vel fingendo, nescio quas lacunas; sed gratis & ἀφιλοσόφως. Quin ipse Anaxagoras idem tentâsse videtur, neque magis aptè: sequitur enim apud Laërtium, οὕτω γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς πλατείας οὔσης, τὴν θάλασσαν ὑποστῆναι, διατμισθέντων ὑπὸ τοῦ ἡλίου τῶν ὑγρῶν· Quid hoc sibi vult, ἐπὶ τῆς γῆς πλατείας οὔσης, non facilè patet. Sententiam ità reddidit Aldobrandinus, *sic enim in terrâ, quæ lata sit, mare subsidere, humore à sole extenuato.* Sed quid confert ad subsidentiam maris, Terræ latitudo? si dixisset, quod *profunda* sit, aut quod *cava* sit, causam aliqualem indigitasset: Quare facilè suspicor mendum esse in voce πλατείας, & legendum βαθείας; ἐπὶ τῆς γῆς βαθείας οὔσης τὴν θάλασσαν ὑποστῆναι· Quam conjecturam eò libentiùs amplector, quod Anaxagoræ discipulus, Archelaus, ita rem intelligere videatur; sic enim ait, Τὴν δὲ θάλασσαν ἐν τοῖς κοίλοις διὰ τῆς γῆς ἠθουμένην συνεστάναι. Neque aliter sensisse Anaxagoram ex Aristotele & Seneca colligere licet. Sed hoc obiter.

*Meteor. l. 2. c. 7. Sen. l. 6. c. 9.*

Esto, in profundis & cavernis terræ voluisse Anaxagoram mare sive Oceanum substitisse. Sed quid excavavit terram? sive illum nucleum terrestrem, tot tunicis & operculis, aquæ, aëris, & ignis, munitum? Cùm ab initio omnia essent confusa fluidaque juxta hanc philosophiam Ionicam, & particulæ graviores

viores descenderent versus medium, à cæteris omnibus circumstipatæ, illud corpus medium, integrum & indivisum, spissumque fore, intus & extra plenum, & uniforme, quis non videt? Quod etiam à nobis alibi ostensum est fusiùs. Quare frustrà sunt qui in hâc Terrâ subaquancâ & uterinâ, ut ità dicam, cavernas, & montes, cæterasque hodiernæ telluris inæqualitates quærunt. Atque hunc errorem errârunt omnes Græci, semperque in hâc parte Cosmopœiæ laborârunt; dùm scævo & inani consilio derivare aquas cuperent in nescio quas cavitates, cum non derivandæ essent, sed novo terrarum orbe, vel fornice, cooperiundæ; quod unicum est τῆς κοσμοποιΐας mysterium. Ait *Silenus*, Anaxagoram dixisse, *cæli fornicem lapideum esse*, & conversionis celeritate contineri, ne ruat: casurum verò ubi remittetur motus. Philosophia crassa & Anaxagorâ indigna, nisi hanc, fornicis superioris, aquis circumstructi, mutilatam esse memoriam, & per historici imperitiam & ἀφιλοσοφίαν, quod apud Laërtium non infrequens esse existimo, corruptam, & in cœlum translatam, supponamus. Certè Anaxagoras, nec formam cœli, nec motus astrorum, in primævo mundo, ignoravit; quarum rerum non vulgarem notitiam produnt verba quæ proximè sequuntur apud Laërtium. Τὰ δ' ἄστρα καὶ' ἀρχὰς μὲν ὁλοειδῶς ἐνεχθῆναι, ὥστε κατὰ κορυφὴν τῆς γῆς τὰ ἀεὶ φαινόμενον εἶναι πόλον, ὑστερον δὲ τὰ ἐγκλισιν λαβεῖν. Ubi illa φορὰ ὁλοειδὴς astrorum, & dein πόλου ἔγκλισις, primam cœlorum formam, vel Telluris situm, indicant, &, quæ posteà accessit, mutationem. Quod suo loco satis probatur.

*Apud Laert.*

*Theor. Sac. l. 1. c. 11.*

*Theor. Tell. l. 2. c. 10.*

Hæc de mundi sublunaris & inanimati ortu: Quoad animatum, addidit præterea *Archelaus*, Τὰ ζῶα ἐκ τῆς ἰλύος γεγονθῆναι· quod verè antiquum est;

ἰλὺς πρωτογενὴς, & Ægyptiis, & Phœnicibus, aliis verbis memoratur. Et quæ ſequuntur verba, γεννᾶσθαι τὰ ζῶα ἐκ θερμῆς τ γῆς, ϗ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι, οἷον τροφὴν, ἀνιείσης, ſolum Ægyptiacum ſapiunt. Tota quidem hæc ζωογονία philoſophiæ antiquo-barbaræ non malè reſpondet; neque ſacræ repugnat, ſi Anaxagoræ *Mentem* his omnibus præeſſe & præſidere recordemur.

Ut hæc de Archelao claudamus, liceat hic obitermendum in Laërtio, ut antea in Anaxagoræ vitâ, notare, quo planè pervertitur ſententia. Ex humore deducit omnia elementa Archelaus, idque attenuando vel conſpiſſando, quod his verbis protulit Laërtius, Τηκόμενον, φησὶ, τὸ ὑγρὸν ὑπὸ τῦ θερμῦ, καθὸ μὲν εἰς τὸ πυρῶδες συνίσταται, ποιεῖν γῆν· Καθὸ δ' περιῤῥεῖ, ἀέρα γεννᾶν. Quis non videt mentem Archelai? Humor ſpiſſatus Terram conſtituit, laxatus & diffluens, aërem. Laërtii autem verba, ſi verè reddantur, ità ſonant, *Humorem, inquit, calore liquefactum, in quantum in naturam igneam concreſcit, Terram facere*, &c. Qualis, quæſo, ſententia? Eſtnè *concretio*, cùm Aqua tranſit in Ignem, qui tenuior eſt? & an ignis factus, immediatè conſtitueret Terram? quare pro πυρῶδες ſcribendum omninò πηλῶδες. Atque ità clara ſunt, & cohærent omnia.

Sed ut progrediamur; Illud unum de *MENTE*, rerum omnium præſide, & motûs omnis principio, manet, æternúmque manebit, hujus philoſophiæ decus & ornamentum. Luce charior eſt illa ſententiola, Νῦν μὲν ἀρχὴν κινήσεως: *Omnis motûs in materiâ mentem eſſe principium.* Quod ità retulit Ariſtoteles, φησὶ γὰρ Ἀναξαγόρας ὁμῦ πάντων ὄντων ϗ ἠρεμούντων τ ἄπειρον χρόνον, κίνησιν ἐμποιῆσαι τ νῦν ϗ διακρῖναι. Notandum enim duo contineri in illâ doctrinâ Anaxagori-

*Phyſ. auſcul. l. 8. c. 1.*

-câ,

câ, primùm *Mentem* esse principium omnis motûs in materiâ; quæ ex se iners & immobilis est. Secundò *Mentem* esse authorem omnis ordinis in hoc motu; ideóque τὴ διακοσμήσεως, pulchræ & ornatæ compositionis mundi; quam alii, aut casui fortuito, aut necessitati, temerè attribuerunt. Τοῖς ὅλοις πρῶτος ὐ τυχῶ ὐδ' ἀνάγκην διακοσμήσεως ἀρχὴν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε. Inquit *Plutarchus* de Anaxagorâ. *In Pericle.*

Quare in hoc argumento præclarè se expedierunt philosophi Ionici, quoad mundi causam efficientem & intellectualem; quoad principium ipsius materiale, id aliter atque aliter exprimunt; sed in eo conveniunt omnes, hanc materiam primam particulis minutis, atque variè motis, constitisse. Hanc fluidam esse voluit Thales, & appellavit *Aquam*: volatilem Anaximenes & nominavit *Aërem*; Neque refert utrum dixerint, cùm ex hoc aut illo reliqua elementa constituerint. Atque has particulas alii similares, alii dissimiles esse voluerunt: idque innumeris modis. Hæc opinionum discrimina, quæ variè à variis recitantur, nullius sunt momenti: cùm inter philosophandum, ubi paululùm progressus fueris, eodem redeant; nomine magis quàm re diversa. Quare pro doctrinâ hujus Sectæ circa rerum ortum, satis erit constituere particulas minutas, & mobiles, easque primùm confusas, posteà in ordinem adductas à mente divinâ.

Præterea, hanc materiam fluidam in vortices disposuit Anaxagoras, vel à mente motrice ita dispositam statuit. Hoc nos docet Plato in *Phædone*, ubi Socrates, causarum physicarum ignarus & fastidiosus, ingenium philosophicum Anaxagoræ insciтè fugillat: & inter alia, vorticem ab eo Telluri circumpositum, per ludibrium, memorat. *P. 99.* Hanc doctrinam

Anaxe-

Anaxagoræ explicitiùs memorat, & eodem ferè animo, *Clemens Alexandrinus:* his verbis, ἐπεὶ καὶ Ἀναξαγόρας πρῶτος ἐπέστησε τὸν νοῦν τοῖς πράγμασιν· ἀλλ' οὐδὲ οὗτος ἐτήρησε τὴν ἀξίαν τῆς ποιητικῆς, δίνους τινὰς ἀφέντας ἀναζωγραφῶν, σὺν τῇ τοῦ νοῦ ἀπραξίᾳ τε καὶ ἀνοίᾳ. *Primus enim Anaxagoras Mentem rebus adjecit: sed nec ille dignitatem servavit causæ efficientis, Vortices, nescio quos, amentes describens, cum mentis ab agendo cessatione, & quasi amentiâ.* Ludit in vocibus νοῦς, ἀνόητος, ἀνοία: *Mens, Amens, Amentia.* Id autem vitio dat Anaxagoræ, quod in mundo condendo, rerum materiâ in vortices compositâ, mentem, quam introduxerat, otiari sinat. Nempe id sæpe accidit viris optimis, Socratis & Clementis similibus, ut ex amore causarum divinarum, inferiores & materiales negligant & fastidiant. Quæ tamen locum suum habent, & taceri non debent, in ordinatâ rerum explicatione.

*Strom. 2. p. 364.*

*Vid. Plut. de Orac. defect. p. 435.*

Deniq; quoad cœlos & corpora cœlestia, mirum quantum profecerant in eorum cognitione Ionici. Regiones cœlestes æthere constare: Planetas esse corpora opaca, atque Fixas ignea, quod summa est physicæ cœlestis, videntur rescivisse. Ità Animaxander, τὴν τε σελήνην Ψευδοφανῆ, καὶ ἀπὸ ἡλίου φωτίζεσθαι. Idemque Anaximenes, apud Theonem *. Progreditur ultrà Anaxagoras, asseritque Τὴν σελήνην οἰκήσεις ἔχειν, ἀλλὰ καὶ λόφους καὶ φάραγγας. *Habitari in Lunâ, sed & esse in eâ colles & valles.* Quare Plato in *Apologiâ Socratis*, Miletum sic alloquitur, ἐπεὶ τὸν μὲν ἥλιον, λίθον φησὶν εἶναι, τὴν δὲ σελήνην γῆν· Ἀναξαγόρᾳ οἴει κατηγορεῖν. Rectè igitur Plutarchus, ὁ γὰρ πρῶτος σαφέστατόν γε πάντων καὶ παρρησιαστικώτατον περὶ σελήνης καταυγασμῶν καὶ σκίας λόγον εἰς γραφὴν κατατίθεται Ἀναξαγόρας. Denique idem ait in genere de Thalete: Θαλῆς καὶ οἱ ἀπ'

*Arist. Meteor. 1. 3. Plut. de plac. Phil. 2. 13. Laert.*

* *In Astron.*

*In Nicia p. 538.*

*De Plac. philos. l. 2. c. 28.*

ἀπ' αὐτῆ, ὑπὸ τῆ ἡλίε φωτίζεδαι τ σελήνην. *Thales, & qui ejus sequuntur decreta,* aiunt, *à Sole illustrari Lunam.* Quoad Fixas & Solem, notum est Anaxagoræ dictum, quod ei vitâ penè constitit apud Athenienses, Solem esse μυδρὸν διάπυρον, *massam ignitam & candentem*; quod quidem materiam ardentem, sed crassam solidamque indicare videtur. Anaximander autem asseruit solem esse καθαρώτατον πῦρ, liquidum purissimumque ignem. His observatis, si, quæ de Lunâ statuerunt, ad cæteros Planetas; & quæ de Sole, ad cæteras Fixas, extendantur: Et nobiscum repetamus, quo tempore vixerint hi philosophi, Græcorum vetustissimi, veram cœlorum physiologiam, quam nuperis sæculis restitutam vidimus, antiquis sapientibus non ignotam, gratulabimur. Addam denique, in laudes Anaxagoræ, non tantùm generalem cœlorum doctrinam, sed etiam veteris novique formam, atque motuum discrimina: sive ex causarum intuitu, sive priscâ traditione, ei innotuisse; prout anteà notavimus.

Hæc cùm ità sint, quî poterant ignorare, inquis, motum Telluris, verumque mundi systema, hi philosophi Ionici? Neque id ignorâsse mihi videntur. Nam qui cœlos fluidos esse statuunt, orbesque singulos more vorticum circumferri, impedire nequeunt quo minùs unà volvantur corpora quæ hisce vorticibus implicita sunt. Et speciatim quoad Tellurem, huic vorticem hujusmodi circumposuit *Anaxagoras*, δίνην περιεδεὶς τῇ γῇ, ut dicitur apud *Platonem*. Quamobrem non potuit non rotari circa suum axem Tellus. Dein quoad motum annuum, dixit *Anaximander*, referente Theone Smyrnæo, ὅτι ἔςιν ἡ γῆ μετέωρος, καὶ κινεῖται περὶ τὸ τῆ κόσμε μέσον. *Quod Terra in sublimi pendeat, & moveatur circa mundi medium.* *Ut supra.*

*medium.* Quod de motu ipsius circa Solem facillimè intelligitur. Hæc quidem aptè cohærent, tam inter se, quàm cum sententiâ Pythagoræ, qui hunc Thaletem, primum habuit studiorum ducem. Sed in colligendis & interpretandis antiquorum dogmatis, erunt semper quædam dubia & incerta.

Hæc de philosophis Ionicis; Quorum doctrinam de cœlo & universitate rerum, miraberis forsan tam prope accedere ad hodiernam: aut me reum ages φιλαρχαϊσμοῦ, quasi ex affectu studioque erga veteres, illorum philosophiam nimis adornâssem. Fateor me, quà potui, tam in hâc quàm in aliis dissertationibus, favisse antiquis: ac è multis sententiis quæ sub eorum nomine circumferuntur, quam duxi optimam & veritati proximam, præ cæteris semper elegisse. Idque æquum esse videtur: consumptis enim pluribus, aut vitiatis, longinquitate temporis, siquid præclari superest, tanquam è naufragio ereptum, amplecti & gratulari debemus. Prætereà notandum est, Philosophos Gentiles sæpenumerò celâsse sua dogmata, metu vulgi: idque maximè, cum de rebus cœlestibus ageretur: ne, libertate nimiâ, Deorum majestatem læsisse viderentur. Quamobrem, cùm de Sole, & Lunâ, cæterisque stellis, liberiùs loqui apud populum periculosum esset, curæ illis fuit, ut de his, non nisi parcè, & privatim, ac inter amicos dissereretur: ne, in sui & suorum damnum, foras proreperent secretiores animi sensus. Hoc optimè animadvertit, loco suprà citato, Plutarchus, & exemplis confirmavit. Audiamus, si placet, ipsius verba. Cùm dixisset Anaxagoram, doctrinam de illuminatione & obumbratione Lunæ, primum scriptis prodidisse, hæc subdit, οὐδ' ὁλόγος ἔνδοξος ἦν, ἀλλ' ἀπόῤῥητος ἔτι καὶ δι' ὀλίγων, καὶ μετ' εὐλαβείας τινὸς ἢ πίστεως βαδίζων· οὐ γὰρ ἠνεί-

*In Nicia.*

χο

χοντο τὺς φυσικὺς καὶ μετεωρολέσχας τοτὲ καλυμένυς, ὡς εἰς αἰτίας ἀλόγυς καὶ δυνάμεις ἀπρονοήτυς, καὶ κατηναγκασμένα πάθη, διατρίβοντας τὸ θεῖον. *Non erat celebris aut famosa illa doctrina, sed abdita & arcana: atque versabatur cum cautione, vel sub fide, inter paucos. Neque enim ferebant Physicos, & de rebus cœlestibus philosophantes: quòd, ad causas rationis expertes, cæcasque potentias, & effectus involuntarios, divinum numen astringere viderentur.* Dein hujus odii popularis in Philosophos exempla subjicit, his verbis, ἀλλὰ καὶ Πρωταγόρας ἔφυγε, καὶ Ἀναξαγόραν εἰρχθέντα, μόλις περιεποιήσατο Περικλῆς· καὶ Σωκράτης, οὐδὲν αὐτῷ τῶν γε τοιούτων προσῆκον, ὅμως ἀπώλετο διὰ φιλοσοφίαν· ὀψὲ δ' ἡ Πλάτωνος ἐκλάμψασα δόξα, διὰ τὸν βίον τοῦ ἀνδρὸς, καὶ ὅτι τοῦ θείαις καὶ κυριωτέραις ἀρχαῖς ὑπέταξε τὰς φυσικὰς ἀνάγκας, ἀφεῖλε τὸν τῶν λόγων τούτων διαβολὴν, καὶ τοῖς μαθήμασιν εἰς ἅπαντας ὁδὸν ἐνέδωκεν. *Quin & Protagoras in exilium ivit: & Anaxagoram in vincula conjectum, non sine magno labore liberavit Pericles. Socrates etiam, licet nihil illi cum istis commune, tamen Philosophiæ nomine sublatus est. Tandem verò effulgens Platonis gloria, tam propter vitam virtutemque viri, quàm quod divinis & potentioribus causis necessitatem physicam subjecerit, hanc calumniam detersit, omnibusque ad disciplinas viam aperuit.* Causas Physicas rerum cœlestium ferre non potuit antiquum vulgus: necdum ferre potest Solis quietem, Terræque motum, tam doctorum quàm indoctorum vulgus. In omni ævo, ut vides, *veritas odium parit:* & incommoda res est, liberè philosophari. Non immeritò igitur *Doctrinam arcanam* apud se retinuerunt prisci sapientes: non tantùm quòd esset supra captum vulgi, sed etiam contra affectum geniumque. Hinc etiam licet conjectare, Antiquæ Philosophiæ historiam,

non modò per injurias temporis, sed etiam metu & concilio Scriptorum, mutilam esse magnâ sui parte: Eâque præstantiori, arcanâ scilicet, & minùs vulgari. Et siquid verum rectumque sit, ἐν τοῖς σωζομένοις, siquid pulchrum aut eximium in hisce reliquiis, Id quidem genuinum esse fœtum primi Authoris: non ab Historico vel commentatore genitum, sed conservatum, æquum erit credere. Siquid verò secus fuerit, & à ratione alienum, non pari jure id primo authori adscribitur: cùm ex multis causis, & mille modis, oriri possit vitium & corruptela: nec sit verisimile, Eum, qui Historici vices egit, accuratiorem, quàm ipsos Philosophos, de rerum naturâ doctrinam adinvenisse. Denique, ut propositum ab initio sermonem claudamus, Quoad Cœlos & Sydera, extra dubium est, Antiquissimos Philosophorum statuisse Stellas esse Igneas, (de quo postea erit dicendi locus) Lunamque, Terrestrem: ut minimè mirum esse possit, idem sensisse Ionicos, Physicorum præcipuos. Quapropter eorum nomine, & maximè Anaxagoræ, reliquos omnes mordet *Tatianus*, cùm ait, πῶς πειθήσομαι τῷ λέγοντι μύδρον τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην γῆν; *Quî credam dicenti Solem esse bolum ignitum, & Lunam esse terram, vel terrestrem?*

*Cont. Græc. pag. 164.*

De Philosophiâ Ionicâ plura dicenda essent, nisi in hâc, ut in cæteris antiquis, periissent præcipua monumenta. *Galenus* memorat Librum *Thaletis*, περὶ ἀρχῶν· nisi forsan error sit: alii enim Thaletem nihil scriptis reliquisse aiunt. Sed *Anaxagoræ* syntagma, cujus modò præclarum initium retinemus, extitit olim literis mandatum. Sua etiam placita *Anaximander* summatim conscripta reliquit: teste Laërtio. Atque suam *Physiologiam Archelaus*: teste Suidâ. Denique, non minùs desiderantur quæ

περὶ χυμῶν. *Themist. Or.* 15.

ab

ab aliis tradita & lucubrata fuerunt in hâc philosophiâ, maximè à *Theophrasto*, qui de *Anaximene*, *Anaxagorâ*, & *Archelao*, eorumque dogmatibus, commentarios edidit. Hæc autem cùm exciderint omnia, Philosophiæ Ionicæ non nisi tenuis notitia apud posteros remansit. Hactenus de Thalete suisque Ionicis. *Laert. in Theophr.*

---

# CAP. XI.

## *De Pythagora, & sectâ Pythagoricâ.*

SEquitur Pythagoras, & Philosophia Italica ab eo constituta: sæculo ante natum Christum sexto vel septimo. Cùm verò, aut prorsus nihil scriptum reliquerit hic philosophus, ut volunt plures: vel nihil quod diù superstitit: Nulla ferè dogmata physica hujusce Sectæ ad tempora nostra pervenerunt. Unus erat è Græcis peregrinantibus Pythagoras, neque eorum quisquam plus temporis insumpsit, aut plus laboris & molestiæ subiit, in antiquâ apud gentes exteras sapientiâ investigandâ. Suum ad Ægyptios iter suscepit suasu & consilio Thaletis, qui, in maximum virum, illum evasurum esse prædixit, si his præceptoribus uteretur. Audiamus Jamblicum hâc de re. Μεταδοὺς ὁ Θαλῆς ὅσον ἠδύνατο μαθημάτων, τὸ γῆράς τε τὸ ἑαυτοῦ αἰτιασάμενος, καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν, προετρέψατο εἰς Αἴγυπτον διαπλεῦσαι, καὶ τοῖς ἐν Μέμφει, *Vit. Pyth. c. 2.*

καὶ

καὶ Διὸς μάλιστα, συμβαλεῖν ἱερεῦσι.----οὐ μὴν τοσούτων γε προτερημάτων, οὔτε φυσικῶς, οὔτ' ὑπὸ ἀσκήσεως ἐπιτετυχηκέναι ἑαυτὸν ἔλεγεν, ὅσων τὴν Πυθαγόραν καθώρισεν· ὥστε ἐκ παντὸς εὐηγγελίζετο, εἰ τοῖς δηλουμένοις ἱερεῦσι συγγένοιτο, θειότατον αὐτὸν καὶ σοφώτατον ὑπὲρ ἅπαντας ἔσεσθαι ἀνθρώπους. *Postquam Thales, quantum poterat, in disciplinis ei contulisset, senectutem suam corporisque imbecillitatem causatus, in Ægyptum ipsum trajicere, & cum Memphiticis, ac maximè Jovis, sacerdotibus, versari & conferre, adhortatus est. Se quidem aiebat non tam excellentium prærogativarum factum esse participem, vel à naturâ vel ab exercitatione, quantis præditus erat Pythagoras. Quare semper annunciabat, aut, ceu fœlix faustumque nuncium prædicabat, Pythagoram, si cum dictis sacerdotibus versaretur, divinissimum, & mortalium omnium sapientissimum, evasurum esse.* Magnificum satis elogium, & vaticinium: & à viro verè magno profectum. Qui, præconis instar, lætum nuncium affert de futuro Prophetâ, se quidem multò majore, & tantùm non supra sortem humanam surrecturo.

*Jambl. de vit. Pyth. c. 4.*

Consilio monitisque Thaletis obtemperavit Pythagoras, & suscepto in Ægyptum itinere, per viginti duos annos inter sacerdotes, gentis istius Philosophos & Theologos, studiis incubuit. Quantâ autem diligentiâ, quibusque artibus, sacram & arcanam Ægyptiorum doctrinam exquirere & expiscari contendit, ex dictis anteà de sacerdotibus Ægyptiis, & de Thalete, jam satis patuit. Neque Ægyptios tantum, sed *Arabes* etiam, *Hebræos*, *Babylonios*, *Persas*, *Phœnices*, suâ peregrinatione philosophicâ, quadraginta plus minùs annorum, velut prædo literarius, invisit & expoliavit. Denique, quò se magis insinuaret in singulorum adyta & arcana, omnium ferè, tam

Græcorum

Græcorum quàm Barbarorum, ſacris initiatum ferunt. Hæc, & hujuſmodi multa, legere eſt apud *Laertium*, *Jamblicum*, *Porphyrium*, alioſque. Multifaria enim narrantur de Pythagorâ: de quovis philoſophorum vix plura: Quæ verò maximè quis expeteret, eorum pauciſſima retinentur. Intelligo dogmata Phyſica, & Phyſiologiam Pythagoricam. Pythagoræ natales, patria, peregrinatio, reditus, modus vivendi, modus etiam docendi, diſcipulorum claſſes, diſciplina & inſtituta: denique, facino a non pauca, quæ perpetravit, mirabilia & à fide aliena: Hæc & hujuſmodi, fusè narrantur. At ſummæ illius ſcientiæ, quâ claruit olim, & huc uſque celebratur, pauca nobis exhibent ſpecimina: ſaltem in ſcientiâ naturali. *Laert. de Pyth.*

Unum, fateor, retinuerunt, ſcientiæ naturalis fundamentum, *Syſtema Pythagoricum*: de Terrâ mobili, & Sole fixo in cœli noſtri medio. Prætereà Lunam eſſe ἀντίχθονα, ſive Terram noſtræ oppoſitam, & à Sole illuſtratam. Hæc doctrina, quam notavimus antea in ſcholâ Ionicâ, poſteà magis emicuit in Pythagoricâ; ut, tam de Fixis quàm Errantibus, utraque rectè ſenſiſſe videatur. Dein quoad Cometas, hos, extra aërem noſtrum, inter errantes minimùm, poſuiſſe tam Anaxagoram, quam Pythagoram, ex Ariſtotele diſcimus. Licet aliàs circa cauſas & indolem iſtorum Phænomenωn, forſan erraverint. Denique cœlos fluidos & æthereos ſtatuiſſe, ſingulaſque ſtellas pro mundis totidem numeràſſe Pythagoricos, diximus anteà ex *Plutarcho*. Atque hæc ferè de rebus cœleſtibus. *Meteor. l. 1. c. 6.* *Plac. Phil. l. 2. 13.*

Quoad cætera, Telluris phyſiologiam, mundique ſublunaris ortum, ut erat propenſior ad res abſtractas & intellectuales Pythagoras, Antiquorum κοσμογονίαν

νίαν in ψυχογονίαν quandam convertisse videtur; saltem si ex *Timæo Locrensi* & *Platone*, Pythagoræ sententiam conjectare liceat. Illi enim mundi ortum descripturi, sese occupant maximè in explicandâ compositione *Animæ Mundanæ*; id quod faciunt per rationes quasdam *Harmonicas*, ex *individuâ* formâ & *dividuâ*, *Eodem* & *Altero*: ita enim loqui amant. Et quoad compagem mundi corporei, ex quibusdam congruentiis corporum Geometricorum, terminos, sedes, & intervalla, elementorum, disponere & adaptare satagunt. Λεπτολογήματα, quæ ad scientiam naturalem nihil conferunt, neque in eâdem fundantur. Id tamen notandum, Chaos quoddam, sive materiam inordinatè motam, supponere hos Pythagoreos: eique mentem præficere, ut in ordinem formamque mundanam ritè adducatur.

Est aliud scriptum Pythagoricum, *Ocelli Lucani*, qui de universo & rerum originibus multò aliter tractavit. Mundum enim æternum esse statuit, tam quoad formam, quàm materiam: neque minùs genus humanum. Quapropter, nisi hunc hominem Pseudo-pythagoricum esse, aut hoc opusculum Ψευδεπίγραφον, dicamus, doctrina Pythagorica circa rerum origines, aut nulla est, aut malesana. Nihil autem reperies in istoc scripto Ocelli quod ingenium redolet Pythagoricum: & in diversas partes abiit Plato, Pythagoricorum sequax; Plutarchus denique aliud testatur, Πυθαγόραν μὲν Πλάτωνα γενητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον, καὶ φθαρτὸν μὲν ὅσον ὅπω τῇ φύσει. *Pythagoras & Plato genitum à Deo mundum aiunt: & quod ad naturam attinet, corruptibilem.* Id quod confirmat Aristoteles, cum, veterum sententias de mundi origine relaturus, ait, Γενόμενον μὲν ἅπαντες φασιν· οἱ μὲν ἀΐδιον, οἱ δὲ φθαρτόν. *Genitum quidem omnes asserunt: alii*

*Plac. Phil. l. 2. 4.*

*De Cæl. l. 1. c. 11.*

*alii autem perpetuum fore, alii periturum.* His tamen non obſtantibus, fatendum eſt, tam Pythagoricos quam Platonicos, veterumque alios, propendiſſe in illam ſententiam, *Rerum ſubſtantiam eſſe æternam: Formas & modos, fluxos & inſtabiles.*

Utcunque ſit, in his, multiſque aliis, non diffitemur doctrinam Pythagoricam incertò & obſcurè traditam receptamve poſteris. Quod à multis cauſis proveniſſe arbitror. Primò, non unica erat doctrina Pythagoræ: alia *vulgaris*, alia *arcana*, atque alia, ut quidam dicunt, *media*. Dein variæ erant Diſcipulorum claſſes: quarum ſingulas, pro captu & ingenio, non tantum in differentibus materiis exercebant, ſed etiam in eâdem materiâ aut argumento, alio atque alio modo. Exempli gratiâ, cùm de formâ & ſyſtemate mundi tractandum eſſet, hos in vulgari ſyſtemate, poſitâ *Terrâ* in mundi centro, erudiebant: Alios in vero & arcano, poſito *Sole* in mundi centro, vel in hujus Orbis magni meditullio. Pariter ſi de numeris agendum eſſet, hos uſum vulgarem, alios myſticum docebant. Atque ità de cæteris: prout animus erat, Catechumenos, ut ita dicam, inſtituere, aut adeptos: ut nil miri ſit, diſpares ſententias, aut forſan contrarias, ex eâdem ſcholâ prodiiſſe ſub nomine Pythagoræ. Prætereà, Cùm ſuam philoſophiam Pythagoras ſymbolicè & ſub involucris propoſuerit, maximam partem: & non niſi ſuis notam eſſe vellet, cæteris hominum, inſtar ferarum, habitis: utroque modo oblivioni & interitui facta eſt obnoxia: tam propter obſcuritatem rei, quàm quòd paucis cuſtodienda traderetur. Unde, quod theſauris quandoque accidit, dum nimis abſcondidit, latendo poſteris periit. Ad hæc denique accedit, ex antiquioribus non paucos authores (quorum infra memi-

nerimus) qui de rebus dogmatisque Pythagoricis scripserant, nobis excidisse, temporis hominumve injuriâ abreptos.

Convenit utcunque inter omnes qui hanc materiam qualitercunque tractârunt, *numeris*, symbolisve numericis, summoperè usum esse Pythagoram in tradendâ suâ philosophiâ. Veteres ante Pythagoram fabulis involvêre suam Theologiam aut Philosophiam: quâ ratione, periit plerumque, progressu temporis, vera doctrina, fabularum mole oppressa. Pythagoras, rejectis fabulis, numeros substituit. Neque fœliciori exitu. Evanuerunt enim paulatim istæ rerum umbræ, & fugêre sensus nostros. Quis enim sapientior unquam evasit ex numeris Pythagoricis? aut veritatem sibi antea ignotam exinde didicit? Certè quas mihi contigit hactenùs, aut apud veteres aut recentiores, numerorum Pythagoricorum interpretâtiones inspicere, notitias vulgares exhibent, quales aliunde facilè esset addicere: aut tenues argutias de rerum principiis, absque fundamento & sine fructu.

Inter hæc numerorum mysteria semper præcelluit *Tetractys*: Cruxingeniorum per multa sæcula. Quin & *Septenarius* non ignobilis est: *Denarius* autem nobilissimus dicitur, & plenè perfectus: quòd omnem numerum diversæ virtutis & perfectionis, intra se habeat. Esto: sed nil præter numeros in se continet; Non Cœlum, & Terras, & res alias, à numeris quantumcunque diversas. Imò omnia, inquiunt nonnulli: alii verò modestiùs, non quidem in numeris latere res omnes tanquam in suis causis, sed veluti in tot capsulis memorialibus, quibus uti liceat ad revocandum in mentem rerum capita, vel doctrinam Pythagoricam sub istis capitibus contentam:

Unde

Unde ſingulis numeris varios titulos, cognomina, ſignificationes, & rerum ordines, ſubnectunt: quemadmodum faciunt Cabaliſtæ in ſuis *Sephiroth*: ut materiam ſtudiorum diſpeſcant in loca & claſſes. Quod ſi hoc modo interpretemur numeros Pythagoricos, ex inſtituto tantùm ſignificant, non ſuâ vi & ſuâ naturâ. Pythagoras verò παγὰν ἀενάου φύσεως, *rerum ipſarum fontem*, ſuam Tetractyn nuncupat: &, ex conſenſu omnium veterum, Numeros rerum *principia*, *radices*, *origines*, ſtatuebat Pythagoras: Prout infra dicetur.

Quoad numerum *ſeptenarium*, celebris eſt, potiſſimùm inter Hebræos & Chriſtianos; idque primùm, ſi rectè conjicio, ratione *Sabbathi*, ſeptimo quoquo die: & *Sabbatiſmi*, in ſeptimo millennio, celebrandi. Unde tanquam à fonte, multa alia ſeptenaria typica, in ſcriptis utriuſque fœderis, manâſſe mihi videntur. Oblitus eram *Ternarii*, numeri Platonici, τῶν τελῶν ὑποστάσεων commemorativi. Nam quod velint nonnulli, *Principium*, *medium* & *finem*, deſignare, frigidum eſt & vulgare. Sed cùm numerus aliquis à causâ ſacrâ dignitatem adeptus eſt, alia accumulare ſolent ſecundaria & minoris momenti additamenta, & interpretamenta, quorum multitudine primus character ſæpe obruitur. Succedit denique Numerus *Quaternarius*, Pythagoricus; ab iis enim potiſſimum, ſi non unicè, colitur & conſecratur hic numerus. Hunc illi, ſub nomine *Tetractyos*, tanti olim faciebant, ut Sacramenti loco habuerint, & per ipſum, & ipſius authorem, alii aliis fidem ſanctiſſimam dederint.

Ναὶ μὰ τὴν ἡμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως.

*Per Eum, qui nobis tradidit Quaternarium, Fontem perennis naturæ.*

Jurabant Pythagoram, & mysterium quod eos docuit maximum, *Tetractyn*. Nomen tacebant, præ modestiâ, ut inquit *Jamblicus*, & doctrinâ designabant virum: ἀιδῶ μὲν ποιυμένων ὀνομάζειν Πυθαγόραν, ὥσπερ καὶ θεῶν ὀνόμασι χρῆσθαι πολλῷ φειδῶ ἐποιοῦντο· διὰ δὲ τὴν εὑρέσεως τὴν τετρακτύος δηλοῦντες τὸν ἄνδρα. *Præ pudore quidem Pythagoram non nominant, ut Deorum quoque nominibus parcè admodùm utebantur: Sed per Tetractyos inventionem virum indicant.* Hierocles ad temperandum hoc juramentum ἴδιον appellat, quasi aliter per Deos immortales jurarent Pythagorici, aliter per Pythagoram: Quem Divinum quidem, Deum neutiquam, habebant. Ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο εἴποι ἄν τις, ἰδίᾳ μὲν τηρεῖσθαι τὸ Σέβυ ὅρκον, ὅτι τῶν ἀεὶ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων θεῶν· ἰδίᾳ δὲ νῦν ὀμνύσθαι κατὰ τοῦ παραδόντος ἡμῖν τὴν τετρακτύν· διδασκάλου, ὃς οὐκ ἦν τῶν ἀθανάτων θεῶν, οὐδὲ τῶν φύσει ἡρώων, ἀλλ' ἄνθρωπος, ὁμοιώσει θεοῦ κοσμηθείς, καὶ πρὸς τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ θείαν ἀποσώζων εἰκόνα· ὅθεν καὶ ἔνορκον αὐτὸν ὅτι τῶν οὕτω μεγάλων ποιεῖται, λελυθότως ἐπεμβάλλων τὸ περὶ Πυθαγόραν τῶν ἀκεραίων σέβας· καὶ τὴν αἰξίαν αὐτοῦ δεικνὺς δι' ὧν παραδέδωκε μαθημάτων. *Ità ut istâ ratione dicat aliquis, peculiari quidem modo servari præceptum de colendo jurejurando in Diis, qui semper & eodem modo existunt: & modo item peculiari hìc per Magistrum jurari, Qui nobis Tetractyn tradidit: Qui nec erat ex Deorum immortalium numero, nec ex Heroum genere, sed homo, Dei similitudine præditus, divinaque imaginis authoritatem apud suos retinens. Unde fit ut in magnis adeo rebus ipsum adhibeat in juramentum: tacitè innuens, quâ ratione* Pythago-

*De vit. Pyth. c. 28.*

*Pythagoras à ſuis auditoribus coleretur, quantumque ſibi dignitatis, diſciplinis, quas tradiderat, peperiſſet.*

Hæc de Homine & de juramento, ſed de *Tetractu* quid dicendum? Hunc nodum ſolvere tentârunt, tam veteres quàm recentiores: ſed nondùm mihi occurrit quiſquam cujus explicationi firmiter aſſentiri & acquieſcere potui. Ex antiquis conſului *Philonem*, *Plutarchum*, *Hieroclem*, *Theonem Smyrnæum*, *Proclum*, *Nicomachum*, *Sextum Empiricum*, *Suidam*, *Martianum Capellam*, *Macrobium*, alioſque: qui, vel datâ operâ explicuerunt, vel obiter perſtrinxêre, hoc argumentum. Horum autem omnium interpretationes non tantùm laxæ mihi videntur, ſed etiam plerumque leves, & exigui ponderis, ſi veræ eſſent: Quæque, nec Myſterii nomen, nec vim juramenti, nec Inventoris gloriam, ſuſtinere poſſunt. Laborârunt etiam in eodem argumento è recentioribus non pauci: quorum conjecturas ſi referrem ſingulatim, nimii facerem. Præcellere videtur illa, quæ de *Tetragrammato* Judæo Pythagoricam Tetractyn exponit. Quæ eſt utriuſque Pici *Mirandulæ*, Johannis *Seldeni*, & Gotofridi *Wendelini*, ſententia: Eandem etiam dudum tetigerat *Philo* in *vitâ Moſis*. Quamobrem verò, aut quam rationem myſterii habere poterat apud Pythagoricos hoc Tetragrammaton? num quod doceret *unum eſſe ſummum Deum*? Hoc docuerunt Orphici; à quibus hauſit Pythagoras, ex conſenſu omnium, ſuæ Philoſophiæ & Theologiæ partem non exiguam; Vel quòd doceret Deum Iſraelitarum eſſe illum ſummum Deum, & religionem Moſaicam ab ipſo unicè inſtitutam? Hoc ſi credidiſſet Pythagoras, nefas illi fuiſſet, alium Deum colere, alium cultum inſtituere, quàm Iſraeliticum; Ceremonias autem, ritusque Moſaicos, in Scholâ Pythagoricâ obtinuiſſe nullibi

P. 519.

nullibi legimus, quin potius Orphicos. Denique, ſi dixeris non tam in re, quàm in nomine, in voce, in literis Tetragrammati, hæſiſſe myſterium, & rationes Cabaliſticas ſecutum eſſe Pythagoram in hujus nominis arcanis eruendis, parùm conſulis dignitati tui Pythagoræ: Neque conſtat, ullo indicio, ita ſenſiſſe Philoſophum. Scio *Reuclinum* in ſecundo libro *Artis Cabaliſticæ*, Pythagoram traxiſſe ad partes Cabaliſtarum: ſed argumentis frigidis, aut argutiolis & exemplis iſtiuſmodi, quæ nullam vim habent ad flectendos prudentum animos. Malo fato interciderunt *Telaugis* Pythagorici *libri quatuor*, περὶ τῆς τελαύγους, qui hanc litem facilè diremiſſent. Intereà, qui in hâc vexatâ materiâ plura deſiderant, adeant, præter dictos modò authores, Joh. *Meurſium*, Fab. *Paulinum*, & Petrum *Bongum*, qui veterum de numeris ſubtilitates vel nugamenta ad faſtidium uſque congeſſêre. Denique, ut verbo complectar omnia, cùm numeros conſtituebant Pythagorici rerum cauſas & origines, ipſoſque Deos, Mentes, & res omnes materiales è numeris excitabant, vel aliam habuerunt Numerorum Ideam quàm nos habemus hodiè, vel pro Junone nubem amplexi ſunt: Ingeniique ſui figmenta & veritatis idola pro veritate ipsâ, ſibi & poſteris malè obtrudebant.

*Suid. in voc.* Τιλ.

*De Denar. Pyth. De num. Sept. De num. myſter.*

Quod verò *numeros* pro rerum Principiis habuerit Pythagoras, teſtantur omnes veteres, *Plato*, *Ariſtoteles*, cum ſuis commentatoribus Græcis: *Plutarchus*, *Sextus Empiricus*, cæteri: neque teſtantur modò, ſed eâ de re, ut notâ & confeſsâ, variè differunt, diſcutiunt, exponunt, refellunt. Caret tamen, tam fundamento quàm ordine, hic modus philoſophandi; *Numeri* enim ſequuntur Res, Rerumque diviſionem: Neque, ſi antecederent, aut Corporibus molem, aut Anima-

Animabus & Mentibus cogitationem, conferre poterant, cùm utrisque destituantur. Manifestum est, Numeros, præter numeros, nihil posse generare: Nullam habent ultrà vim aut efficaciam. Possunt quidem repræsentare, suo modo, rerum gradus & genera, sed efficere non possunt: neque vices materiæ supplere in rerum effectione. Quin age, mi Pythagorice: si negas, experiamur paulisper: fac mihi è tuis numeris, non Deum, aut mentem, ut tu jactare soles: sed corpusculum aliquod: Lapidem, exempli gratiâ: vel, si mavis, Lutum. Accinge te ad opus, Quos numeros habes aptissimos ad hoc propositum? Pares vel impares: mares vel fœminas? pro tuo ingenio, quos velis, accipe. Sed steriles sunt omnes, mihi crede: & ad generandum Lapidem æque inepti. Quid si, mutato consilio, numeros planos vel solidos adhibeas: vel forsan quadratos. Nihil hinc efficies præter figuras quasdam imaginarias: & ex Nihilo, quadrato vel cubico, plano vel solido, nihil fit. Denique si *unitates* compingas: si *binarium*, *ternarium*, *quaternarium*, cæteroscque, cum suis mirificis virtutibus: adde, subtrahe, divide, compone: in omnes facies verte, omnes vires exprome: Numeri sunt adhuc, & præterea nihil. Nihil Lapideum emergit, multo minus humanum, aut Divinum. Hæc ludendo diximus, sed res eò redit: *Nihil pariunt numeri præter numeros*: gignuntque semper sui similes, & more, ut aiunt, *univoco*. Quapropter cùm omnia ex numeris composuit Pythagoras, subintelligere non potuit causas *Efficientes*, neque *Materiales*, (quod pace aliorum dictum sit) sed aliquo modo *Exemplares*; imagines quasdam rerum è suis causis exorientium. Quemadmodum enim numeri progrediuntur ab unitate, sive monade, omnium simplicissimâ radice, in magis

magis magiſque compoſitos: novaſque induunt proprietates in illo progreſſu: Ità à Deo ſimpliciſſimo recedunt gradatim rerum productarum claſſes, retinentque characteres aliquo modo ſuis numeris analogos. Id certè conſtat, Philoſophorum & Theologorum μυϛικωτάτους multùm ſudâſſe in hoc argumento, nempe ut rerum ortum & emanationem à primo Ente, progreſſumque per varios ordines, à ſummis ad ima, ſi non ratione explicitâ, ſaltem per Symbola & ſimilitudines, explicarent.

Nec tamen diſſimulandum eſt, ingenium Pythagoricum, Platonicumque, hoc vitio laborâſſe, quod res Phyſicas in rationes Mathematicas, numeros & proportiones, reſolverit: utì poſtea Ariſtoteles in rationes Logicas. Uterque peccavit nimiâ ſubtilitate, dum tenuibus aranearum filis Divam Naturam tenere ſtuderent, quæ non niſi ferreis aut adamantinis catenis, ratione rigidâ fidiſque obſervationibus, ſe conſtringi patitur. Palam eſt, hos philoſophos aptiores fuiſſe, magiſque aſſuetos, contemplationibus abſtractis quàm naturalibus: Neque habuit ſchola Pythagorica, ut mihi videtur, ullam Phyſiologiam ſtabilem, & toti ſectæ communem: ſed pro libitu quiſque, & ſuo modo, de rebus elementaribus philoſophabatur. At ſi ad hanc claſſem revocemus *Pherecydem*, Pythagoræ præceptorem: & *Empedoclem*, ſemipythagoricum: antiquæ phyſiologiæ veſtigia, rerumque origines, apud hos reperiemus. Pherecydes *Theogoniam* ſcripſit, more priſco & mythologico: ut patet ex *Suidâ*, & *Maximo Tyrio*. Eumque ait *Theopompus* Πρῶτον περὶ φύσεως καὶ θεῶν Ἕλλησι γεάψαι· quod tamen plures Thaleti tribuunt; forſan ille primus Theogoniam ſcripſit oratione ſolutâ; cujus ſcripti initium hoc nobis dedit Laërtius, Ζεὺς μὲν,

*Diſſert. 29.*

*Apud Laërt.*

μὲν, καὶ χρόνος εἰσάει, καὶ χθὼν ἦν· χθονίη δὲ ὄνομα ἐγένετο Γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζεὺς γῆν γέρας διδοῖ. In verbis penultimis γῆν γέρας mendum esse non dubito, quod sententiam corrupit. Suspicor fuisse ὠγῆνον vel ὠγῆνα quod antiquitùs *Oceanum* significabat. Certe ex *Pherecyde* citat *Clemens Alexandrinus* hæc verba, Ζὰς ποιεῖ φάρος μέγα τὲ καὶ καλὸν· καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν, καὶ ὠγῆνον, καὶ ὠγήνου δώματα. *Jupiter facit pallium, magnum pulchrumque: & varietate quadam in eo describit Terram, & Oceanum, & domos Oceani.* Quod ad eandem, cum illâ Laërtii, Pherecydis Cosmogoniam spectâsse, dubitare vix licet. *Strom. 6. p. 621.*

Quoad *Empedoclem*, hunc semipythagoricum diximus: licet enim Pythagoræ fuerit auditor, Ionicorum, qui aptiori erant ingenio ad scientiam naturalem, imitatus est physiologiam. Id notavit ex *Alcidamâ Laertius*, Τὸν δὲ, de Empedocle loquitur, Ἀναξαγόρου διακοῦσαι καὶ Πυθαγόρου, καὶ τοῦ μὲν τὴν σεμνότητα ζηλῶσαι, τοῦ τε βίου καὶ τοῦ σχήματος, τοῦ δὲ τὴν φυσιολογίαν. *Hunc Anaxagoræ & Pythagoræ fuisse auditorem: quorum unius vitæ & habitus gravitatem, alterius physiologiam, adamavit & secutus est.* Solem πυρὸς ἄθροισμα μέγα, *magnum ignis acervum* vel *molem*: καὶ πυρινὰ εἶναι τὰ ἄστρα, *& stellas esse igneas*, cum utroque suo præceptore, statuit. Quoad Terram & sublunaria, ex quatuor elementis, quæ, more antiquorum, Deorum & Dearum nominibus insignivit, omnia composita esse voluit: nota sunt ipsius carmina, *Laert.* *Plut. de pla. ph. l. 2. c. 13.*

Ζεὺς ἀργὴς, Ἥρη δὲ φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεὺς,
Νῆστις θ', ἣ δακρύοις ἐπιπικροῖ ὄμμα βρότειον.

Hæc exposuit Laërtius, aliique, per quatuor ele-

 menta.

menta. Inquit, Δία μὲν τὸ πῦρ λέγει, Ἥρην δὲ τὴν γῆν, Αἰδωνέα δὲ τὸν ἀέρα, Νῆστιν δὲ τὸ ὕδωρ. Atque horum elementorum coalitionem in mundum habitabilem, *Amorem* & *Amicitiam* appellavit. Cùm verò ita se fugerent & ab invicem secederent ut nulla esset mixtio commoda, aut rerum generatio, *Litem*, *odium*, & inimicitiæ statum dixit. Unde adjicit idem Author, φιλίαν δὲ ἢ συγκρίνεται, καὶ νεῖκος ᾧ διακρίνεται. *Amicitiam appellavit, cùm conjuncta essent: Litem & contentionem, cùm separata.* Hoc autem alibi explicuimus, ubi de Chao antiquo & dispescendis elementis in rerum ortu, tractatum est.

*Theor. Tell. l. 2. c. 7.*

De Pythagoricis hæc dicta sunto, idque paucis, ob inopiam materiæ physiologicæ in istâc sectâ, atque etiam Authorum qui Pythagorica tractârunt; periit pars maxima scriptorum qui in hoc argumento versati sunt, & imprimis ipsorum Pythagoricorum monumenta desiderantur. Quoad *Pythagoram* ipsum, scripserit aliquid, necne, lis adhuc pendet: Sed de *Philolao*, *Archytâ*, *Eudoxo*, aliisque, non dubitatur. Libros *Philolai* ab ipsius propinquis in Siciliâ Platonem emisse, memoratum est: idque centum minis; Charos non habuit auro contra. Hos libros *Philolai* appellat Laertius, τὰ διαβοητὰ βιβλία, & ex iis primùm ait innotuisse doctrinam Pythagoricam, Μέχρι δὲ Φιλολάου οὐκ ἴσμέν τι γνῶναι Πυθαγόρειον δόγμα· ὅτου δὲ μόνου ἐξήνεγκε τὰ διαβοητὰ τρία βιβλία, &c. Neque aliter *Jamblicus* in vita *Pythagoræ*, ἐν τοσαύταις γενεαῖς ἐτῶν οὐδεὶς οὐδενὶ φαίνεται τῶν Πυθαγορείων ὑπομνημάτων περιλειπτικῶς περὶ τοῦ Φιλολάου ἡλικίας, ἀλλ' ὃ πρῶτος ἐξήνεγκε τὰ θρυλλούμενα ταῦτα τρία βιβλία, &c. *Per tot annorum ætates & curricula, in quicquam Pythagoricorum commentariorum incidisse quenquam ante Philolai ætatem, non constat. Sed is primus*

*Laert. in vit. Philos. In Pythag.*

*c. 31.*

*primus in lucem edidit hoſce tres vulgò ſatis jactatos libellos.* Denique Proclus, eundem Philolaum doctrinam Pythagoræ de Diis, & rerum à Deo progreſſu, miraſque de iiſdem notiones, prodidiſſe ait. Et ab his ſuum Timæum aliaque contexuiſſe, accuſatur Plato. Sed de *Philolao* ſatis. *Theol. Plat. l. 1. c. 5.* *Tzetzes Chil. 10. hiſt. 355. & Chil. 11. 362.*

Archytæ, Pythagorici, & egregii Mechanicorum Magiſtri, plura numerantur opera. Ejus Ἁρμονικὸν *Nicomachus* allegat. Librum περὶ παντὸς *Simplicius.* Cujus etiam meminit ipſe Archytas in Epiſtolâ ad Platonem ſub titulo τὰς τῶν πάντων γενέσιος. Scripſiſſe etiam περὶ τοῦ ὄντος· περὶ τῶν ἀρχῶν· item περὶ τοῦ νοῦ, ἢ περὶ ἀιδήσεως, ex *Stobæo*, aliiſque conſtat. Quæ omnia nobis ſurripuit invida ætas, & *Moralia* non pauca. Extat tantùm fragmentum περὶ τῆς Μαθηματικῆς. Dein *Eudoxus*, ex philoſophis peregrinantibus unus, varia ſcripſit. Τὰ ἀστρολογούμενα, καὶ γεωμετρούμενα, καὶ ἕτερα ἄττα ἀξιολόγα· ut ex *Hermippo* refert Laertius, aliique ex aliis. Γῆς περίοδος, præ cæteris claruit, à pluribus celebratus liber, & ampliori titulo à *Strabone* (*l.* 1.) dicitur, ἡ περὶ Εὔδοξον ἱστορία: ut meritò videatur hiſtoriæ naturalis & gentium res quaſdam comprehendiſſe. Tredecim annos verſatus eſt Eudoxus in Ægypto, cum ſacerdotibus iſtius gentis: optimis ſi Thaleti credimus, ſtudiorum præfectis: & qui, Platone judice, præ cæteris gentibus, vetuſtiſſimarum rerum memoriam conſervabant. His denique deperditis accenſendus *Empedocles*, cujus tres libri *de rerum naturâ*, à veteribus iterum iterumque citantur, & à nobis deſiderantur. *L. 1. περὶ Ἀειθ. de Cat. in præf.* *Par. 1557. octavo.* *Suid.* *Procl. in 1. Euclid.* *Strab. l. 17.*

Hæc Pythagorici ſcripſerunt, ſed deſunt præterea authores non pauci, qui hujus ſectæ hiſtoriam & dogmata tradiderant, ab eâ licet alieni. *Ariſtoteles* imprimis, qui plures libros compoſuit circa philoſophi-

am Pythagoricam & Pythagoreos, teste Laertio in ipsius vitâ; ubi memorat περὶ τῶν Πυθαγορείων unum, alterum πρὸς τοὺς Πυθαγορείους· Item tres libros, περὶ τῆς Ἀρχύτου φιλοσοφίας, & πρὸς τὰ Ἀλκμαίωνος; Denique τὰ ἐκ τοῦ Τιμαίου καὶ τῶν Ἀρχυτείων. Erat autem Aristoteles parùm æquus in veteres philosophos: quorum opiniones & dogmata plerumque eo animo referebat, ut invidiâ oneraret & refelleret. Multos prætereà allegat Laërtius in philosophorum historiis, qui Pythagorica tractârunt: *Aristoxenum*, *Heraclidem*, *Neanthem* & *Hermippum*. *Jamblici* collectionem Dogmatum Pythagoricorum citat *Syrianus*. Adhæc *Didymus* scripsit de philosophiâ Pythagoricâ, referente *Clemente Alexandrino*: & *Eudorus*, apud Simplicium. Item *Moderatus Gaditanus* de vitâ placitisque Pythagoræ commentatus est, ut testatur *Stephanus* in voce Γάδειρα, *Porphyrius* apud Eusebium, & *Hieronymus* adversus *Ruffinum*. Denique symbola Pythagorica exposuerunt *Alexander Polyhistor*, & *Androcidus*, aliique. Hos propterea recensui authores, quo minùs mireris, philosophiam Pythagoricam parùm nobis innotescere, cum tot scriptores exciderint è quorum monumentis haurienda esset. Quin & plures adhuc desiderantur minorum subselliorum, quibus immorari non duxi operæ pretium. De Pythagorâ & Pythagoricis hæc dicta sunto.

*In Arist. Metaph. c. 12. m. p. 90. Strom. 1. Ad prim. ουτ. ἀκρ. Hist. Eccl. l. 6. c. 19. vel 13. l. Jam. de vit. Pyth. c. 28.*

CAP.

# CAP. XII.

## *De Sectâ Eleaticâ: & de Stoicis.*

PHiloſophiam Orphicam, Ionicam, Pythagoricam perluſtravimus, maxima ſuorum temporum lumina: Sequitur *Secta Eleatica*, à *Zenophane* Colophonio, ſub temporibus Anaximandri & Archelai philoſophorum, conſtituta: poſteà verò nomen ſortita à diſcipulis Eleaticis. Videtur compoſita ex philoſophis inter ſe diverſis, gente, moribus, & dogmatibus: Schola miſcellanea. Neque ideò ſub unicâ ideâ aut uniformi principiorum ſerie exhiberi poteſt: quapropter, quid ſtatuerint de rerum naturâ unus atque alter eorum, qui præſtantiores fuerint, ſatis erit indicâſſe. De cœlo corporibuſque cœleſtibus in decretis Zenophanis, id tantùm notatu dignum reperio, quod mundos voluit eſſe innumerabiles, καὶ ἀπείρους ἡλίους εἶ καὶ σελήνας, *& infinitos eſſe Soles* in immenſo cœlo, *& infinitas Lunas*, noſtræ non diſſimiles. *Noſtramque habitari inſtar terræ*; ità enim teſtatur Cicero (*Academ. quæſt.* 4.) *habitari ait Zenophanes in Lunâ, eamque eſſe Terram multarum urbium & montium.* Hæc quidem non malè, ſed hos mundos æternos eſſe voluit, καὶ ἀπαραλλάκτους, ideoque ſine ortu. Quem errorem cùm erraverit, in cæteris quid ſtatuit de rerum naturâ, parùm refert quoad propoſitum noſtrum.

Par-

Parmenides autem rerum ortum admiſit, idque ex igne & terrâ tanquam elementis, additque Laertius, eum voluiſſe, γένεσίν τε ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι, ità vulgò legitur. Sed quid hoc rei eſt, *Homines naſci ex Sole*, tanquam ex materiâ ſuâ aut elemento? Legendum omninò pro ἐξ ἡλίου, ἐξ ἰλύος, quemadmodum ſe habet editio Baſilienſis & in margine Romanæ adſcriptum eſt. Neque aliter legiſſe Aldobrandinum conſtat, cùm ità verba tranſtulerit, *atque hominum ortum è limo primùm extitiſſe.* Quæ quidem erat inter antiquos ſententia communis, & inter Ionicos maximè, è quibus Anaximandrum & Archelaum à nonnullis dicitur audiiſſe Parmenides; prorſuſque mihi videtur habuiſſe eadem, tam numero quàm naturâ, principia & ſententiam cum Archelao, circa rerum ortum, nempe τὸ ψυχρὸν ac τὸ θερμὸν, ut ex utriuſq; verborum comparatione facilè patebit; ità enim de *Archelao* Laertius, ἔλεγε δὲ δύο αἰτίας εἶναι γενέσεως, θερμὸν καὶ ψυχρόν· καὶ τὰ ζῶα ἀπὸ τοῦ ἰλύος γενηθῆναι, &c. Dein de *Parmenide*, δύο τε εἶναι στοιχεῖα πῦρ καὶ γῆν· γένεσίν τε ἀνθρώπων ἐξ ἰλύος πρῶτον γενέσθαι· αὐτῷ δὲ ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, ἐξ ὧν τὰ πάντα συνίστάναι. Denique cùm multi authores, præter Laertium, uti Ariſtoteles, Plutarchus, Empiricus, aliique, Parmenidem & ipſius dogmata memorârint, illud de *ortu Solari hominum*, ſi ipſius fuiſſet, ut maximè παράδοξον & præ cæteris memorabile, non præteriiſſent.

Parùm igitur receſſerunt ab Ionicis Eleatici quoad rerum ortum; ſi quem rerum ortum ſtatuerunt; id enim de omnibus non conſtat. Et cùm motum è rebus ſuſtulerint eorum nonnulli, hos in phyſicorum cenſum non admittit Ariſtoteles, idque rectè; nam ſine motu nulla eſſet generatio aut corruptio imò,

*Phyſ. auſc. l. 1. c. 2.*

imò idem eſſent omnia, nulla corporum diverſitas, nulla compages, aut ornatus, aut aliud quicquam quòd *Mundum* appellare liceret. Ut mirum videri poſſit, quid ſibi propoſuerint Parmenides, Meliſſus, aliique, cùm è naturâ motum auferre, aut *apparentem*, non *verum*, eſſe vellent. Hoc accedit ad ingenium Pythagoricum & Platonicum, qui res ſenſiles, aut rerum ſenſilium formas, quod fluxæ, caducæ, & inſtabiles eſſent, inſtar phantaſmatum, aut inſtar nihili, habebant; ideoque ad rationes abſtractas & immutabiles, veluti *numeros*, *proportiones*, aut *Ideas*, pro rerum principiis confugiebant.

Ad hanc ſectam Eleaticam aggregari ſolent *Leucippus* & *Democritus*, viri celebres & eximii, qui hypotheſin *Atomorum* invexerunt: Quæ, licet, meâ ſententiâ, falſa ſit & malè fundata, dedit tamen occaſionem philoſophandi ſtrictiùs & accuratiùs. Hi enim non quærunt corporum principia, aut agendi vires inter *numeros*, *proportiones*, *harmonias*, *ideas*, *qualitates*, aut *formas elementares*, ut ab aliis factum eſt: ſed ipſa adeunt corpora, eorumque conditiones Phyſicas & Mechanicas examinant, motum, figuram, partium ſitum, tenuitatem aut magnitudinem, & ſimilia: & ex his cujuſque virtutes æſtimant, actiones definiunt, effecta explicant, idque rectè ſolidéque, ut mihi videtur, hucuſque. Quod verò has minutias indiviſibiles eſſe vellent, aut innatum impetum habere, aut inclinationes ad certa loca, aut denique inanibus ſpatiis disjungi, hæc & hujuſmodi, non tantùm gratis dicta ſunt, ſed etiam claræ rationi refragantur. Utcunque, cum viam aperuerint ad ſaniorem differendi methodum circa res phyſicas, & in hâc parte de republicâ literariâ non malè meruerint, illos laude ſuâ ne fraudemus.

Agnovit

Agnovit Leucippus motum Terræ circa suum axem; & in primâ Telluris origine & formatione, cùm massa fluida in corpus globosum subsidebat, ait hunc globum membranâ quadam circumductum fuisse, cætera omnia continente: eaque primùm uda & limosa, postea induruit. Hanc membranam primigeniam Leucippi facilè interpretari licet de primæ Telluris crustâ, molliori adhuc & tenerâ: quæ membranæ instar, Abysso circumducta, cætera omnia involvebat; eademque aucta exteriùs, & exiccata, in primum orbem habitabilem cessit; Juxta ea quæ de ortu Telluris in Theoriâ nostrâ explicuimus. Quùm autem Philosophica narrantur à viris parùm philosophis, qualis fuisse mihi videtur Laertius, nil mirum si quædam mutilatè, quædam perturbatè, recenseantur, atque ipsa sententia Philosophi sæpe pereat. Ità quæ de hâc Cosmogoniâ Leucippeâ referuntur à Laertio, neque consistere, neque cohærere mihi videntur, nisi laxè admodum singula exponamus. Sæpè etiam propter menda, quibus scatet hic liber, sensus corrumpitur. Id tantùm præterea notandum de Leucippo, quod *situm Terræ* mutatum esse memoraverit: quod ex Plutarcho simul & Laertio discimus. Neque id ei esset conceptu difficile, cùm Terram pendulam & circa suum axem rotatam agnoverit.

Leucippum audivit Democritus, & in Physicis secutus est. Hunc virum magnum in scientiarum studiis plurimùm profeciisse, tam ex libris ipsius, quàm ex peregrinationibus, quas ad gentes ferè omnes sapientiâ claras, suscepérat, conjicere licet. Præterquam enim quod à pueritiâ Magis quibusdam quos Xerxes apud patrem ipsius reliquerat, in rerum divinarum scientiâ & in cognitione syderali instructus & institutus esse dicitur; versatus est posteà cum sacerdotibus

bus in Ægypto, & cum Chaldæis Babylone, in Perſide cum Magis, & ad mare rubrum deſcendit, ut cum Arabibus, opinor, literarium commercium iniret; ita enim *Plinius* de *Democrito*, *peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis.* Referunt eum denique ad Gymnoſophiſtas, tam in Indiâ, quàm Æthiopiâ, profectum eſſe; ac ſeipſo teſte, apud Clementem Alexandrinum, plures terras peragravit quàm Philoſophorum quiſquam alter. Quoad Libros ipſius, quamplurimos conſcripſit, quorum ſeptuaginta quinque numerat Laertius, præter dubios: multifariam Authoris eruditionem hæc ſcripta arguunt, omnia quidem exoptatiſſima; at ſi Phyſica illa *Diacoſmus major*, & *Diacoſmus minor* ſupereſſent, & Aſtronomica quædam, cæterorum jacturam æquiori animo ferremus.

*Suidas* *Ælian. Var. Hiſt. Diodor. Sic.* *Strabo. l. 25.* *Strom. 1*

De Phyſiologia Democriti non opus eſt ſeorſim diſſeramus, cùm illam Leucippi amplexus fuerit. Dicitur *Lunam* habuiſſe pro *alterâ Terrâ* ſive *corpore Terreſtri*; Quod non tantùm *Ionici*, ſed *Xenophanes* etiam hujuſce ſectæ conditor aſſeruit. Occurrit apud authorem, φιλοσόφω ἱστορίας, ubi de Luna. Ἀναξαγόρας καὶ Δημόκριτος τερέωμα διάπυρον, ἔχον ἐν ἑαυτῷ πεδία καὶ ὄρη καὶ φάραγγας. *Anaxagoras & Democritus* voluerunt Lunam eſſe *Corpus ſolidum ignitum, in quo ſunt campi, montes, & valles.* *Ignitum*, opinor, intelligunt in certis locis, quemadmodum eſt Terra noſtra. Idem ſenſerunt Stoici de *Lunâ*. Εἰ δὲ τὸ μὲν ἥλιον εἰλικρινὲς πῦρ ------ γεωδεστέραν δὲ τὴν σελήνην· & poſtea, τὴν σελήνην οὐκ ἴδιον ἔχειν φῶς, ἀλλὰ παρ' ἡλίου λαμβάνειν ἐπιλαμπομένην· quod *Laertius* refert in *Zenone*. Et generatim quidem Philoſophi antiqui, *Ionici*, *Pythagorici*, *Eleatici*, uſque ad tempora Ariſtotelis, & poſteà *Stoici*, non malè ſtatuiſſe

videntur de materiâ cœlorum, de Lunâ, de Sole & Fixis, & de spatiis cœlestibus. Illam, opacam & terrestrem esse plerumque voluerunt; Hos, igneos; & repleri æthere spatia vel intervalla cœlestia. Hæc, inquam, ad tempora Aristotelis, qui novam faciem, vel potiùs larvam induxit philosophiæ. De Democrito, unde digressi sumus, & ipsius decretis, scripsit *Theophrastus*. De ipsius Libris *Callimachus*, de utrisque nuperus author Chrysostomus *Magnenus*. Et de Secta Eleaticâ hæc breviter, satisque; nam in his repetendis facile est nimium temporis impendere.

*Laert. in Theoph. Suid.*

Pergamus ad Stoicos; recentiores quidem multis aliis Græcorum sectis, *Cyrenaicis*, *Cynicis*, *Pyrrhoniis*, aliisque, sed quæ in re physiologicâ non sunt memoratu dignæ. Et quoad *Epicuream*, *Platonicam*, & *Peripateticam*, de iis ultimo loco sententiam feremus. Stoici quidem disciplinâ Morali, quàm Physicâ, celebriores erant, hanc autem non prorsus neglectui habuerunt, & in eâdem recolendâ, totaque philosophiâ Stoicâ, non exiguam operam collocavit Justus Lipsius.

Inter Physica dogmata Stoicorum notissimum est illud de *mundi conflagratione*; quid ver òde *Mundi ortu* senserint, in quo res nostra agitur, non adeò clarum est. Voluerunt quidem Deum esse rerum omnium opificem; Quem ideò Λόγον δημιυργὸν & τεχνικὸν appellitabant; oraculis sacris cognatam dictionem, neque minùs frequentem apud Platonicos Stoicosque Philosophos; Patribusque Græcis, qui ex utroque fonte hauriebant, familiarem. Dein huic principio actuoso & opifici subjecerunt *Materiam*, purè passivam, ut dicunt, & inertem: sine vi, sine motu, aut actione quâcunque; sed quæ ab actione divinâ,

divinâ, Mentis aut λόγυ, moveri, agitari, & in omnes formas deduci poterat. Hæc quidem rectissimè à Stoicis, & juxta antiquam doctrinam Ionicam, ut nihil dicam majus. Sed in explicandâ hâc materiâ, mundoque condendo, distinguunt inter *Elementa* & *Principia:* atque hæc pro ingenitis & incorporeis habent. Διαφέρειν δ' φασὶν ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα· τὰς μὲν γὰρ εἶναι ἀγενήτους, ἀφθάρτους· τὰ δὲ στοιχεῖα κατὰ ἐκπύρωσιν φθείρεσθαι. Ut Laertius in *Zenone. Principia & Elementa inter se differre aiunt; illa enim & nunquam orta esse, & nunquam interitura, Elementa autem in Mundi exustione peritura esse.* Dein subjungit aliam differentiam, Ἀλλὰ καὶ ἀσωμάτους, ita enim lego juxta Suidam, εἶναι τὰς ἀρχὰς καὶ ἀμόρφους· τὰ δὲ μεμορφῶσθαι. *Præterea principia incorporea esse & formarum expertia, Elementa autem formam habere.* Voce ἀρχὴ

Quid per has ἀρχὰς, hæc *initia* aut *principia*, Stoici intellexerint, non facile est definire. Alii quidem præter Stoicos distinxerunt *Elementa* & *principia*, sed ratione simplicitatis tantùm; quod de Platonicis, & Aristotelicis, addere etiam potuit, Epicureis, contra Thaletem notavit *Plutarchus*, Οἱ μὲν οὖν περὶ Ἀριστοτέλην καὶ Πλάτωνα διαφέρειν ἡγοῦνται ἀρχὴν καὶ στοιχεῖα. Θαλῆς δὲ ὁ Μιλήσιος ταὐτὸν νομίζει ἀρχὴν καὶ στοιχεῖα. Πλεῖστον δ' ὅσον διαφέρει ἀλλήλων· τὰ μὲν γὰρ στοιχεῖα δεῖ σύνθετα, τὰς δὲ ἀρχὰς φαμὲν εἶναι ἔτε συνθέτους, ἔτε ἀποτελέσματα. *De Plac. Phil. l. 1. c. 2.* Principia nec *composita* esse, instar elementorum, nec *completè effecta*. At Stoici non formâ aut gradu, sed toto genere differre voluerunt, cum hæc *principia* incorporea & immortalia dixerint, ac si intellexissent *Numeros* aut *proportiones*, ut Pythagorici; vel Ideas, aut λόγους σπερματικούς. Neque enim ullam substantiam penitus incorpoream esse crediderunt Stoici; quod pluribus

*Physiol. Stoi. l. 2. c. 45.* monstravit Lipsius: Sed illis vocibus σώματα & ἀσώματον usi sunt quandoque nimis indistincte.

Quare, si non placent illa principia Pythagorica aut Platonica, ac dictas voces laxiùs interpretemur, ipsam ὕλην, nudam & simplicem, ἀμορφον καὶ ἄποιον: Quatenus elementis opponitur & corporibus perfectis, ἀσώματον dixisse Stoicos, non improbabile erit, neque aliud per τὰς ἀρχὰς intellexisse. Hoc utique respondet iis quæ postea habet Laertius ex Zenone & *Chrysippo*, ubi ὕλην & σῶμα distinguit, atque illam eandem facit cum οὐσίᾳ, rerumque omnium fundamentum: οὐσίαν δέ φασι τῶν ὄντων ἁπάντων τὴν πρώτην ὕλην· ὕλη δ' ἐστὶν ἐξ ἧς ὁτιδηποτοῦν γίνεται· καλεῖται δ' διχῶς, οὐσία τε καὶ ὕλη· σῶμα δ' ἐστὶ κατ' αὐτὸ ἡ οὐσία καὶ πεπερασμένη. *Corpus secundum eos est substantia definita & terminata:* quale non est materia prima, ideoque ἀσώματον dicta.

Denique, quod has ἀρχὰς & hanc ὕλην, ἀγεννήτους καὶ ἀφθάρτους dixerint, nihil miror; Fatendum est enim, statuisse ex antiquis plurimos, *Materiam* simplicem, informem & immotam, ab æterno extitisse, æternúmque extituram. Sed Mundum ortum esse & corruptibilem, vel ut alii distinguunt, Mundum *inconditum* æternum esse aiunt, *conditum* verò ex neutrâ parte æternum. Ita *Didymus* apud Eusebium hunc duplicem mundum distinguit, signatque his verbis, Τὸ ἐκ πάσης τῆς οὐσίας ποῖον, καὶ τὸ τῆς διακόσμησιν τοιαύτην καὶ διάταξιν ἔχον, διὸ κατὰ μὲν τὴν πρώτερον ἀπόδοσιν, ἀΐδιον τὸν κόσμον εἶναι φασι· κατὰ δὲ τὴν διακόσμησιν, γεννητὸν καὶ μεταβλητόν. Ubi pro voce ποῖον legendum esse videtur ἄποιον, est enim materia ἄποιος, vel substantia ἄποιος quæ est æterna. Verba itaque sic redduntur, Mundus est, vel *rerum omnium simplex massa*, seu ex omni substantiâ massâ.

*Præp. Evan. l. 15. c. 15.*

massa qualitatum expers, *vel illud quod ornatum & ordinationem jam talem habet; ideò, priore significatione, mundum æternum dicunt: posteriore, natum & mutabilem.* A mente scilicet superveniente æternæ moli, indito motu, in varias rerum formas simplex illa massa deducta est. In eâ fuisse sententiâ mihi videntur Ionici, Pythagorici, Platonici, Stoici; cæterique omnes qui non deterius aliquid, & à ratione magis alienum statuebant, ut Epicurei & Peripatetici; nam materiam, è nihilo productam, tùm primùm extitisse cùm Tellus condita fuit: aliquot nempe retrò millenniis: videtur esse dogma gentibus & philosophis prorsus ignotum, & inopinabile. Sed redeamus ad Stoicos.

Positis his quibuscunque rerum principiis, è corporibus ignem primò factum esse supponunt, & ex igne cætera Elementa, utì ex elementis omne genûs corpora mixta. Hoc ità retulit ex *Zenone* & *Chrysippo*, aliisque Laertius, γίνεσθαι δὲ τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρὸς ἡ οὐσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρότητα, εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτοῦ συστὰν ἀποτελεσθῇ γῆ· τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῇ, καὶ τοῦτ' ἐπιπλέον λεπτυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ· εἶτα κατὰ μίξιν ἐκ τούτων, φυτά τε, καὶ ζῶα, καὶ τὰ ἄλλα γένη. Ab igne incipiunt & ad eundem redeunt. Sed cùm Elementa se disponant, atque suas sedes capessant, ordine gravitatis, alias aliis superiores, Aqua propterea occuparet & circumiret totam Terram, ut Aer aquam: quî igitur emersit Terra, & aquis superior evasit? quomodo nudatum est solum, cessitque in orbem habitabilem? Hic labor, hoc opus est. Cùm verò Cosmologia Stoica eousque non pertingat, eam in hâc parte imperfectam, aut per authores qui supersunt non satis explicatam, relinquimus.

Quid

Quid de cœlis sensêre Stoici, sparsim nonnulla in antecedentibus præfati sumus. Solem esse πῦρ εἰλικρινὲς· Lunam γεωδεςέραν, atque cætera astra πυρινὰ; ex sententiâ *Zenonis* notavit Laertius. Prætereà, ibidem dicitur quoad motus Astrorum, τὰ μὲν ἀπλανῆ συμπεριφέρεσθαι τῷ ὅλῳ οὐρανῷ, τὰ δὲ πλανώμενα κατ' ἰδίας κινεῖσθαι κινήσεις. *Astra non errantia cum universo cœlo unà circumvolvi: errantia verò propriis motibus cieri.* Hæc non usquequaque vera sunt, sed Aristotelicis & Ptolomaicis veriora. De Fixis denique illud rectè statuerunt, *Non omnes esse in eâdem superficie*, sed alias aliis altiores. Ità intelligo *Stobæi* verba, Ξενοκράτης κατὰ μιᾶς ἐπιφανείας οἴεται κεῖσθαι τοὺς ἀςέρας· οἱ δὲ ἄλλοι ςοϊκοὶ πρὸ τῶν ἑτέρων ἑτέρους ἐν ὕψει καὶ βάθει.

*Ecl. Phys. c. de Stel. nat. &c.*

Denique quoad *periodos Mundanas*, *Fatumque* Stoicorum, hæc notiora sunt quàm quæ deceant repetitis sermonibus explicari. De periodis istis, vide, si libet, *Theor. Tell. l.* 4. *c.* 5. Et quoad fatum Stoicum, nihil aliud est, quàm rerum omnium immobilis & immutabilis ordo. Vel, ut idem pluribus enunciemus, est vicissitudo necessaria mundi creati & increati: unà cum ordine rerum omnium in mundo creato, tam Intellectualium quàm Corporalium: per omnia sæcula, omnes revolutiones, formas, & facies, donec regressus fiat ad statum Mundi Increati. Hoc est, secundum eos, donec omnia resolvantur in Deum. A Jove enim suo mundum ordiuntur, & in eundem, completo Temporis orbe, omnia refundunt. Ab hâc sententiâ non abludere videtur illud *Perictiones* (quisquis fuit ille, vel illa, philosophorum) de *consummatâ sapientiâ* dictum, apud Stobæum: ὅςις οὖν ἀναλῦσαι οἷος ἐςὶ πάντα γένη ὑπὸ μίαν καὶ τὰν αὐτὰν ἀρχὰν, καὶ πάλιν ἐκ ταύτας συνθεῖναι καὶ ἀριθμάσασθαι, οὗτος

*Serm. 1. p. 7.*

οὗτος δοκεῖ καὶ σοφώτατος εἶναι, καὶ ἀληθέστατος· ἔτι δὲ καὶ καλὰν σκοπιὰν ἀνευρηκέναι, ἐφ' ἃς δυνατὸς ἔσεῖται τόν τε θεὸν κατόψεσθαι, καὶ πάντα τὰ ἐν συστοιχείᾳ τε καὶ τάξει, τὰ ἐκείνῳ κατακεχωρισμένα. *Quisquis igitur resolvere potis est omnia genera ad unum idemque principium, iterumque ex eo singula componere & enumerare, Hic & sapientissimus & veri maxime compos videtur; Quin & pulchram speculam invenisse, in quâ poterit & Deum contemplari, & cætera omnia, in serie & ordine ab ipso sejuncta.* Sed de his satis.

Libros quàm plurimos scripsere Stoici, qui jam perierunt omnes. *Zenonis*, *Sphæri*, *Chrysippi* volumina enumerat Laertius, & Cleanthis καλλίστα βιβλία *præclaros libros*, ut appellat; inter quos erant tractatus, Περὶ τῆς Ζήνωνος φυσιολογίας· περὶ θεῶν· περὶ γιγάντων Ἀρχαιολογία. Ex quibus si extarent, spes esset eruendi, tam certiora, quàm præstantiora, circa physiologiam Stoicam, & circa rerum Origines. Citat præterea Laertius libros *Posidonii*, *Archedemi*, *Boethi*, *Antipatri*, *Apollodori*, & aliorum Stoicorum, quos nimius essem si recenserem. Pro his omnibus utinam saltem extaret publicè *Apollonius Tyrius*, qui ante natum Christum, scripsit historiam sectæ Stoicæ, (ut testatur, præter Laertium, Strabo) libro inscripto πίναξ τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων, quòd scriptum latere aiunt in nonnullis Bibliothecis ineditum. Cùm hæc secta, numerosa & scripturiens, cæteris diutiùs duraverit, & apud gentem Romanam in æstimatione fuerit, mirum est omnia ipsius monumenta Græca, quæ Physicam spectabant, excidisse. Hæc de Stoicis. L. 16.

CAP.

# CAP. XIII.

## *De Platonicis, Aristotelicis, & Epicureis.*

SUperſunt Platonici, Peripatetici, Epicurei; de quibus pauca tantùm ſummatim: cùm ſatis notum ſit, in re ferè qualibet, quid horum unuſquiſque ſtatuit. Diximus antea Platonicos & Pythagoricos parum fœliciter exercuiſſe phyſiologiam; quaſi alio ſydere nati eſſent, ad contemplandum rerum rationes à materiâ abſtractas magis idonei, quàm res ipſas corporales, earumque proprietates phyſicas. Hujus rei exemplum manifeſtum habemus in Timæo Platonis de ortu mundi, ubi ſingulis elementis figuras geometricas affingit, & componit locatque geometricè. Sed modum, ſi placet, quo philoſophatur, videamus.

Primò, numerum & diſpoſitionem Elementorum hoc modo demonſtrat; Cùm oporteat mundum eſſe viſibilem & tangibilem, nihil autem ſit viſibile ſine igne, nihil tangibile ſine Terrâ, corpore ſolido, hæc duo elementa imprimis erant neceſſaria; ut verò cohæreat mundus & quid unum ſit, opus eſſet ut hæc duo extrema per aliquod medium proportionale conjungerentur: *Solida* autem non uno, ſed duobus ſemper mediis inter ſe copulantur. Deus igitur Ignem inter & Terram, aërem aquamque diſpoſuit, tanquam proportionalia; ideóque ex quatuor elementis,

mentis, hoc modo disposítis, mundus necessariò conflatus est.

Dein cùm corpora solida resolvantur in plana, & plana iterùm, juxta Platonem, in Triangula, ideò elementa hæc ex triangulis composita esse voluit; Et pro ratione figuræ quam cuilibet elemento attribuit, ex his aut illis triangulis, pluribus aut paucioribus, contextum arguit. Ità Ignem ponit esse figuræ Pyramidalis, propter penetrationem, & compositum ex quatuor triangulis. Terram figuræ Cubicæ, propter soliditatem, ideóque genitam ex sex planis, quorum unumquodque constat quatuor triangulis. Aerem facit octoëdrum, productum ex octo superficiebus, quarum unaquæque in sex scalenos dispartitur. Denique Aquam facit Icosaëdram, ex viginti triangulis conditam, è scalenis itidem unoquoque compacto. Qualis hæc, quæso, Physiologia? quis instructior evadit in naturâ Ignis aut Terræ, Aquæ aut Aeris, ab hâc eorum genesi aut compositione? Et cùm Mundi Corpus hoc modo construxerat, *Animam* ei Mathematicam, ex numeris & proportionibus conflatam, inserit & associat.

Hanc *Animam Platonicam* multis explicuêre Platonis Interpretes, Chalcidius, Proclus, & quotquot in *Timæum* commentati sunt. Prætereà Plutarchus, tractatu singulari, fusè disseruit *De procreatione Animæ* secundum Platonem. Sed his lectis omnibus, nihil proficies; nisi quod id forsan magis persuasum habueris, operam prorsus lusisse quotquot sudârunt in hâc arenâ. Nihil aliud mihi videtur illa Ψυχογονία Platonica, quàm lusus ingenii: vel Regia magica in aëre constructa, cujus fundum frustra quærimus. Cui notus est iste *dialogus Timæi*, satis erit apponere, non meam, sed nuperi Philosophi, eâ de

re expostulationem. *Si Plato suam illam de Animæ naturâ, communibus verbus exposuisset sententiam: Ecquid putas grande, aut quod certò posset probare, dicere visus fuisset? Et fac jam illum in vivis esse: fac rogari ut sese clarè explicet: ut suum illum Chiasmum declaret? ut quid sit Idem, quid Diversum, quid tertia, ex dividuo individuoque, natura, exponat. Quî illæ Geometricæ Harmonicæque proportiones in Animâ agnoscantur, aperiat. O quàm aberit, ut propterea Animæ naturam nobis perspectam faciat: quæ & illiusmet auditores, quos inter fuit etiam acutissimus Aristoteles, latuit: & manet etiamnum incomperta. Sed nempe, quia suam sententiam miris implicuit ambagibus, idcirco obtinuit, id quod velle potuit, ut putà quod illam propterea miremur, suspiciamusque, & revereamur, tanquam insigne mysterium: opinemurque, nisi perfectè Animæ naturam noscamus, causam esse, quod non in mentem divini viri penetremus: nobisque imputemus, quod homunciones cùm simus, tantum consequi Heroëm non possimus; Et cùm nobis oculi Noctuæ, illi Aquilæ, fuerint, ad illud jubar caligemus, quod ipse clarè perspexerit.* Sed redeamus ad propositum.

Quoad Principia rerum secundum Platonem, duo affert Laërtius, *Deum & Materiam.* Δύω ὑπ' αὐτοῦ πάντων ἀπέφηνεν ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλλω, ὃν καὶ νοῦν προσαγορεύει καὶ αἴτιον· εἶτα τὴν ὕλην ἀχημάτιστον καὶ ἄποιον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα· ἀτάκτως δέ ποτε αὐτὴν κινουμένην, ὑπὸ τοῦ θεοῦ, φησιν, εἰς ἕνα τόπον συναχθῆναι, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγησαμένου. *Rerum omnium duo principia, Deum & Materiam, constituebat. Quem quidem, & Mentem, & causam, appellat. Materiam autem ex se figurarum expertem esse, atque infinitam: & ex eâ gigni omne quod concretum est. Hanc olim inordinatè motam, Deus unà collegit, ordinem confusioni præferens.* In vit. Plat.

*præferens.* His habes ſimillima in Timæo: Neque aliud utrobique proponitur, quàm primum *Chaos*, laxiori modo deſcriptum.

Sed duobus aliis principiis Platonicis, *Deo* & *Materiâ*, alii adjungunt tertium, non minùs Platonicum: nempe ἰδέαν ſive cauſam exemplarem. Ità *Chalcidius* in Timæum, *ſunt initia, Deus* & *Sylva* & *Exemplum.* Neque aliter Plutarchus: Socrati & Platoni ait, Τρεῖς ἔφη ἀρχάς, τὸν θεὸν, τὴν ὕλην, καὶ τὴν ἰδέαν· ἔστι δὲ ὁ θεὸς ὁ νοῦς, ὕλη δὲ τὸ ὑποκείμενον πρῶτον γενέσει καὶ φθορᾷ, ἰδέα δὲ οὐσία ἀσώματος, ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς φαντασίαις τοῦ θεοῦ. Atque hanc fuiſſe ſententiam Platonis apertè conſtat in Timæo, cum de Mundi Exemplari loquitur; apertiùs adhuc apud *Timæum Locrum*, in principio: τὰ δὲ σύμπαντα, ἰδέαν, ὕλαν, ἀϊδιηλόν τε, οἷον ἔκγονον τελέων, &c. Neque aliud voluiſſe Laertium veriſimile eſt, ut rectè notavit vir doctiſſimus. Sed in Laertio noſtro, non mutila tantùm, & confuſa, ſed & perverſa & diſtorta multa.

*De Plac. Ph. l. 1. c. 1.*

*Menag. ad loc.*

At nimìs vagamur extra terminos Phyſiologiæ, in quâ parùm claruit Platonis ingenium. Platonis inquam, quem, in Theologiâ & Diſciplinâ morali, meritò *Divinum* nuncùpamus. Utì *non omnis fert omnia tellus*, ita mentis noſtræ tantilla vis eſt, ut unam in multis præcellere, ſaltem in omnibus, non ſit ſortis humanæ. Sed præter res purè divinas, cum diù verſatus fuerit in Ægypto hic Philoſophus, retulit Archæologias non paucas: priſcæ ſapientiæ priſcique mundi veſtigia, in *Timæo*, *Politico*, *Phædone*, aliiſque diſſertationibus impreſſa. Hæc, inquam, ex Ægypto retulit, ut patet in Timæo: & ſecundum Jamblicum, ex ipſis *Hermetis* columnis deſumpſit. Has ἀρχαίας παραδόσεις, quæ non ſunt hujus loci, in progreſſu operis non negligenter inſeremus, & elu-

*De Myſt. Ægy. Sect. 1. c. 2.*

*l. 2. c. 5.* cidabimus. Intereà de Platone hæc breviter dicta sunto.

Quoad Scriptores Platonicos, non pauci supersunt: *Plotinus*, Platonicorum Coryphæus, *Porphyrius*, *Jamblicus*, *Proclus*, *Maximus Tyrius*, *Alcinous*, *Chalcidius*, *Apuleius*, aliique. Periit *Crantor*, antiquissimus Platonis interpres: *Taurus*, *Amelius*, & *Numenius*, cujus habes nonnulla apud Eusebium. Præterea, *Olympiodorus* & *Syrianus*, qui in *Alcibiadem* & *Rempublicam* scripserunt. Sed his recensendis aut examinandis non immoramur, cùm ipsius Platonis opera supersint; neque rivos rivulosve sequimur, cùm fontem adire licet. Hæc de Platone.

*Peripat. & Epicur.* Ad fæces philosophiæ jam ventum est: ad Epicuream nempe & Aristotelicam. A temporibus Platonis ad initium currentis sæculi, totum illud intervallum ἀφιλόσοφον mihi habetur; cùm neque priscam retinuerit sapientiam ætas illa intermedia, neque novam invenerit: nisi garrulam quandam, & sine fruge loquacem. In Platone desiit antiquitas philosophica: Sequiores illi Græcanica tantùm sapiunt, & nullius sunt numeri inter veteres: Quoad Aristotelem, ipsiusque Scholam, in eo argumento, quo versamur, nempe de rerum originibus, nihil habent sani aut solidi. Volunt mundum esse Æternum, tam quoad formam, quàm materiam. Neque tantùm cœlorum compagem, & Telluris molem, sempiternas fuisse: sed nos etiam miscellos homines, & animalcula quæque in suo genere, marem & fœminam, genuisse & genita esse, sine primogenito aut principio. Arbores præterea, & prata, & flores, & fruges, totamque Terræ supellectilem, nunquam non extitisse. Dogma non modo irreligiosum, sed tantum non ridiculum. Hoc tamen ille tanti fecit, ut hujus decreti,

tanquam

tanquam ſibi proprii, laudem aſciſcere voluit, atque omnibus antiquis præripere. Ait enim, de mundo loquens, γενόμενον μὲν οὖν ἅπαντες εἶναι φασὶν, ἀλλὰ γενόμενον οἱ μὲν ἀΐδιον, οἱ δὲ φθαρτόν. *Omnes antiqui factum eſſe dicunt mundum: ſed alii Immortalem factum, alii corruptibilem.* Ille autem, ut ſingulari notâ emineret, ne factum quidem eſſe voluit. *L. 1. de cœl. c. 10.*

Prætereà, non videtur ſibi convenire in ſuis placitis, de rerum ortu & primævo ſtatu, Ariſtoteles. Ait enim elementa ſuâ naturâ eſſe gravia & levia: & ſecundum hanc gravitatem & levitatem, ſuos habere ſitus & diſpoſitiones naturales: ut in hoc Schemate. Quæro igitur, unquamne fuerint Elementa in hoc ſitu, vel non? ſi nunquam fuiſſe dicas, quid impedivit? Quid obſtare potuit naturæ & motibus naturalibus Elementorum? Omnia fiunt ſecundum leges naturæ, niſi aliquid extranei & violenti interceſſerit. Si verò olim fuerunt in hoc ſitu nativo, Quid turbavit ordinem? quare non in eodem permansêre ad hodiernum diem: Stetitque Terra, aquis adhuc obruta, & inhabitabilis? Prætereà, ſi dixeris fuiſſe quidem primùm Elementa omnia in ſitu naturali, & poſtea mutâſſe ſitum, cauſis novis ſupervenientibus: diruis hypotheſin Ariſtotelis, qui mundum nunquam non habitabilem & habitatum eſſe aſſerit.



Repetamus, ſi placet, hoc argumentum, aliis verbis: quo eadem ſententia, non impia modò, ſed inepta & abſurda, demonſtretur. Supponamus, cùm Ariſtotele,

Ariſtotele, Solem & Terram fuiſſe ab æterno, ideóque coævos: Quæro, ſub quâ formâ erat Tellus coæva æterno Soli? Sub formâ Elementari, (ità enim appello formam illam ſimplicem, in ſchemate exhibitam, quâ ſingula elementa ſuas tenent regiones) vel ſub hodiernâ, terraqueâ & habitabili? Si prius dixerit, Terramque tranſiiſſe, actione Solis, vel aliarum cauſarum, è formâ Elementari in hodiernam, mundi ſublunaris exordium agnoſcit, propriamque deſtruit ſententiam. Sin poſterius, Quæ de elementorum naturâ, legibus, & locis, tradiderat, funditùs evertit: & ſeipſum denuò ſuâ manu interficit. His ſe difficultatibus irretitum ſenſiſſe videtur Ariſtoteles: Ubi, in *Meteoris*, de *ſitu Terræ & Aquæ*, & de *generatione maris*, verba facit. Nam leviſſimè tangit iſtam materiam, refugitque ſtatim, quaſi vivos carbones tetigiſſet. Sed de hâc re ſatis.

L. 2. c. 1. & 2.

Hæc de rerum ortu: De rerum naturâ quid ſenſit Ariſtoteles: & primùm de cœlis? Cœlos adamantinos eſſe voluit: atque Stellas, inſtar clavorum aureorum, in laquearibus Orbium defixas. Figmentum, quod Poëtam decet magis quàm Philoſophum. Dein omnes ſimul Orbes invicem catenatos, totumque Univerſum, quantum quantum, ſingulis viginti quatuor horis, raptu primi cujuſdam Mobilis, circumvolvi. Atque hunc circulum iterari quoquo die, in ſæcula ſæculorum. Ad hæc, Planetas ſimul ferri contrariis motibus: tam in Orientem, quàm Occidentem, eodem tempore. Denique materiam cœlorum ab omni ſublunari penitùs aliam eſſe ſtatuit: non gradu tantùm & qualitatibus, ſed toto genere, ut altera in alteram nec mutetur unquam, nec mutari poſſit.

Si infra Lunam deſcendamus, ſtatim incidimus in *Ignem Elementarem*: *Ignem* plus quàm *Fatuum*: cum

tam

tam luce, quàm calore careat. Ad mediam aeris regionem delapsi, *Galaxiam* & *Cometas* Aristotelicos reperiemus. Hæc enim pro meteoris habet bonus ille philosophus, plebeiis oculis naturæ phænomena contemplatus. Deniq; in ipsâ Terrâ, ne generalia quidem explicuit Aristoteles: Qualia sunt motus maris, Phænomena magnetica, Metallorum & Mineralium vires & compositiones. Et quoad corpora singularia, ad explicandum eorum actiones & virtutes, abdicato motu locali, verisque materiæ & ipsius partium differentiis, *Formas*, nescio quas, *substantiales*: & *Qualitates specificas*, introduxit. Verba inania: quæ non magis valent in rebus naturalibus, quàm quæ rejecerat antea, Pythagoricorum *Numeri* & *Harmoniæ*. Ac utì agunt in se invicem corpora per has formas & qualitates, ità in sensus nostros agunt, si Diis placet, per *species intentionales*; fucata ignorantiæ suæ asyla.

Hæc cum ità sint, atque talis fuerit Philosophia Aristotelis, satis admirari non possumus Orbis Christiani stuporem: qui, per tot sæcula, hanc disciplinam unicè amplexus est: laudibus ad cœlum extulit, omnibusque Scholis & Academiis publicè docendam & prælegendam commendavit: Imò sancivit authoritate, & in dissentientes ab Aristotele, aut novam molientes Philosophiam, tanquam in Hæreticos & religionis Christianæ hostes, grassabatur. Hinc tardi scientiarum progressus: & à tot sæculis, quibus invaluit hæc philosophia, nulla inventa, nulla commoda attulit humanæ vitæ. Quot volumina Commentariorum, magna & inutilia? Quot præclara ingenia, hoc servile jugum ferre coacta, in colendo solo infrugifero frustrà laborârunt. Sterilescebat orbis Christianus, quasi arenâ conspersus, ubicunque hæc philosophia disseminata fuit.

Erro-

Errorum *Aristotelis* brevis conspectus.

Mundum Æternum esse statuit, ex utrâque parte: Ingenitum & incorruptibilem.

Cœlos solidos, & eodem tempore in contrarias partes actos.

Materiam Cœlorum esse divinam, Quintessentialem, & immutabilem.

Fixas esse densiores partes suorum orbium: & Planetas lucidos suâ naturâ.

Lucem non esse corpus, aut qualemcunque motum corporum.

Sub concavo Lunæ latere Ignem Elementarem.

Galaxiam esse Meteorum: & Cometas itidem, ultra mediam aëris regionem non evectos.

Terram hærere immobilem in centro Universi.

Sursum & deorsum in naturâ fundari, secundùm rationes immutabiles.

Formas rerum animatarum esse substantiales: Et qualitates sive affectiones corporum ab eorum modis prorsus distingui.

Sensationem fieri per species intentionales. Rarefactionem & condensationem per incrementum & decrementum extensionis in materiâ.

Providentiam infra Lunam non descendere.

Animam esse ἐντελέχειαν, (vocem barbaram & ambiguam) & immortalitatis dubiæ.

Genium hominis si quæras, videtur lividus & μικρόψυχος: in veteres philosophos plerumque iniquus: quos in magnis præterit, in minutis refellit. Vale Stagirita, semper mihi eris *malus Astronomus, Theologus pejor, Physiologus pessimus.*

Sequitur

Sequitur *Epicurus* cum ſuo grege, Vir parùm eruditus, ſed ingenio non vulgari: ità tamen ſenſibus addicto, ut exinde, ſupremam veritatis normam & indicem ſemper deſumendam eſſe putaverit. Gaudeat ille ſuis ſenſibus omniſcientibus: ſuo Sole ſeſquipedali: ſuâ Terrâ, non pendulâ, ſed radicatâ deorſum in infinitum: Recurrente ſole, qualibet nocte, per terrarum latera ad carceres Orientales. Hæc ſi philoſophum decent, qualia ſunt illa quæ decent vulgus & idiotas? ſuam illis ſcientiam, ſuas voluptates, utraſque ſenſibiles, non invideo: Digni, qui cum corporibus vivant pereantque, Animi.

De hujus viri philoſophiâ nihil habeo commemoratione dignum. Democriti & Leucippi dogmata corrupit potiùs quàm emendavit: Antiquo-barbara & vetuſtiſſima ignoravit, nobis inveniendis impar. Philoſophatur laxè & per rationes fluctuantes, quæ non conſtringunt animum, neque ad aſſenſum impellunt, niſi, ſuâ ſponte, in partes indolemque Epicuri, propendeat. Quoad mundi ortum, quod proximè accedit ad argumentum noſtrum, eâ in re ſe peſſimè expedivit Epicurus; nam præterquam quod Atomorum illi motus, quos introduxit, tam *deſcenſûs* quàm *declinationis*, ſunt fictitii, cum his figmentis rem ſuam necdum conficere potuit. Cum enim, in formandâ Tellure, præteriiſſet membranam illam Leucippi (cujus ſupra meminimus) orbemque primigenium levem & æquabilem, & ad hodiernam Terræ formam protinus aptare voluerit ſuam Coſmogoniam, planè excidit propoſito, atque fruſtra fuit; cùm neque maris, neque montium, neque cavitatum Terræ, aut cæterarum, quas in ipſius formâ conſpicimus, inæqualitatum, cauſas reddere poterat, aut veriſimiles aut tolerabiles. Quare huic ſuæ do-

ctrinæ, de mundi origine, discutiendæ, non esset operæ pretium plus temporis impendere; cætera autem Epicuri sunt notissima, &, in iis excolendis, Laertius olim, & nuper *P. Gassendus*, satis superque laborârunt: ad quos Lectorem φιλεπίκυρον remitto. Denique quoad Libros Epicuri, erat enim πολυγραφώτατος, catalogum habes apud Laertium; sed è trecentis, quæ scripsisse dicitur, voluminibus, nullum hodiè integrum supereſt.

HÆC de Sectis Græcorum Philosophorum, & de Philosophis ante-sectariis & Mythicis, dicta sunto. Quæ paucis perstrinximus, pro ratione argumenti nostri. De his sectis Græcorum permulti authores scripserunt, nobis hodiè deperditi: quales fuere *Eratosthenes*, *Panetius Stoicus*, *Clitomachus*, *Apollodorus Athenienſis*, & incertæ ætatis *Hippobotus* & *Theodorus*, à Laertio citati. De quibus sigillatim videre licet diligentissimum hac in re scriptorem *Joh. Jonsium*. Prætereà, qui de *vitis* & *dogmatis Philosophorum* generatim scripserant, innumeri exciderunt: Quales fuere inter antiquos *Chrysippus* Stoicos, περὶ τῶν ἀρχαίων φυσιολόγων. *Apollodorus Ephillus*, Stoicus etiam, qui εἰσαγωγὰς εἰς τὰ δόγματα scripsit. Dein *Porphyrius* scripsit Ἡ φιλόσοφον ἱστορίαν· & *Damascius* similem & sub eodem titulo. Scripsit prætereà Hierocles φιλοσοφούμενα παρὰ τῶν φιλοσόφων. His adjungere licet incertioris ætatis scriptores de *vitis Philosophorum*, utì *Aëtium*, (nisi forsan idem sit cum

*Suid. in voc.*

*Hist. Phil.*

cum authore τῆ φιλοσόφυ ἱστορίας, quæ Galeno datur.) *Aristoclem* peripateticum, *Celsum* quendam: qui, referente Augustino, *opiniones omnium philosophorum qui sectas varias condiderunt, usque ad sua tempora, sex non parvis voluminibus absolvit.* *Præfat. lib. de Hæres.* *Dioclem* præterea, à Laertio sæpiùs citatum: *Lætum* etiam Tatiani τὸς βίυς τῶν φιλοσόφων ἐπ' ἀκριβὲς πραγματευσάμυνον. *Cont. Græc.* Præter alios minoris notæ, de quibus singulis supra laudatum authorem, & commentatores Laërtii consulere licet.

Denique, cùm ex antiquis philosophis multi, iique maximè, qui ex Oriente sua dogmata petiverant, duplicem habuerint doctrinam, δημώδη καὶ ἀπόῤῥητον, *popularem & arcanam:* qui hanc secretiorem & sanctiorem tractârunt, uti pluris sunt æstimandi, ità seorsim recenseri merentur. Scripsit autem *Pythagoras Zacynthius* τὰ ἀπόῤῥητα τῆς φιλοσοφίας, referente Laertio. Et *Porphyrius* exposuit τῶν φιλοσόφων τὰ ἀπόῤῥητα, teste Eunapio in ejus vitâ. *Numenius* etiam scripsit, τὰ παρὰ Πλάτωνα ἀπόῤῥητα· ut testatur *Eusebius*, adducto ipsius fragmento. *L. 8. de Pyth. Præp. Ev. l. 13. c. 4, 5.* Neque de hoc argumento desideratissimo plures mihi hactenùs occurrerunt: quòd iis religio esset, in publicum spargere sua mysteria: aut sacra, aut philosophica.

Ultimo loco, antiquos *Polyhistoras*, qui cum suis historiis gentium archæologias & prisca dogmata tradiderunt, intercidisse querimur. In hoc genere non pauca scripsit *Theopompus*, ut ex ipsius fragmentis aut excerptis judicare licet. Tale est illud de *Zoroastris doctrinâ* apud Plutarchum, ex Theopompo. Et Midæ & Sileni historia, apud *Ælianum*, ex eodem. Præter corpus Historiarum, scripsit Theopompus *Epistolarum* volumen, quas ἀρχαικὰς appellavit: eâ forsan ratione, quod de rebus antiquis tractârint. *De Is. & Osir.* *Var. hist. l. 3. c. 18.*

Neque multum id moror, quod Strabo, in censuris paulò liberior, Theopompum incredibilia narrare dicat. Id enim accidit quandoque, ob materiam non vulgarem, aut propter Lectoris imperitiam. Theopompus ab *Athenæo* dicitur φιλαλήθης: virtus prima Historici. Et à *Dion. Halicarnassæo*, inter authores optimos, & quos imitemur dignissimos, numeratur. Audi utriusque verba. Ità *Athenæus*, μαθέτω καὶ παρὰ Θεοπόμπου τοῦ Χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους, καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν περὶ τὴν ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ. Dein Halicarnasseus, in Epistola ad Pompeium, cum *Herodotum*, *Thucydidem*, *Zenophontem*, *Philistum* & *Theopompum*, nominârat, subdit, τούτους δὲ ἐκεῖνον τοὺς ἀνδρὰς εἰς μίμησιν ὑπιτηδειοτάτους. Et postea in eâdem Epistolâ laudes ipsius magis magísque exaggerat. Denique ob dicendi libertatem & in res absconditas diligentem inquisitionem, eundem alibi magnoperè laudat. Ἀρχαίων ἔξεσ. Hæc obiter in vindicias Theopompi Polyhistoris. *Phavorinus de omnifariâ historiâ*, sive περὶ παντοδαπῆς ὕλης ἱστορικῆς, desideratur inter Polyhistoras: eo enim sæpe sæpiùs usus est Laertius in Philosophorum vitis & dogmatis explicandis. Item *Alexander* dictus *Polyhistor* excidit: Et *Diodori Siculi*, in rebus antiquis singularis eruditionis & diligentiæ viri, è quadraginta libris quindecim tantùm supersunt. Denique, apud Romanos, *M. Terentius Varro*, vir multifariàm doctus, rerum humanarum & divinarum antiquitates scripsit; Hunc laudat sequiturque Dion. Halicarnassees, & in *Archæologicis*, & in *Theologicis*. Veterum utique *Theologiam Physicam* explicavit Varro, & tractatus *de viris doctis*, alioſque quàm plurimos, adornavit. E quibus, si extarent, Antiquorum placita & literaturam investigantibus, spes esset

L. 3. c. 8. *Vid. Casaub. in loc.*

p. 128.

p. 131.

p. 70.

eſſet non parum lucis affulſurum. Sed pluribus ſuperſedeo.

Quemadmodùm in ſingulis Gentibus, & Sectis, authores proprios qui deſiderantur, in hujus operis decurſu, indicavimus: ità, coronidis loco, hos ſcriptores generales & miſcellaneos de re philoſophicâ, viſum eſt paucis ſuperaddere: quo minus miremur, rerum antiquarum notitias, unà cum ſuis cuſtodibus, in eodem naufragio, magnam partem, periiſſe. Neque id mihi quiſpiam vitio vertat, quod ex Antiquorum ſterquiliniis aliquas gemmas collegerim, relictis ſordibus: id enim æqui animi & conſilii eſſe videtur; cùm ipſa temporis diuturnitas, per impuros canales decurrens, fæces & ſordes auxerit, & ad imum detruſerit. Prætereà cùm hoc opus qualecunque, ad purgandam veterem Philoſophiam, inſtitutum fuerit: ſatis eſſet, optima quæque ſeligere & conſervare, cæteris in oblivionem datis: ut, quem majoribus debemus, ſalvo honore, ex eorum rectè dictis & inventis, quantum licet, proficiamus.

Atque ità tandem Gentes literatas, per terrarum orbem, & præcipuas Philoſophorum Sectas, perluſtravimus. Memorantur prætereà quædam magna nomina, Sapientum aut Myſtarum, hìc illìc ſparſa; Sed de quibus, præter nomina, nihil magni reperio. Hujuſmodi ſunt *Atlantii* vel *Atlantici*, in Libyâ: *Idæi Dactyli*, vel Corybantes, in Phrygiâ: *Cabirorum* Myſtæ, in Samothraciâ: *Telchines*, & poſteà *Heliadæ*, in Rhodo, ſecundum Diodorum. Denique, *Hyperborei*, & Apollinis ſacerdotes, in extremitate Terræ. Apud horum ſingulos, aiunt nonnulli, reconditam ſapientiam.

ſapientiam & arcana maxima olim latuiſſe. Sed latent adhuc, neque ullibi occurrunt diligentiùs indagantibus. Qui verò crepant myſteria, & nulla monſtrant, gaudent ſibi, non proſunt aliis: & ſiquid habent veræ ſcientiæ, id nobis inter deperdita numerandum eſt. Nos verò apertè & in propatulo, ex ſcriptis monumentis, agimus: & ex ſingularum gentium theſauris, qui ſuperſunt, Literariis, quaſi communi cenſu aut Symbolo, aliquid, ad incrementum Scientiæ, colligimus. Neque in hâc brevi rerum & temporum recenſione, nos, ullum populum Sectamve, veteres, & philoſophiâ celebres, tacuiſſe aut prætermiſiſſe arbitramur.

---

# CAP. XIV.

## *De origine Philoſophiæ Barbaricæ.*

HÆC de Philoſophiâ veterum, tam Græcâ, quàm Barbaricâ, ſummatim diximus; & de eâ parte potiſſimùm, quæ Mundi noſtri ortum & occaſum reſpicit. In origines utriuſque philoſophiæ à multis inquiritur, nec immeritò: eſt enim dignus vindice nodus. De Græcanicâ, minor quidem lis eſt aut quæſtio: cùm partim eam ab exteris derivatam eſſe, partim ab ipſis Græcis inventam, auctamve, multa veterum teſtimonia, multæque rationes, fidem faciant. Prout ſupra vidimus, *capite nono.* Unde verò Ægyptii, Æthiopes, Chaldæi, Phœnices, Arabes, Indi, aliique Orientales, ſuam hauſerint Philoſophiam, atque ſua dogmata antiquiſſima, non adeò facile eſt explicatu. Duæ ſunt opiniones, maximè communes, de

de Philoſophiæ Barbaricæ origine. Nonnulli ſtatuunt ab ipſis illis gentibus, ſuopte ingenio, inventam fuiſſe: alii ab Hebræis deductam & derivatam ad ceteras gentes: à Moſe ſcilicet, aut Abrahamo: omnium ſcientiarum, ut volunt, principibus. Ægriùs aſſentior harum alterutri opinionum. Quoad primam, quis tantum ingenii acumen, & rationis vim, & diſſerendi facultatem & exercitationem, in priſcis illis viris mihi commonſtrare poterit? quæ naturæ examina, & obſervationes, & experimenta, poſteris prodiderunt? Cedo mihi aliquot exempla & ſpecimina, in Ægyptiis, in Chaldæis, in Bracmanis, cæteriſque, hujus præclaræ & inventricis indolis: ut ſua vi, atque ſuis ratiociniis, tantarum ſibi rerum comparâſſe ſcientiam, non temerè credamus. Sua dogmata tradunt plerumque nudè & ſimpliciter, nullâ præeunte diſſertatione, nullis munita rationibus: ab ipſo nutu & authoritate docentis recipienda. Vel ſi fortè rationes afferant, ſunt vagæ & inſtabiles: quæ plus minùs valent, ad Lectoris affectum & arbitrium. Mundi futura CONFLAGRATIO, eſt dogma perantiquum: à gentibus ad Græcos deductum; ſed neque ab his aut illis probatum legimus, nec tam diræ ſententiæ cauſas aut modos expoſuerunt. Quod ſi argumentis à naturâ rerum petitis, & ratiocinativo, ut aiunt, orationis genere, in hujus rei notitiam perveniſſent, iiſdem uſi eſſent ad perſuadendum aut revincendum alios, quos eâdem doctrinâ imbuê e. Sed nudè accepta, nudè retulerunt: ut ſolent transferri παραδόσεις παραδόσεις. Præterea, veterum dogma celeberrimum, circa *periodos mundanas*, viciſſitudines, & renovationes rerum, nullis demonſtrationibus nititur, ſed authoritate repetitâ & irrefragabili. Atque, ut alterius generis exemplum afferam, doctrina μετεμψυχώσεως

χώσεως, ſive de *præexiſtentiâ & revolutione Animarum*: pervetuſta & univerſalis, ſiquæ alia: cùm non tantùm per Orientem ubique, ſed etiam in Occidente, ut apud Druidas & *Pythagoreos*, obtinuerit. Hæc, inquam, doctrina, quaſi cœlo demiſſa, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, totum terrarum orbem pervagata eſt: necdum probare poſſumus, rationibus Phyſicis, Animas præexiſtere corporibus, aut in eadem ſæpiùs reverti. Denique, ut plura non addam, Antiquorum κοσμογονίαι, ſive doctrina de ortu mundi ex *Chao*, priſca licet & latè diffuſa, nunquam expoſita & probata fuit philoſophicè, & per rationes juſtas. Rerum procreationem alii explicuerunt μυθικῶς, ſub nomine & genealogiis Deorum: alii ἠθικῶς, per *Amorem* & *Inimicitiam*: alii quidem φυσικῶς, per rationes Levium & Gravium, ſed laxas, vagas, & inexpletas: quibus conſummare opus, atque ſuum Chaos, à carceribus ad metam, à confusâ mole in formam orbis habitabilis, perducere nunquam poterant.

Plura exempla non referam. Qui enim in literaturâ & lectione veterum, vel mediocriter verſati ſunt, ſatis nôrunt, moris non fuiſſe priſcis illis ſapientibus, *Theorias* condere, neque dogmata ſua per Cauſas aut Effecta demonſtrare, ut ſolent hodierni Philoſophi. Minus operoſa fuit primorum hominum Philoſophia, cùm nondum inſtructi eſſent tanto rerum apparatu ad obſervationes inſtituendas, vel in cœlis, vel in terris, vel in mari: vel circa aërem, aut aquam, aut circa ea quæ fiunt, ignis vi, in alia corpora. Utì mores hominum, & vita humana, ita cognitio pariter, in primis ſæculis, ſimplicior erat, & paucis contenta. Rectè notat Clemens Alexandrinus, Philoſophiam antiquo-barbaram fuiſſe facilem brevemque, per quæſita & reſponſa: non argumentativam & contentioſam,

ſam, ut erat poſtea Græca. Ἀλλ' οὐδὲ οἱ παλαίτατοι τῶν φιλοσόφων ἐπὶ τὸ ἀμφισβητεῖν καὶ ἀπορεῖν ἐφέροντο. ------οἱ μὲν γὰρ νεώτεροι τῶν παρ' Ἕλλησι φιλοσόφων, ὑπὸ φιλοτιμίας κενῆς τε καὶ ἀτελοῦς, ἐλεγκτικῶς ἅμα καὶ ἐριστικῶς, εἰς τὴν ἄχρηστον ἐξάγονται φλυαρίαν· ἔμπαλιν δὲ ἡ βάρβαρος φιλοσοφία τὴν πᾶσαν ἔριν ἐκβάλλουσα, Ζητεῖτε, εἶπεν, καὶ εὑρήσετε, κρούετε καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν, &c. *Sed neque antiquiſſimi Philoſophi ad contendendum ferebantur & ad dubitandum. Recentiores autem Græcorum Philoſophi, inani irritâque laudis cupiditate commoti, argutando & contendendo, ad nugacitatem deducuntur inutilem. Contrà autem barbara Philoſophia, omnem expellens contentionem: Quærite, inquit, & invenietis, pulſate & aperietur, petite & dabitur vobis*, &c. Nempe per breves interrogationes & reſponſiones rem ſuam expedit. Non erat artificioſa, & ἐπιστημονικῶς compoſita, εἰς κύκλους καὶ συστήματα: quod à Græcis poſtea factum eſt.

Strom. 8. princ.

Hinc ſatis conſtare videtur, Priſcorum Philoſophiam fuiſſe traducem ſive traditivam; Sed à quâ demùm origine, quæres? Ab Hebræis inquiunt nonnulli: atque *Moſi* aut *Abrahamo* acceptam referunt omnem ſapientiam antiquo barbaram. Quoad Moſem, conſtat ex ſacris literis eum fuiſſe poſteriorem ſapientiâ Ægyptiacâ; Et Diſcipulum potiùs quàm Doctorem iſtius gentis literatæ; dicitur enim inſtructus & inſtitutus à pueritiâ in ſapientiâ Ægyptiorum. Verba Sancti Stephani hæc ſunt, Ἀνείλατο αὐτὸν ἡ θυγάτηρ Φαραὼ, καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱόν. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων. *Expoſitum autem illum ſuſtulit filia Pharaonis, & enutrivit eum ſibi in filium. Et eruditus vel inſtitutus fuit Moſes in omni ſapientiâ Ægyptiorum.* Hæc igitur ſapientia non nata eſt primùm cum Moſe: natales ipſius præceſſit, ab altiori origine repetenda.

Similiter quoad sapientiam *Arabicam*, Jobus, Arabs πολυκλεὴς καὶ πολυμαθὴς: in cujus historiâ multa occurrunt antiquæ sapientiæ vestigia, antiquior habetur Mose. Idque multis patet indiciis, primò, quod nullibi meminerit rerum à Mose gestarum: sive in Ægypto, sive in exitu, sive in deserto: licet multus frequensque sit in celebrandâ Dei magnitudine; neque magis earum meminerunt ipsius Amici, in recolendâ Dei justitiâ & potentiâ; Cùm tamen nulla fuerit historia, post Diluvium, unde supremi Numinis, justi & potentis, gloria, aptiùs illustrari potuisset, quam ab illâ Ægyptiacâ. Secundò, quod, cùm vir pius & veri Numinis cultor fuerit, Legi Mosaicæ contraiverit, in sacrificiis faciendis. Sacerdotis officio ipse functus est, jure quodam naturali & primitivo, quo Pater-familias Rex erat & Sacerdos apud suos; ad exemplum Noachi, Abrahami, Jethronis Midianitæ, & aliorum, qui, ante Legem latam à Mose, sacra faciebant. Tertio, Ex ætatis & vitæ suæ mensurâ, in tertio, plus minus, à Diluvio sæculo, collocandus esse videtur. Vixit enim ultra ducentos annos. Adhæc, in historiâ Jobi, summam quandam vetustatem redolent omnia. Cum de idololatriâ loquitur, memorat primum ipsius genus, Solis & Lunæ adorationem. Cum de conscribendis suis malis & miseriis verba facit, vetustissimum scriptionis genus, sculpturam scilicet, indicat. Ex re pecuariâ numerantur ipsius opes, & ex liberorum multitudine, fœlicitas. Præterea, in enarrandis Dei operibus, quod sæpiùs fit in hoc scripto, Mundi molitionem & Diluvium celebrat author, recentiora nulla. Neque Sabbathi, neque ullius Legis factitiæ meminit: in moribus & pietate *præcepta Noachidarum* secutus. Denique, post formatam Rempublicam Judaicam, secretamque

*Cap.* 31. 26, 27. *Cap.* 19. 24.

tamque à cæteris gentibus, per instituta propria & Legem à Deo datam: non facilè credo, hanc sanctam gentem, ejusdem temporis & sæculi aliegenam, vel hominem Gentilem, in exemplum pietatis proposituram, aut ipsius acta & historiam in sacros eorum codices relaturam. His omnibus adducor ut credam, Mosi Jobum tempore anteisse.

Quoad Æthiopas, præcelsêre literis Ægyptios, secundum *Diodorum:* & secundum *Lucianum*, in rerum cœlestium cognitione. Prout anteà notatum. Quantum ad Phœnices, Sanchoniathonis ætas incerta est: sed ante tempora Cadmi floruisse literas in Phœniciâ, non dubitatur. Denique, quoad Babylonios, Assyrios, Chaldæos, eorum observationes cœlestes, ipsumque Imperium, multò altiùs natalibus Mosis ascendunt. Et, si forte non erraverit Justinus, apud Bactrianos erant *Magi*, tempore *Nini, qui mundi principia, syderumque motus, diligentissimè spectabant.* *Cap. 2.* *L. 1.*

Harum rerum, ut videtur, conscius, Flavius *Josephus:* nempe Ægyptios, Arabes, aliasque gentes sapientiâ celebres, ætatem Mosis præiisse: maluit ad Abrahamum referre originem omnis sapientiæ antiquo-barbaræ, & præsertim Ægyptiacæ. Sed quo, quæso, prætextu? quibus ductus argumentis hoc asserit? Hoccine in historiâ sacrâ traditum est? Hoccine in exoticâ legimus? Et si ratione agas, quantulùm fuit in Ægypto Abrahamus: quî potuit, infra biennium, peregrinus homo, sermonis alieni, gentem instruere scientiis, ut volunt, naturalibus & Mathematicis, earum antea ignaram & inassuetam? Quamobrem propriam gentem non priùs instruxit & edocuit has artes: filium suum & nepotes? Neque scientiâ naturali, neq; Mathematicâ, celebres fuere Hebræi: & à se tamen edoctos esse volunt Ægyptios, qui, in his disciplinis, sa- *Antiq. l. 1. c. 8, 9.*

cilè cæteras omnes gentes olim superâsse perhibentur. Hæc non tantùm gratis dicuntur à *Josepho*, sed etiam contra omnem veri speciem aut similitudinem. Quare, missis his præjudiciis Judæorum, qui sibi deberi volunt, & à se derivari, quicquid est, inter homines, divini aut eximii: depositis, dico, his præjudiciis, ascendamus altiùs in quærendâ origine Philosophiæ Barbaricæ: altiùs, inquam, Mose aut Abrahamo: ad Diluvium usque, & communem Gentium & Judæorum Patrem, *Noachum*. Virum magnum, veri numinis cultorem, & utriusque mundi scientem. Quid ni credamus, ab hoc fonte, ab hoc viro originario, descendisse ad suos posteros, ad homines nempe postdiluvianos, ea Theologiæ & Philosophiæ capita, quæ apud gentes antiquo-barbaras reperiuntur? Suis liberis & nepotibus fertur tradidisse Noachus *præcepta* moralia, quæ *PRÆCEPTA NOACHIDARUM* dici solent; Quid ni etiam *Dogmata*; quæ eodem jure *DOGMATA NOACHIDARUM* sunt appellanda? Quemadmodum dein illa præcepta non versabantur circa res minutas, aut momenti minoris officia: sed ea spectabant quæ ad vitam ritè instituendam erant maximè necessaria: Ita pariter hæc dogmata respiciunt summos ordines & momenta maxima Mundi Naturalis: unde incepit, quâ formâ & structurâ primùm coaluit: Quas vices, aut motus majores, aut jam subiit, aut olim subiturus est: an dissolvendus: an renovandus: Et quis extremus rerum exitus & meta ultima: In his generalibus, in his maximis, versata est, ni fallor, sapientia Primæva: sive illa ipsius pars quæ περὶ κόσμου καὶ περὶ φύσεως, instituebatur. Sunt enim aliæ partes plures, περὶ θεῶν, περὶ ψυχῆς, περὶ ᾅδου, περὶ εἱμαρμένης, cum reliquis, quæ non sunt præsentis instituti. Hæc & hujusmodi capita complexa est priscorum philosophia;

loſophia; Quæ, licet multis maculis conſperſa, aut ſordibus involuta, ad nos ſeros homines, ultimam ferè Noachidarum progeniem, poſt aliquot millennia, pervenerit: veritate tamen aliunde repertâ & exploratâ, has labes eluere non penitùs arduum eſt; & in his Antiquorum gemmis, vetuſtate licet decoloratis, vividas adhuc relucere ſcintillas, non ſine admiratione ſæpius adverti. Sed ad Noachum redeamus.

Æquum eſt credere, Patres Antediluvianos non fuiſſe ſtipites, inſulſos, & ſcientiarum expertes: Horum autem communis hæres erat Noachus, plurimis coætaneus, & cæterorum literaturæ, facili traditione, particeps. Quicquid igitur ſapuerunt longævi Patriarchæ, id Noacho innotuiſſe, maximam partem, probabile eſt: cùm, per ſexcentos annos, eorum uti potuit commercio & ſtudiis. HIC igitur, me judice, *utriuſque mundi incola*, ſcientiarum lampada ab illis ad hos tradidit: & propagavit per terraram orbem, unà cùm ſuâ ſobole, & primævis populis, quædam ſemina, tam naturalis, quam moralis, doctrinæ. Sed multùm exaruiſſe ſequioribus ſæculis, utramque doctrinam, & ſuccreſcentibus zizaniis tantùm non ſuffocatam eſſe, libens agnoſco. Hæc facilè redintegrari non poſſunt ex antiquis monumentis: ſed potiùs ex ipſis naturæ, liquidæque rationis, principiis, renovanda ſunt omnia, &, per Theorias ritè conſtitutas, emendanda pariter & ſtabilienda. Ut, ingruente rerum fine, veritas rediviva, in futuræ renovationis præludium, clariùs eluceſcat.

*Finis Libri primi.*

# ARCHÆOLOGIÆ
# Philoſophicæ:
## SIVE
# DOCTRINA
## ANTIQUA DE
## *RERUM ORIGINIBUS.*

## LIBER SECUNDUS.

Per modum Commentarii ad Telluris Theoriam Sacram, Ab eodem Authore conſcriptam.

*LONDINI,*
Typis *R. N.* Impenſis *Gualt. Kettilby,* ad Inſigne Capitis Epiſcopi in Cœmeterio *Paulino,*
MDCXCII.

# LIB. II.

## CAP. I.

### *Introductio & ſumma Libri Secundi. De Chao Antiquo univerſalis traditio, & de ipſius motibus in genere.*

QUùm non ita pridem expoſita fuerit, & in publicum data, *Telluris Theoria:* tota deprompta è ſuis cauſis, velut è viſceribus Naturæ; eandem jam libet, quo nihil deſit inſtituto operi, authoritate & teſtimoniis veterum confirmare. Neque tamen ab Antiquis ſperare licet, eandem partium integritatem, connexionem, & ordinem, in hoc argumento, cum quibus à nobis exhibetur in illâ compage Theoriæ: Sed diſcerpta membra recolligemus, Caput, & Truncum, & præcipuos Artus: quæ latent inter antiquitatis rudera.

Hujus Theoriæ nonnulla capita in antiquorum monumentis latuiſſe, antea oſtenſum eſt, in priori ipſius parte. Miſſis igitur, aut leviter tactis, quæ illic dicta ſunt: quæ ſuperſunt dicenda, & ab iiſdem antiquis repetenda, in hoc tractatu accumulamus. Hic autem

*Theor. Sacr. l. 2. c. 8. &c.*

autem tractatus bipartitus est, ut vides: & quemadmodùm in præcedenti libro propositum erat, singulas gentes literatas percurrere, & proferre in lucem cujusque Philosophiam & Dogmata, tam quoad Mundum Magnum, quàm Sublunarem: tam quoad Cœlum, quàm Terras, & utriusque origines; Ità in secundo hoc libro Tellurem unicè respicimus, &, ipsius ortûs, formæque primævæ, quæ restent apud veteres vestigia, seorsim & diligentiùs quærimus. Restant autem, nisi mea me fallat opinio, non exigua: id quod in sequentibus, allatis exemplis, probaturi sumus.

Veterum doctrinam circa *Telluris originem*, perscrutanti, incipiendum est ἀπὸ τῦ πρωτογόνυ χάεος, velut ab hujusce naturæ, atque Orbis sublunaris, materiâ primâ, aut seminario. Percrebuit autem apud antiquissimos sapientes, tam Theologos & Poëtas, quàm recentioris nominis, Physicos & Philosophos, τὸ Ἀρχαῖον χάος: & à Barbaris ad Græcos, à Græcis ad Romanos, & ad omnes gentes quaquaversùm manavit illa doctrina. Mundum nostrum, sub eâdem formâ & apparatu quo gaudet hodiè, semper & æternùm extitisse, præter Aristotelem, & nonnullos forsan, Pseudo-Pythagoricos, nemo apertè asseruit. Sed id totum quod Terræ Globum appellamus, orbemque habitabilem, informem olim fuisse massam, turbidam & indiseretam, Chaos dictam: mundi orituri quasi rudimentum; omnes sapientes uno ore tradiderunt.

Nondum enim temporis longinquitas rerum initia extinxit: nondum sui ortûs oblitum est humanum genus; apud priscos populos, rerum non ità pridem natarum, recens erat memoria, & quasi recordatio: & apud omnes ferè, Hebræos, Ægyptios, Phœnices, Persas,

Perſas, Græcos denique & Latinos, τῦ ἀρχαίυ χάε Θ. reperire licet reliquias. Quibus teſtantur olim incœpiſſe Mundum, & à materiâ confusâ & indigeſtâ originem ſuam traxiſſe. Cúmque hoc ſit ipſa baſis prædictæ circa Tellurem Theoriæ, operæ pretium erit veterum placita & ſuffragia hac in re colligere & explicare.

Cùm verò inter literarum monumenta nihil antiquius ſit ſcriptis Moſaicis, exordiendum erit à Moſe, Hebræorum Legiſlatore & Prophetâ maximo. Ille origines ſuas Telluris deducit à *Chao*, ſive à ſtatu materiæ terreſtris confuſo & tenebroſo, quem *Tohu Bohu* appellat; Hoc autem idem valere ac *Chaos* philoſophorum, & res ipſa loquitur, & Interpretes, tam Judæi, quàm Chriſtiani, aſſenſu comprobant. Quinetiam ad Chaos Moſaicum reſpicere mihi videtur Apoſtolus (*Heb.* 11. 3.) cum ait, μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Ubi τὰ βλεπόμενα notat *Mundum aſpectabilem*, qualem jam habemus ante oculos. Et μὴ φαινόμενα idem eſt ac ἀόρατα, quod dicitur de Chao Moſaico (*Gen.* 1. 2.) à Septuaginta interpretibus, quos ſequi ſolent Apoſtoli. Eò igitur redit ſermo Apoſtolicus ut doceat, hunc mundum aſpectabilem, ortum eſſe à cæcâ & informi materiâ, à Moſe memoratâ.

*Vid. Man. Ben Iſr. de Creat. Fe. Abarban. de amore Dei, Dial. 2. & 3. Maimon. mor. Nev. pars 2. c. 26. & 30.*

Quoad Interpretes Chriſtianos, eorum pars longè maxima, *Tohu Bohu Moſaicum* de Græcorum aut Barbarorum Chao exponunt. Vel potius ſurreptum eſſe volunt è Libris Moſaicis hoc Dogma, atque ab exteris Philoſophis interpolatum, & varias formas indutum, veras vel larvatas. Sed ipſius origo non hìc quæritur, quæ ad Noachum & Noachidas referenda

videtur. Satis erit impræsentiarum ipsius authoritatem, & apud omnes gentes literatas receptionem, notam & testatam facere.

*Vid. Theor. Tell. l. 2. c. 8.* De Hebræis & Christianis, & de Chao Mosaico, hæc pauca sufficiant. Pergamus ad Gentes exteras, & earum Chaos: quod non uno modo tractârunt. Alii enim nudè & Physicè, ut solent Philosophi: Alii μυθικῶς, in suis *Theogoniis*, eandem materiam explicuerunt. Apud utrumque genus Scriptorum omnis Archæologiæ gentilis radix & fundamentum est Chaos. Rectè notavit Aristoteles, *secundum Theologos, omnia ex nocte genita erant: secundum Physicos, omnia erant simul mixta.* Καίτοι εἰ ὡς λέγουσιν οἱ θεολόγοι, οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες, ἢ ὡς οἱ φυσικοὶ, ἅμα πάντα χρήματα. *Metaphys. l. 14. c. 6.* Quæ duo eodem redeunt, & eandem rem diversis nominibus exprimunt: nam in Chao, sine *nocte Chaoticâ*, omnia simul miscebantur. Rectè etiam distinxit Aristoteles *Theologos* & *Physicos*: & diversum, quo usi sunt, loquendi modum in rerum originibus explicandis. Sed illud præterea adjiciendum est, è Physicis nonnullos huic materiæ confusæ ipsiusq; motibus, Mentem præfeciſſe. Alii, temerè & fortuitò in mundi formam coaluisse asserebant. Uterque, ut vides, perinde ac Theologi, in quodam Chao rerum nostrarum origines posuerunt.

Sed ut pergamus in proposito. Hebræis succinunt *Euseb. præp. Evang. l. 1. c. 10.* vicini Phœnices, atque suum sibi formant Chaos & exinde omnia. Phœnicum Theologia, inquit *Philo Biblius* ex *Sanchoniathone*, ἡ τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται α�έρα ζοφώδη καὶ χάος θολερόν. *Principium rerum omnium ponit aërem tenebrosum, atque Chaos turbidum.* Ægyptii itidem hanc elementorum farraginem & miscellaneam molem, pro primo rerum statu, & nascituri mundi exordio, habuerunt, ità refert eorum

rum ſententiam *Diodorus Siculus*, κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν, μίαν ἔχειν ἰδέαν οὐρανόν τε καὶ γῆν, μεμιγμένην αὐτῶν τὰ φύσεως, μετὰ δὲ ταῦτα διαστάντων τῶν σωμάτων ἀπ' ἀλλήλων, τὸν μὲν κόσμον περιλαβεῖν ἅπασαν τὴν ὡρισμένην ἐν αὐτῷ σύνταξιν. Neque aliter ἱερὸς λόγος, qui dicitur *Triſmegiſti*, Philoſophiam Ægyptiacam imitatus, & Chaûs & Abyſſi meminit, ortûſque rerum ex iſtis primordiis. *Bibl. Hiſt. c. 1.*

Græcos & Latinos, non opus eſt memoremus. *Orpheus*, *Heſiodus*, *Menander*, *Ariſtophanes*, *Euripides*, *Cycli Epici* Scriptores, Antiquum *Chaos* cecinerunt. Præterea, inter Philoſophos Græcos, Ionici & Platonici ex maſsâ confusâ mundi compagem moliuntur. Denique Stoici, à Chao ad Chaos ſuas periodos, & renovationes inſtituunt. Latinos præterea, *Ennium*, *Varronem*, *Ovidium*, *Lucretium*, *Statium*, alioſque. Denique, quotquot genitum ſtatuunt hunc mundum, in quavis gente aut ſectâ, è rudi materiâ ſuam διακόσμησιν exordiuntur.

Quapropter notandum eſt, Qui *Coſmogonias* ſcripſerunt inter veteres, eos ſemper agnoviſſe *Chaos*, & in fundamentum ſui operis ſubſtruxiſſe. Denique, qui *Theogonias* ſcripſerunt, ab eodem Chao ſuam Mythologiam auſpicati ſunt. Idem enim valere apud priſcos, Theogoniam & Coſmogoniam, patet, non tantùm ab Heſiodo, aliiſque Græcis: ſed etiam inter alias gentes, exemplo Perſarum: qui ſacra facturi, *Theogoniam* cantabant. Locus eſt apud Herodotum *cap. 132.* in *Clio*, ubi morem Perſicum ſacrificandi depingit: ſubſtratis, inquit, herbis molliſſimis, maximè trifolio, hoſtiam in partes conciſam ſuperimponunt; additque, διαθέντος δὲ αὐτὸν, μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς, ἐπαείδει Θεογονίην. *Ità depoſitâ hoſtiâ Magus aſtans Theogoniam accinit.* Cum verò Perſæ, præter Solem,

Elementa,

Elementa colerent, Ignem, Aquam, & Terram: & pro Diis haberent: inde sequitur, eorum Theogoniam esse Cosmogoniam; sive natales Deorum Persicorum esse natales Elementorum & Mundanorum Corporum. Id quidem vitii aut erroris non rarò occurit apud veteres, quod Deos *nativos* statuant, ut verbo Ciceronis utar; atque eadem dent initia Diis & Mundo. Vel fingendo è materiâ suâ numina, vel saltem non, sine ortu, æterna.

Quotquot autem suos è Chao eduxêre Deos, ex eodem multò magis eduxêre Tellurem nostram: cujus pariter natales in suis Theogoniis celebrant. Cum verò passim apud veteres has Theogonias reperiamus, exinde colligere licet, illud dogma, *de ortu rerum ex Chao*, instar communis effati, aut Oraculi, inter priscos receptum fuisse. Neque abs re erit, hujus rei testes, aliquot Antiquorum Theogonias annotare.

Theogoniæ Persicæ supra meminimus. Scripsisse etiam dicitur Theogoniam *Aristheas Proconnesius*, qui temporibus Cyri claruit, & de *Arimaspis Hyperboreis* historiam condidit, cujus plures meminere. Orpheus Theogoniam scripsit: prout refert *Cedrenus*, ex *Timotheo*, antiquo authore. Istam autem *Theogoniam* idem valuisse ac *Cosmogoniam*, ex reliquiis aut imitationibus Orphicis quæ supersunt, facilè patet. Neque aliter *Cyclus Epicus*, cujus non semel meminimus, incipit à mixtione Cœli & Terræ, & exinde Deorum progeniem & mundi ortum prosequitur. Neque aliud erant Theogoniæ veterum quàm *Theologia Physica*: qualem composuit Varro, referente Augustino. Et eodem modo intelligo Æmilii Macri Theogoniam, cujus meminit Macrobius. Quid memorem *Musæi* Theogoniam antiquissimam: atque

*Suid. in Voc.*

*Civ. D. l. 6. c. 2.*

*Saturn. 2.*

atque alteram *Epimenidis*: utramque apud Laertium. Theogoniam *Dromocydis* vel *Dromocridis*, (viri mihi alias ignoti) apud Fulgentium habes: multosque passim veterum tractatus περὶ θεῶν, qui Theogonias imitantur. Denique, quoad Cosmogonias, illam *Thamyræ Thracis* atque alteram *Lini*, poëtarum inter Græcos vetustissimorum, supra notavimus. Illa autem Hermetis sive Trismegisti apud Ægyptios, cujus meminit Philo Byblius, omnium erat, post Mosaicam, antiquissima. Citat *Leo Hebræus*, sive *J. Aburbanel Pronapidem de Protocosmo*, & exinde multa de Chao & mundi origine, quæ huc spectant. Postremò, *Sileni*, & *Atlantis*, antiquissimorum nominum, quasdem habes Cosmogonias apud Virgilium. Illa quidem desinit in fabulas, ut solent Cosmogoniæ antiquæ. Altera castior est, cùm in convivio Didonis citharâ canitur,

*In proœm. In Epimen.*

*Mythol. l. 2. c. 17.*

*p. 117.*

*Euseb. præp. Ev. l. 1. c. 10.*

*Dial. 2.*

*Ecl. 6. Æn. 1.*

*docuit quæ maximus Atlas:*
*Unde hominum genus, & pecudes: unde*
*imber & ignes*, &c.

Sed de his satis.

Hactenus *ortum rerum ex Chao*, veterum sapientum fuisse dogma, duplici modo probatum dedimus; tam per Theogonias & Cosmogonias, quæ Poëtarum & Theologorum erant maximè: (admistis plerumque fabulis) quàm, inter Philosophos, per Chaos Physicum, nudè & simpliciter expositum. Nemo igitur in posterùm lites nobis moveat in hâc parte Theoriæ Telluris: cum nihil postulemus quod non confirmatur authoritate, tam sacrâ, quàm profanâ. Idem denique rarum fit à naturâ & à fidâ ratione, quùm hodiernæ Telluris phænomena aliter expli-

explicari, aut ab aliis principiis deduci, non poſſint.

Poſito igitur hoc fundamento, quas ſubinde mutationes in hoc Chao poſuerunt veteres: quas novas formas, quarum interventu tranſiit è confusâ mole in Mundum habitabilem: proximè diſpiciendum. Neque enim fiunt Mundi unico ictu, ut ſtatuæ fuſiles in proplaſmate. Sed diuturnâ actione, lentoq; progreſſu, natura ſeſe extricat & evolvit ſenſim ex illo ſtatu perturbato, & ad ordinem & ornatum nititur. Nempè primùm ex illâ confuſione & miſturâ partium diſſimilium oritur lis & lucta in totâ maſsâ: ab illâ autem luctâ & contentione oritur diſgregatio, & elementorum diſſidentium ſeparatio ad invicem & ſeceſſus. Quâ ratione Chaos Mundanum diviſum fuit in varios orbes & orbiculos: quaſi in tot tabulata aut contignationes elementarium corporum, aliorum aliis ſuperſtructorum. Hoc notaſſe videtur Antiquitas: ità Orpheus, πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μελιήφατον ὕμνον· ὡς ἀπάμειψε φύσεις,------ τε διέκρινε πάλλον ἀπ' ἄλλου. Nempe cecinit Orpheus in ſuâ Chaologiâ, ſive in explicando mundi ortu ex Chao, varias mutationes, ſecretiones, diverſaſque facies, quas identidem ſubiit illa moles, donec pervenit in formam orbis habitabilis. Atque hoc idem eſt ac Coſmogoniam inſtituere. Hos orientis Naturæ vultus ſuis lineamentis depinximus, in primâ parte Theoriæ, quos juvabit inſpicere, quò res præſentior ſit animo, ex illâ ſui imagine. Videbis illic primùm Chaos Mundanum integrum & indiviſum, uniformiter deforme, ſive *Tohu Bohu.* Dein diviſum in ſuas regiones, quaſi per diverſa ſtrata. Denique, factâ concretione, in Globum habitabilem diſpoſitum & ordinatum.

*L. 1. c. 5.*

Diximus

Diximus ſupra, æſtum quendam, luctamque, fuiſſe in primo Chao, ex illâ diſcordium & diſſidentium elementorum miſtione. Hoc itidem notârunt veteres, atque maximè *Empedocles*, per ſuum νεῖκος, ſive litem & inimicitiam: quod primum in naturâ rebuſque formandis, principium poſuit. Neque aliter illud *Heſiodi*, φυσικῶς, & ſine allegoriâ intelligo: Τὴ δ' ἑτέρην πρωτέρην μὲν ἐγείνατο Νὺξ ἐρεβεννή. *Hanc Litem primùm genuit Nox tenebroſa*, ſive Chaos; idem enim plerumque valent hæc duo in mythologicis. Sed quoad Empedoclem, res notiſſima eſt. Neque aliud ſonuit lyra Orphei, cùm ad demulcendos Argonautas, ſuum vetus Canticum renovabat.

Ἤειδεν δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα, I. *Argon.* ver. 496.
Τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ,
Νείκεος ἐξ ὀλοοῖο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα.

Ad quem locum ità Scholiaſtes. Ἐμπεδοκλῆς φησὶν ὅτι συγκεχυμένων ἁπάντων τὸ πρῶτον, νεῖκος καὶ φιλία παρεμφθέντα, τὴ διάκρισιν ἐποιήσαντο· χωρὶς δὲ τούτων οὐδὲν δυνατὸν γενέσθαι.

Vides denique ex his authoribus, à Lite incœpiſſe, ab Amore perfectam eſſe, mundi formationem. Nempe poſt illam luctam aut diſſidium, duo aut plura elementa coaluere, in ſuperficie aquarum: & ex illo complexu, qui Amori aſcribitur, genitus eſt Orbis habitabilis. Hæc veterum Mythologica, vel Allegorica, de ortu rerum ex Chao, nemo non dilucidè intelligit, qui hiſtoriam aut Philoſophiam de Telluris origine, in primâ parte Theoriæ traditam, cum illâ veterum doctrinâ myſticâ contulerit. Id quod factum eſt antea, magnâ ex *c. 5.*

parte, in secundo libro ejusdem Theoriæ, *Cap.* 8. Et, ne in repetendis ibidem dictis, fastidio simus, eò Lectorem remittimus. Atque hæc breviter de Chao adjecisse sufficiat.

---

# CAP. II.

## *De formâ Telluris Primigeniæ, & de Mundi statu triplici.*

EGimus hucusque de ortu Telluris ex primo Chao: idque post varios motus & metamorphoses. Nempe ut solent Animalcula ex ovo aut verme in aliud & aliud insecti genus transire, donec formam ultimam attigerint: ita variis subinde mutationibus, & fugitivis formis, ex Chao fit tandem Tellus habitabilis. Sed quærendum proximè, *Qualis esset forma & superficiei hæc Tellus primigenia*, cum primùm compacta fuit ex Chao? an ejusdem cum hodiernâ, vel dissimilis? Respondeo, Constitui non potuit ab initio, in eadem, quâ hodiè est, formâ, Tellus: propter montes & scopulos; & alveum maris, & hujusmodi inæqualitates, quæ immediatè à Chao, sive in superficie massæ fluidæ, oriri non poterant. Id quod in ipsâ Theoriâ abundè monstravimus. Proindè necessum est, Terram primigeniam alterius fuisse formæ & faciei ab hodiernâ.

*L.* 1. *c.* 4, & 5.

In

In hoc puncto vertitur rei cardo, & qui hanc concluſionem probatam dederit, cauſam tenet. *Probatam* verò intelligo, non rationibus Phyſicis, id enim jam factum eſt loco ſupra citato: Sed aliud nunc agimus, ut idem ſcilicet à priſcis ſapientibus traditum oſtendamus: & etiamnum extare, non tam in libris, quàm in fragmentis veterum, aut excerptis, ejuſdem rei non obſcura veſtigia. Atque hoc novum opus non ideò ſuſcipimus, ac ſi neceſſarium eſſet præfatæ Theoriæ, quæ ſuis viribus nititur: Sed ut liberemus Providentiam ab omni maculâ, & eorum obſtinationi occurramus, qui veritatem ipſam, niſi à majoribus ſibi commiſſam & commendatam, nolunt recipere.

Age igitur, rem ipſam aggrediamur: concluſio probanda hæc eſto. *Mundum* olim fuiſſe alterius formæ & ſitûs ab hodierno. Per *Mundum* autem intelligo non immenſam rerum univerſitatem: Ejus enim oras aut figuram non novimus, neque partium remotarum ordinem. Sed mundum noſtrum, Terram ſcilicet & Cœlos aſpectabiles. Proin eò redit aſſertio noſtra, *Terram fuiſſe olim alterius formæ ab hodiernâ, & alterius ad cœlum ſitûs*; hoc, primo loco & generatim aſſerimus. In quo verò poſitum fuerit iſtud diſcrimen, opportuniùs in ſequentibus explicabitur, cùm proprietates illius Telluris primævæ ſeorſim expendendæ ſunt.

Interea, ut hoc diſcrimen generale authoritatibus confirmemus, notandum imprimis, Triplicem eſſe mundi naturalis, ſive Cœli & Terræ, ſtatum, vel ordinem, ſecundum ſacras literas. Nempe Præteritum, Hodiernum, Futurum. Ita enim diſtinguuntur ab Apoſtolo *Petro*, οἱ ἔκπαλαι οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ· οἱ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ· & verſu decimo tertio, καινοὺς 2 Pet. 3. v. 5. & 7.

καινὸς δὲ ὐρανὸς καὶ γῆ καινὴ προσδοκῶμεν. Per Cœlos Terramque *prateritos*, intelligit Apostolus
*c.* 2. *v.* 5. Primigenios, ἀρχαίους, ut ipsius verbo utar: quos Diluvio periisse ait. *Hodierni* sunt, quibus jam utimur, quique fatis contrariis expositi, Igne perituri sunt, *c.* 3. 7. Denique *Futuri* sunt illi novi Cœli & nova Terra, quæ, peractâ conflagratione, expectamus. Quorum itidem meminerunt *Isaias* Propheta, (*Ch.* 65. 17. *&* 66. 22.) & *Johannes* Apostolus, *Apoc.* 21. 1.

Hunc triplicem Mundi naturalis statum notavit pariter Apostolus *Paulus*, ad *Romanos capite octavo*: aliisque characteribus insignivit. Supponit primò, Mundum, *Vanitati nondum subjectum.* Dein Hodiernum, *vanitati subjectum.* Denique Futurum, *à vanitate redemptum & liberatum*: ab eâ nempe vanitate cui antea subjiciebatur. Hæc futura mundi instauratio, quam Apostolus indicat, dicitur à Sancto
*Act.* 3. 21. *Petro* ἀποκατάστασις· & à Christo παλιγγενεσία:
*Mat.* 19. 28. triplicemque mundi statum, de quo loquimur, involvit. Renovatio enim, aut restitutio, fit ad statum aliquem præteritum: Est reditus ad similem, aut eandem, quam res illa olim habuit, formam, aut ordinem. Ad quem verò statum priorem fiet mundi futura restitutio? Non ad hodiernum, is enim vanitati subjicitur, secundum Apostolum; Restitutio autem illa est liberatio, à vanitate & corruptione? ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ. Ex his unà collatis rectè deducitur, Hodiernum mundi naturalis statum præcessisse alium, eumque fuisse hodierno præstantiorem.

Hæc ideò præmisi, ut sententiam nostram de Mundorum successione, sive de mundi naturalis diversitate

ſitate & tranſmutatione, tam præteritâ, quàm futurâ, in ſacris literis fundatam oſtenderem. At, inquies, forſan, Hic ſermo Sancti *Pauli* non reſpicit mundum naturalem & inanimatum, ſed animatum, genus humanum, atque illam renovationem quam experturi eſſent homines, ope Evangelii. Ità quidem Neoterici nonnulli hunc locum *Pauli* interpretantur. Sed ad locum cognatum Sancti *Petri* de triplici mundo, ſupra adductum, quid regerent hi interpretes? Si alterutrum accipiunt de mundo naturali, inutile erit recuſare alterum; Nullâ autem vi ad allegorias detorqueri poteſt illa diſſertatio Sancti *Petri* de triplici mundo: Antediluviano, hodierno, & novo futuro; quippe quòd in unoquoque ordine, Cœlum & Terram, mundi naturalis partes, exprimit Apoſtolus: & tanquam characterem, mundi, de quo loquitur, deſcriptioni interſerit; loquitur igitur de Cœleſti & Terreſtri, ſive de naturali.

His interpoſitis, redeamus ad Sanctum *Paulum*. Neque enim aſſentior Neotericis iſtis, qui vim verborum Apoſtoli in allegorias diſſolvunt, & à mundo naturali ad moralem inflectere ſatagunt: Invito ſacro Authore, ut mihi videtur, & reluctantibus Patribus Chriſtianis, qui de rerum naturâ, mundoque inanimato, hunc locum non incelebrem exponunt. Sed digna res eſt quæ diligentiùs expendatur.

Verba Beati *Pauli* hæc ſunt. *Nam vehemens expectatio Creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura* Rom. 8. 19, 20, 21, 22, 23. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχε-

ται. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι. Ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν. Οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.

*tura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi, primitias Spiritûs habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.*

Hìc agitur manifeſtò de triplici ſtatu Creaturæ ſive τῆ κτίσεως: ſtatu primævo, vanitati nondùm ſubjecto: ſtatu vanitati ſubjecto: & denique ſtatu futuræ redemptionis & liberationis à vanitate & corruptione. Hactenùs, opinor, convenit inter omnes interpretes: Sed quærendum ultra, quid *per vanitatem* intelligendum ſit: & quid per τὴν κτίσιν, quæ vanitati ſubjicitur: ab eâdem denuò, præſtituto tempore, liberanda. Reſpondeo, per vanitatem hìc intelligi mutabilitatem, inconſtantiam, naturam caducam, & fluxilem, & corruptioni facilè obnoxiam, qualis eſt hodierna. Et *ſervire* dicitur Creatura, ſive ſervitutem pati, propter labores ſerviles, tam hominum quàm jumentorum, in hoc ſæculo: quibus in venturo exonerabuntur. Neque hactenus multa lis eſt: ſed quæritur maximè quid per τὴν κτίσιν, quæ diverſas haſce ſubit conditiones, intelligendum ſit. Siquis animo libero, & à præconceptis opinionibus immuni, hæc verba legat, de *Creatione*, ſive externâ rerum naturâ, loqui Apoſtolum, facilè pronunciabit; id enim in fronte ferunt verba Apoſtolica, atque primo intuitu nobis exhibent; Neque recedendum eſt à literali verborum ſenſu & ſignificatione, niſi aliis ſcripturæ locis repugnârit, aut id malè patiatur materiæ ſubjectæ ratio. Horum autem neutrum

*Vid. Theo. Tell. l. 4. c. 6, 7.*

neutrum hic objici poteſt: nam hæc triplex mundorum ſucceſſio, quam innuit Sanctus *Paulus*, apertiùs & explicitiùs aſſeritur à Sancto *Petro*, Epiſtolâ ſecundâ, capite tertio; nullo alio renitente authore ſacro. Et quoad rerum naturam, non modò tacitè conſentit, ſed conclamat in partes noſtras: Hodiernæ enim Telluris facies, & diluvii univerſalis phænomena, altâ voce teſtantur, Terrarum orbem olim fuiſſe alterius formæ & ſitûs partium. Prout fusè demonſtratum eſt libro primo *Theoriæ Telluris*. Dein, ſuppoſitâ Conflagratione Terrarum, quam omnes agnoſcunt, ſequitur, quaſi ſuâ ſponte, redintegratio quædam & novus orbis habitabilis: id quod in eadem Theoriâ oſtenſum eſt, *l.* 4. *c.* 2. Vides igitur, huic interpretationi de triplici mundo, nihil obſtare ex utrovis capite: aut nos depellere à genuinâ vi verborum, quam in claris, aut dubiis, ſequi tenemur.

Præterea, Patres Chriſtiani qui hunc locum interpretantur, vel obiter attingunt, per ἡ κτίσις intelligunt *Creationem externam*, mundum naturalem, ſive rerum naturam. Ità *Tertullianus*[a], *Irenæus*[b], *Origenes*[c], *Hieronymus*[d], *Chryſoſtomus*[e], aliique, tam veteres, quam recentiores. Denique, qui futuram Mundi renovationem recipiunt & tuentur: id quod faciunt, tam è Græcis, quàm Latinis Patribus, plurimi: propendent omnes in hanc ſententiam, & in hanc expoſitionem. Grotium, Toletum, Eſtium, Med. J. Cap. Calv. *alioſque plurimos*.

[a] *Adverſ.* Hermog. *c.* 11. & *de cor. mil. c.* 6. [b] *L.* 5. *c.* 36. [c] *Contra* Celſ. *l.* 4. [d] *In Iſa.* 51. & *in c.* 2. *ad Epheſ.* & *in Habac. c.* 3. [e] *Ad* Rom. *Hom.* 14. & *Hom.* 10. *ad* Antioch.

Toletus *in hunc locum Apoſtoli, cum enumeraſſet* Irenæum, Chryſoſtomum, Cyrillum Alex. Greg. Nazianzenum, Hilarium, Ambroſium: *quibus adde* Theophylactum, Oecumenium, *alioſque*: Subjungit, *Conveniunt omnes in hoc, quod univerſi, ſeu Mundi partes, nomine Creaturæ, ſignificantur, quæ propter hominem, his corruptionibus inſerviunt; & ab hâc ſervitute liberabuntur, & in perfectionem promovebuntur in hominum reſurrectione. His antiquis adde è recentioribus Interpretibus optimos*

nem.

nem ſermonis Paulini, ut per ἡ κτίσιν *Mundum conditum*, vel rerum naturam intelligant. Quæ, per proſopopœiam, huic Apoſtolo familiarem, avidè expectare dicitur, & quaſi *exerto capite*, ſuam redemptionem: Quinetiam *ingemeſcere* nobiſcum ſub hodierno ſervitutis jugo; Denique, inſtar *Parturientis*, ab onere liberari, atque novam prolem videre cupit. Hæc appoſitè admodum & eleganter ab Apoſtolo ad rerum naturam applicantur. Neque his diſſimile eſt, quod, ex mente Sibyllæ, cecinit Poëta,

*Aſpice convexo nutantem pondere mundum*
*Terraſque, tractuſq; maris, cælumq; profundum:*
*Aſpice venturo lætentur ut omnia ſæclo.*

Sed de hâc re ſatis. Vides tam ex ipſis verbis, quàm ex authoritate optimorum interpretum, ſive veterum, ſive recentiorum, ἡ κτίσιν Apoſtoli referendam eſſe ad mundum aſpectabilem, rerumque naturam. Ad quem ſignificatum magis aſtringere videtur Apoſtolus hanc vocem, addendo, αὐτὴ ἡ κτίσις, *ver.* 21. ac πᾶσα ἡ κτίσις, *ver.* 22. ne ad ſenſus figuratos vagaremur. Supereſt tantùm, ut aliorum interpretationes refellamus, qui relictâ verborum viâ rectâ, diverticula quærunt: & alienas affingunt ſignificationes huic voci κτίσις vel κτίσεως; quibus totam Apoſtoli ſententiam pervertunt. Sunt autem in triplici ordine hi Interpretes, Alii enim *per Creaturam* intelligunt *Angelos:* degeneres nempe, & à ſuâ primævâ puritate delapſos. Alii, *genus humanum.* Alii denique *Gentes* ſpecialiter, ſeu Gentiles: convertendos ſcilicet at nondum converſos. Sed nodum in ſcirpo quærunt qui his ambagibus utuntur in re facili: & dum volunt eſſe ſubtiles, in nullam incidunt ſenten-

ſententiam aut interpretationem ſolidam. Nam primò, quoad Angelos, præterquam quod abrumpunt omnem connexionem cum præcedentibus, nulla futura eſt inſtauratio Angelorum lapſorum: loquitur autem Apoſtolus manifeſtò de Creaturâ à ſervitute & corruptione liberandâ: quam illa redemptionem anhelat & vehementer expetit. Dein quoad genus humanum, id recipi non poteſt, quoniam *Creatura* diſtinguitur ab hominibus, ſive à nobis ipſis, in ipſo verborum textu. *Scimus*, inquit Apoſtolus, quod *omnis Creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc, non ſolum illa, ſed & nos ipſi.* Aliud igitur eſt *Creatura*, aliud homines: ni velis non eſſe è numero hominum aut humani generis Apoſtolos alioſque pios. Quinetiam nos hortatur ad patientiam, & conſolatur, ex illo communi nixu rerum omnium ad futuram perfectionem. Et licet nonnuſquam κτίσις aut καινὴ κτίσις ad genus humanum aut Chriſtianos referenda eſſet, id fieri non poteſt hic loci, ubi ab iiſdem apertè diſtinguitur, & contraponitur. Denique, qui Gentes atque populum Gentilem, nomine κτίσεως hìc intelligunt, maximè omnium à verborum uſu & à verâ ratione recedunt. Quid enim τῇ κτίσει cum gentibus aut gentilibus? quæ cognatio vocum aut rerum? ſub eodem onere gemuerunt Creatura & Chriſtiani, (*ver.* 23.) quod de gentibus & Chriſtianis haud dixeris. Neque magis aſpirare potuerunt gentes ad religionem ſibi ignotam: nec ſe tædebat ſuæ ſuperſtitionis & Deorum, quibus maximè delectari populum Ethnicum, atque furere & æſtuare, ſiquis eos læſerit, multis exemplis vidimus. Prætereà, quâ ſpe ſubjectæ ſunt vanitati Gentes, aut quis eas ſubjecit, non ſuâ ſponte? Denique, loquitur Apoſtolus de *futurâ gloriâ* (*ver.* 17.)

tandem revelandâ, quâ nobis ait abundè compensatum iri, quicquid, in hoc sæculo, malorum patimur. Quid hoc igitur ad gentes, aut bona quæcunque hodierni sæculi? Porrò, hæc *liberatio Creaturæ* conjungitur (*ver.* 21.) cum *gloriosâ liberatione Filiorum Dei*, veluti Synchrona: Illa autem ad futurum sæculum unicè spectat, ergo hæc itidem eodèm referenda est. Neque minùs ἀπολύτρωσις τῦ σώματος (*ver.* 23.) tempus Resurrectionis respicit, ut ex aliis Scripturæ locis satis patet. (*Luc.* 21. 28. *Ephes.* 1. 14. & 4. 30.) nec rebus quibuscunque hujusce vitæ adaptari potest. Postremò, Quam connexionem haberent ea quæ sequuntur (*ver.* 24.) cum præcedentibus, si de conversione Gentium ageretur? *Spe enim salvamur*, inquit Apostolus: nempe cum dixisset antea nos expectare redemptionem corporis, subjungit nondum re, sed spe tantùm, nos salvos esse: vitam futuram indicans. Summa est, sive antecedentia attentas, si consequentia, sive ipsum textum, in eo conspirant omnia, ut venturam fœlicitatem denotent, & in futuro sæculo terminentur.

His, opinor, satis constat, per ἡ κτίσιν in hoc sermone Apostolico nihil aliud intelligi posse, quàm, quod vox sonat, *mundum conditum*, sive rerum naturam; prout aliàs accipitur ab hoc authore sacro: (infra *ver.* 39. supra *cap.* 1. 25.) adeoque frustra esse Neotericos istos, qui ad alienas significationes invitum trahunt hoc vocabulum. Neque minùs incongruum est, *Futuram Gloriam*, quam memorat Apostolus: *liberationem à servitute & corruptione: corporis redemptionem*: ad hodiernum sæculum restringere. Hæc mundum futurum quasi digito demonstrant: quemadmodum vanitatis, servitutis, & corruptionis

status,

ſtatus, hodiernum. Denique, hanc vanitatem cùm rerum natura non habuerit ab initio, ſed eò poſteà prolapſa ſit, ex conſilio divino, ut innuit Apoſtolus: patet, duos jam ſubiiſſe ſtatus, rerum naturam: & tertium, eumque hodierno præſtantiorem, ſubiturum eſſe. Unde conficitur, quod initio diximus, Triplicem mundum, ſive triplici mundi naturalis ſtatum & ſucceſſionem, in hoc ſermone Apoſtolico includi & repræſentari.

Hæc, fundamenti loco, ſubjecimus ex ſacris literis, de triplici mundorum ordine. Quem multipliciorem adhuc è veteribus nonnulli ſtatuerunt. Volunt enim Stoici, alios aliis ſuccedere mundos indeſinenter, per Diluvia & Conflagrationes, innumeris vicibus, repetita. Quem errorem alibi notavimus. *Theor. l. 3. c. 3.* Quinetiam è Græcis reliqui, qui de Periodis mundanis philoſophantur, earum numerum non definiunt: neque id explicant, quoties renovabit faciem rerum natura, & ubi tandem deſinet. Ad doctrinam Chriſtianam cæteris accedit propiùs illa Zoroaſtri: quam, ex Theopompo deſumptam, antea *Theor. l. 4. c. 5.* expoſuimus, Hæc mundum claudit, Morte & Inferno abolitis, cum ſanctorum virorum beatitudine, corporibuſque cœleſtibus: Neque *umbram ſpargentibus, neq; cibi indigis.* Quæ eſt vera rerum noſtrarum atque mundi noſtri conſummatio. Sed de his hactenus.

# CAP. III.

## *Forma Telluris primigeniæ, & præcipuæ ipſius differentiæ ab hodiernâ. Harum differentiarum manifeſtæ notitiæ apud Antiquos reperiuntur.*

DIximus ſupra, Tellurem primigeniam alterius fuiſſe formæ & ſitûs, ab hodiernâ. Idque non tantùm rationibus phyſicis, ſed etiam ex Antiquorum monumentis, tam ſacris quàm prophanis, innoteſcere. Exponendum igitur proximo loco, Quæ Forma, Quis ſitus, Quod diſcrimen, utriuſque Telluris: ut illius diſcriminis veſtigia quæramus apud veteres: iiſque repertis, ſententiæ noſtræ veritatem, diu abſconditam, multo tempore exeſam, & tenebris obductam, quaſi novâ luce detegamus. Orbis Terrarum, hodierni & primævi, multifariæ ſunt & innumeræ differentiæ: quæ tamen revocari poſſunt omnes ad duo capita: ad *Formam* nempe, & *Situm*, utriuſque Telluris. Ab his enim profluunt, tanquam à ſuis fontibus, aliæ multæ varietates & diſcrimina.

Forma & ſitus hodiernæ Telluris, notiſſima ſunt: Globus noſter eſt bipartitus in mare & terram: Globus ſcopuloſus, montoſus, ſalebroſus, cavernoſus: ac ſi eſſet moles diſrupta aut confracta. Situs autem hujus Globi, eſt obliquus ad Solem, ſive ad axem Eclipticæ:

Eclipticæ: unde varias ſubit temporum viciſſitudines, in anni ſui curriculo: Hyemem & æſtatem, & media æquinoctia. Ita ſe habent ſedes noſtræ: Hìc vitam laborioſam brevemque trahimus. Jam mutemus Theatrum, & finge tibi, ſi lubet, ſcenas parteſque contrarias: Terrarum orbem, integrum, continuum, ſine mari, aut voragine marinâ: Lævem & æquali ubique ſuperficie, ſine montibus, ſcopulis, cavernis aut cavitatibus. Denique rectà ad Solem converſum, ſive protenſum in lineâ parallelâ ad axem Eclipticæ; unde omni careret temporum inæqualitate, & perpetuo vere vel æquinoctio gauderet.

Hæc eſt Tellus primigenia, vel ipſius imago. Hæ conditiones ipſius primariæ, peculiaris *Forma* & *Situs*, quibus ab hodiernâ maximè diſtinguitur. Obſervandum deinceps, ſiquas harum rerum notitias reperire licet apud veteres, ut eorum teſtimoniis & authoritate vincamus eos qui, à naturâ petitis argumentis non facilè cedunt. Notandum autem imprimis, Hanc Formam Telluris primigeniæ, ſecundum ſententiam noſtram, periiſſe in Diluvio univerſali: & ex illo tempore, atque ex illâ clade, ortam eſſe hodiernam. Quâ in re ſequimur Apoſtolum *Petrum*, qui primum mundum, nempe primos cœlos, primamque Terram, in Diluvio periiſſe ait, 2 *Epiſt.* 3. 6. Loqui enim Apoſtolum, eo in loco, de mundo naturali, & non tantùm de humano genere, dubitari non poteſt, ſi antecedentia attendamus: quod enim *Mundum* nuncupat, *verſu ſexto*: proximè præcedenti *Cœlum* & *Terram*, ſive rerum naturam, appellârat. Neque Deriſorum iſtorum objectioni, (*ver.* 4.) ab immutabili ſtatu mundi naturalis deductæ, aptè occurrit Apoſtolus, niſi ad id, de quo erat quæſtio, congruat reſponſum. Quæſtio autem

autem erat de mundo naturali, & ſi non eodem referatur reſponſum, nihil erit ad rhombum. Denique, præcedentem Mundi interitum in Diluvio memorat Apoſtolus, in argumentum futuri interitus in Conflagratione: nulla autem eſſet vis hujus argumenti niſi mundus naturalis perierit in Diluvio: cum id probandum fuerit Apoſtolo, Mundum naturalem in Conflagratione periturum eſſe. Ita ferè arguit Apoſtolus contra hos Pſeudo-philoſophos: Quod factum eſt, fieri poteſt. Sed mundus jam periit, Natura ſemel naufragium paſſa eſt: quid ni iterùm pereat, quid ni ſecundò naufragium patiatur.

Sed pergamus in propoſito: non tantùm enim dicimus Terram primævam periiſſe in Diluvio, ſed etiam diverſam fuiſſe, formâ & qualitatibus, ab Hodiernâ. Atque hanc diverſitatem comprobare mihi videtur idem Sanctus *Petrus* in eodem ſermone de revolutione Mundi: niſi cauſam ſuam deſerere, aut, quod nefas eſt, malè tractaſſe ſupponamus. Sed ne fraudem facere videamur ſacro authori, æquum erit ipſius verba apponere, quæ ita ſe habent. *Venient in noviſſimis diebus in deceptione Illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes: Dicentes, ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio Creaturæ. Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant priùs & Terra, de Aqua & per Aquam conſiſtens, Dei verbo. Per quæ ille tunc mundus aquâ inundatus periit. Cœli autem qui nunc ſunt,*

2 *Pet.* 3. 3, 4, 5, 6, 7.
Ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι. Καὶ λέγοντες. Ποῦ ἔστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; ἀφ' ἧς γὰρ οἱ πατέρες ἐκοιμήθησαν, πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως. Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ, ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὑδάτων συνεστῶσα, τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ. Δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο. Οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτῷ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων.

*ſunt, & Terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati, in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.* Vides ſtatum cauſæ. Negant adverſarii ullum futurum eſſe mundi naturalis excidium aut mutationem. In eam fidem adducti, quòd nullam hactenùs viderint aut audiverint in Naturâ inconſtantiam aut mutationem, ab antiquiſſimorum Patrum temporibus, ab extremâ hominum memoriâ, ab ipſo rerum initio. Quid his reponit Apoſtolus? Ait eos libenter obliviſci primævi naturæ ſtatûs, ſive antiquorum Cœli & Terræ; quæ ex aquâ & per aquam conſtituta, *eam ob cauſam*, ſive propter illam conſtitutionem, in aquarum diluvio perierunt. Hodierni autem Cœli & Terra, inquit, aliter conſtituti, igne perituri ſunt. Iiſq; ſuccedent tandem novi Cœli & nova Terra, in quibus habitabunt Juſti, *ver.* 13. Hæc eſt ſumma reſponſi Apoſtolici: quod multis modis arguit Mundum antediluvianum alium fuiſſe ab hodierno. Primò enim, niſi id ſuppoſueris, nulla erit vis hujus reſponſi, nihil valebit contra argumentum adverſariorum: quin id potiùs roborat & confirmat. Nam ſi eadem fuit & immutata naturæ facies ante & poſt Diluvium, eadem ſemper fuit ab ipſo rerum initio: id quod contendebant οἱ ἐμπαῖκται. Itaque, ex hâc interpretatione, non tantum non refellit, ſed concedit Apoſtolus id quod erat refutandum.

Secundò, exprobrat, ut vides, Apoſtolus his Pſeudo-philoſophis ſuam ignorantiam, *ver.* 5. Cujuſce autem rei ignorantiam? non Diluvii in genere: Judæi enim erant, quibus ſcripſit *Petrus*: idque arguit ipſa hæc phraſeologia, *Ex quo Patres obdormierunt*, quæ eſt purè Judaica. Judæos autem latere non potuit Diluvium Noachi, lectitatis unoquoque ſabbatho libris *Moſis*; Sed ignorabant, vel ſe igno-

ignorare simulabant, Cœlos Terramq; ante-diluvianos aliter quàm hodiernos, constitutos esse: iisq; pereuntibus in strage Diluvii, τὸς νῦν ὐρανὸς καὶ γῆν successisse, alterius formæ & qualitatum ab antiquis. Hanc iis ignorantiam vel oblivionem exprobrat Apostolus.

Tertiò, Si nulla fuit diversitas inter rerum naturam ante-diluvianam & post-diluvianam, versus ille quintus est supervacaneus & inutilis: frustraque memorantur Cœli & Terra ante-diluviani, in exemplum mutabilitatis naturæ (prout argumentum postulabat) si iidem fuerint in utroque mundo, sine ullâ mutatione.

Quartò, ex eâdem suppositione, in versu sexto illatio fit sine fundamento, consequentia sine præmissis. * Δι' ὃν, inquit Apostolus, ὁ τοτὲ κόσμος ἀπώλετο. Propter quæ verò? vel propter quas causas, inundatus periit iste mundus? Annon propter illam constitutionem situmque, respectu aquarum, quem versu præcedenti annotârat? Hoc concesso, habes discrimen inter utrumque mundum, & consequentiam ritè deductam: hoc non concesso, nulla est vis consequentiæ aut illationis.

* Δι' ὃν, *per quæ* Vulgat. *Quamobrem*, Bez. *Quâ de causâ, sive quia talis erat qualem diximus constitutio Terræ & Cœli*, Grot.

Denique, in *versu septimo*, opponuntur Hodierni Cœli & Terra ante-diluvianis: οἱ νῦν ὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, τοῖς ἔκπαλαι ὐρανοῖς καὶ γῇ· quemadmodum infrà (*ver.* 13.) novi Cœli & Terra distinguuntur ab hodiernis. Quod si prorsus eadem fuisset utraque compages, ante-diluviana & postdiluviana, nullus esset locus huic antithesi, nulla distinctionis ratio. Quin potius vice particulæ adversativæ, dicendum fuisset Apostolo οἱ αὐτοὶ ὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, &c. iidem Cœli & Terra, qui aquis antea demersi fuerunt, igni jam reservantur.

ſervantur. Ita enim loquitur de *Logo* vel *verbo Dei*, τῷ αὐτῷ λόγῳ, inquit, *ver.* 7. eodem nempe, quem memorârat anteà, *ver.* 5. Et ſi Cœlum & Terra fuiſſent utrobique iidem, non minùs quàm Spiritus Sanctus, cur illis notam diſtinctionis, huic unitatis, præfixit?

Hæc pluribus expoſui, quod probè nôrim, hunc locum Sancti *Petri* multis eſſe lapidem offendiculi: Nos autem ſuper hanc petram Theoriam Telluris potiſſimùm ædificamus, quoad authoritatem ſacram: & immobile fundamentum hoc ſemper duximus. Neque prorſus nova eſt, aut ſingularis, quam dedimus, hujus loci interpretatio. Nam plures commentatores, vi verborum coacti, fatentur Apoſtolum hìc loqui de mundo naturali. Et nonnulli Cœlos & Terram, ante-diluvianos, periiſſe: (quoad formam, intelligo) & hodiernos ab iis diverſos eſſe, ex authoritate hujus ſermonis Apoſtolici aſſeruerunt. Ita certè Sanctus *Auguſtinus*, qui, pluribus in locis, Mundum antiquum naturalem periiſſe ait, & hodiernos Cœlum & Terram, alios eſſe ab antiquis; Quinetiam interitum Mundi in Diluvio, futuro ipſius interitui in Conflagratione, non ſemel comparat & æquiparat: idque in exponendo hoc ipſo argumento Divi *Petri*. Ita *de Civitate Dei*, l. 20. c. 18. hæc habet, *Apoſtolus commemorans factum ad Diluvium, videtur admonuiſſe quodammodò, quatenùs in fine hujus ſæculi Mundum iſtum periturum eſſe credamus. Nam & in illo tempore,* PERIISSE *dixit, qui tunc erat, mundum; nec ſolum orbem terræ, verùm etiam cœlos.* Dein cum admonuiſſet, hanc cladem pertingere non potuiſſe ad ſupremos Cœlos, ſtellaſque altiſſimas: ſubdit, *Atque hoc modo (penè totus aër) cum Terrâ perierat; Cujus Terræ utique prior facies* (nempe *ante-*

*fuerat deleta Diluvio. Qui autem nunc sunt Cœli & Terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservandi; proinde qui Cœli & quæ Terra, id est, qui mundus, pro eo mundo, qui Diluvio periit, ex eâdem aquâ repositus est, ipse igni novissimo reservatur.* Vides ex his paucis, totum argumentum Apostoli, ad mundum naturalem, ipsiusque in Diluvio dissolutionem, retulisse Sanctum *Augustinum.* Id quod etiam alibi testatur pluribus in locis: quæ, pro lubitu & otio Lectoris perlegenda, in margine apposui.

*S.* Augustin. *de C. D. l.* 20. *c.* 24.

*Agens contra* Porphyrium, *qui Mundi æternitatem & immutabilitatem pariter ac hi Illusores, tuebatur: Locum Prophetæ citat,* Cœli peribunt: *comparatque hunc locum cum illo Sancti* Petri, *ubi Cœlum & Terra, ante-diluviana,* periisse *dicuntur, his verbis,* Legitur, Cœlum & Terra transibunt, Mundus transit, sed puto quod præterit, transit, transibunt, aliquanto mitius dicta sunt, quàm PERIBUNT. In Epistolâ quoque *Petri* Apostoli, ubi aquâ inundatus, qui tum erat, periisse dictus est Mundus, satis clarum est quæ pars Mundi à toto significata est, & quatenus periisse dicta sit, & qui Cœli repositi igni reservandi. *Dein, quæ aut quota pars universi periit in Diluvio, infra explicat:* In Apostolicâ illâ Epistolâ à toto pars accipitur, quod Diluvio periisse dictus est Mundus, quamvis sola ejus, cum suis cœlis, pars ima perierit. *Denique in expositione* Ps. 101. *ad illa verba jam memorata,* cœli peribunt: *hoc* semel ait contigisse *in Diluvio, secundum Apostolum* Petrum: Apertè dixit hoc Apostolus *Petrus,* Cœli erant olim & Terra, de aquâ & per aquam constituti, Dei verbo, Per quod, qui factus est mundus, aquâ inundatus, deperiit. Jam ergo dixit, periisse Cœlos per Diluvium, *vid. etiam c.* 16. *ejusdem libri, ubi figuram mundi mutatum iri ait, in conflagratione, ut olim in Diluvio.*

Ita sensit, ità philosophatus est, Sanctus *Augustinus.* Neque tamen existimo, vel ipsi, vel aliis veterum innotuisse modum interitûs aut mutationis antiqui mundi in Diluvio: nec forsan qualis fuit Cœli & Terræ facies ante-diluviana, quam deletam esse ait in illâ clade. Neque enim ex contemplatione naturæ aut ratiocinatione præeunte, in hanc sententiam descendisse videtur *Augustinus,* sed authoritas & lumen sacri scriptoris hanc ei extorsêre conclusionem; Nonnihil adjuvante forsan, obscurâ aliquâ, de rebus Diluvianis vel Ante-diluvianis, traditione.

Hacte-

Hactenùs oſtendimus diſtinctionem & diverſitatem in genere inter Mundum ante-diluvianum & hodiernum, ex verbis Sancti *Petri*. Sed in quo conſtitit illa diverſitas aut diſcrimen, non ità apertè dicitur. Dicitur quidem ille mundus *ex aquâ* & *per aquas, conſtitiſſe*. *Conſiſtere* autem *per aquas*, ſi ad Terram referatur, idem eſſe videtur ac *ſuſtentari per aquas*: vel *fundari ſuper aquas*, ſecundum phraſin Pſalmiſtæ, *Pſal.* 24. 2. vel *extendi* aut *ſtabiliri* ſuper aquas, prout alibi dicitur ab eodem prophetâ, *Pſal.* 136. 6. vel denique, in verbis Sapientiæ, *formari, ut orbis, ſuper faciem Abyſſi*. *Prov.* 8. 27. Hæc omnia eodem collimare videntur: nempe ut nobis indicent ſitum Telluris ante-diluvianæ: *conſiſtentis vel ſuſtentatæ per aquas, Fundatæ* vel *extenſæ ſuper aquas*, vel quod cæteris diſertius eſt, *paratæ per modum Orbis ſuper faciem Abyſſi*. Hæ locutiones ſacræ tam inter ſe conveniunt, quàm cum Theoriâ noſtrâ: quâ, primum terrarum orbem, in ſuperficie aquarum, vel ſuper faciem Abyſſi, undique conſtruximus. *Vid. Theor. l. 1. c. 5.*

Atque eo magis placet hæc expoſitio, quòd hujuſmodi ſitus & conſtitutio Telluris antiquæ, eam redderent obnoxiam Diluvio: id quod planè innuit Apoſtolus; Cùm enim dixiſſet Terram ante-diluvianam *ex aquâ & per aquas conſtitiſſe*, ſubdit, *Quamobrem*, ſive *Quam ob cauſam*, nempe propter illum ſitum vel conſtitutionem, *mundus iſte Diluvio obruebatur*. Quod pariter multis oſtendimus, liquidiſque rationibus, in Theoriâ: ſcilicet Orbem illum Terrarum Abyſſo ſuperſtructum, obnoxium fuiſſe diſſolutioni: atque ex illâ diſſolutione, lapſuque in Abyſſum ſuppoſitam, ortum eſſe Diluvium univerſale. *L. 1. c. 6.*

Hæc de ſitu Telluris ante-diluvianæ, reſpectu Aquarum vel Abyſſi. Aliud planè eſt ipſius ſitus reſpectu

spectu Solis & Cœli: quem in conclusione illâ, capite secundo propositâ, maximè respeximus. Hunc silet Scriptura Sacra, vel obscurè significat: Sed authores exotici hujusce situs non pauca retinuerunt indicia, nec obscura: prout infra videbimus. Id tantùm quærendum hìc restat, Qualis esset, suppositio illo situ Telluris ante-diluvianæ respectu Aquarum & Abyssi: Qualis, inquam, esset ipsius superficies? aspera & montosa, vel lævis & æquabilis? æquabilis proculdubiò, si ubique superincubuit Abyssò; Formam enim ipsius sequeretur, ut glacies aquæ supposititæ. Neque ulla esset ratio aut causa inæqualitatis in hoc orbe Terrarum: nulla origo montium, scopulorum, salebrarum, aut quarumcunque asperitatum. Denique, quoad mare, vides inclusum esse in visceribus Terræ, sub nomine Abyssi: latuitque absconditum usque ad diruptionem magnam in Diluvio: *cùm aquâ inundatus periit mundus ille Antiquus.*

Hactenùs quadrant omnia ad illam, quam dedimus, Telluris primigeniæ ideam vel descriptionem. Quadrant, inquam, omnia in his authoribus sacris. Sed quid ad hæc alii Authores? Fateor apud veteres parciùs & tenuiùs tractari hoc caput de Formâ Telluris primæ: Hanc, fertilem, fœlicem, aureamque dixêre, sed formæ ipsius vix meminerunt. Sæpe quidem comparant Ovo: quod, præter alia in quibus conveniunt, superficiem testamve habet lævem & æqualem, sed nihil memini de Montium natalibus aut origine apud gentes. Authores quidam Christiani, mediæ aut sequioris ætatis, Terram ante Diluvium æquabiliorem fuisse hodiernâ, si non penitus æqualem, ausi sunt affirmare. Ita *Beda*[a], *Historiæ*[b] *Scholasticæ author*, *Glossa ordinaria*[c], *Alcuinus*[d], *Rabanus*

a *In 2 Pet. 2. 5. & de sex dierum ætat.*
b *c. 34.*
c *In Gen. 7.*
d *Interrog. 118.*

*banus Maurus*, aliique. Sed horum authoritas, in se spectata, non est magni ponderis: at quatenus sunt veterum sequaces, & traditione tacitâ receptam, vel ex antiquis & ineditis manuscriptis haustam, deferunt ad nos sententiam, aliunde verisimilem, testes sunt non contemnendi. Sed pergamus ad reliqua.

---

# CAP. IV.

## *De naturâ, modo, & causis Diluviorum: & potissimum de universali.*

SEquitur disquisitio de Diluvio, cujus hìc meminit Apostolus, eoque periisse ait Mundum Antiquum. Quale autem fuit hoc Diluvium, ex quibus causis originem traxit, quâ ratione obruit terrarum orbem, ardua est, & ab omni ævo agitata, quæstio; Nos ad hunc nodum expediendum, in *Theoriâ Telluris* tria præstitimus: primò, quantitatem aquæ requisitæ ad Diluvium universale, quod maximorum montium cacumina tegeret & involveret, investigavimus: Comperimusque manifesto calculo, eam superaturam esse molem & magnitudinem octo minimùm Oceanorum. Secundò, tantam aquarum vim nullibi reperiri posse, si omnes aquæ thesauros, sive in Cœlo, sive in Terrâ, sive denique subterraneos, exhaurias: claris rationibus ibidem ostenditur. Tertiò, si quomodocunque, aut undecunque, adducta *L. 1. c. 2, 3.*

adducta esset in Terras hæc prodigiosa aquarum massa, eandem amoliendi nulla esset ratio: neque modus cognitus, aut possibilis, absumendi, aut aliunde derivandi, tantam aquarum congeriem. Ex hisce tribus capitibus, unà collatis, rectè probatur, Hodiernam Terram non esse obnoxiam Diluvio: neque, ratione suæ formæ & situs, ejusdem capacem. Secundò, Terram ante-diluvianam alterius fuisse formæ & situs ab hodiernâ: aliter istoc genere fati non periisset. Saltem non ob dispositiones suas naturales prout nos docet Apostolus. Denique, suppositâ illâ formâ & situ, sive illa constructione, quam anteà dedimus, antiquæ Telluris, super faciem Abyssi: (quæ tam scriptoribus sacris, quàm naturæ legibus rerumque ortui ex Chao, est conformis:) ex illius dissolutione, lapsuque in Abyssum suppositam, oriretur Diluvium universale. Idque tale, quod singulis phænomenis responderet, omnibusq; occurreret objectionibus; Neque enim inopiâ aquarum laboraret hæc hypothesis, neque easdem aquas abducere & amoliri, finiente Diluvio, difficile esset; & quæcunque alia vulgares hypotheses premunt incommoda, in hâc nullum locum habent, aut nullam vim exercent.

At dices forsan, hujusmodi hypothesin de dissolutione Terræ, & eruptione Abyssi, respondere quidem omnibus phænomenis, tam Diluvii universalis, quàm hodiernæ Telluris, sed hanc dissolutionem esse fictitiam, sive gratis dictam. Respondeo, Hypothesis illa, quæ singulis subjectæ materiæ phænomenis competit & congruit, non habetur fictitia, aut gratis dicta; suas partes explet, suo officio fungitur, & in iis rebus naturalibus quæ non subjiciuntur oculis, nulla est alia philosophandi aut veritatem indagandi ratio, quam per hujusmodi Hypotheses. Sed quoad dissolu-

diſſolutionem Terræ & diſruptionem Abyſſi in Diluvio, duo ſunt prætereà obſervanda: primò, quid de hâc re tradidit hiſtoria ſacra. Secundò, quid hiſtoria naturalis Diluviorum, de modo & cauſis eorundem prodidit: Si Terræ hiatus, ſi eruptiones aquarum, & ſimilia, in minoribus diluviis, tanquam propria & adjuncta, memorat: in maximis multo magis his cauſis gravioribus opus eſſet.

Quoad primum igitur, memorat *Moſes* in hiſtoriâ Diluvii, diſruptam fuiſſe tunc temporis magnam Abyſſum, ſive *Tehom-Rabbah*, quod fieri non potuit ſine ruptione vel diſſolutione Terræ. Prætereà, hanc diſruptionem ſtatuit cauſam primariam Diluvii: exierunt itaque vel eruperunt aquæ ſubterraneæ ex hâc Abyſſo, quæ terrarum orbem inundabant. Neque tantùm hiâſſe Terram, ſed etiam prolapſam eſſe in ſuppoſitam Abyſſum, id ſatis arguit, quòd aliàs non expulſæ fuiſſent è ſuis ſedibus aquæ ſubterraneæ: multò minùs ſeſe efferre potuiſſent ad altitudinem maximorum montium, nullo facto in eas impetu aut impulſu. Denique, cùm Diluvium de quo loquitur *Moſes*, non eſſet huic aut illi regioni proprium, ſed diffuſum per terrarum orbem, inde liquet, ruinam illam vel diſſolutionem Terræ, quâ emotæ & expulſæ erant aquæ, fuiſſe generalem: parteſque omnes noſtræ hypotheſeως, narratiunculam illam *Moſis* paucis complecti & comprobare.

Huic diſruptioni *Tehom-Rabbah*, non diſſimilis eſt locus in Hiſtoriâ *Jobi cap.* 38. ubi natales Oceani celebrantur, cum prodiit ex utero Terræ; Ita enim intelligo *uterum* illum, unde dicitur erupiſſe mare: fractis clauſtris quibus occludebatur. Verba hæc ſunt, ſecundum Septuaginta: ἔφραξα δὲ θάλασσαν πύλαις, ὅτε ἐμαίμασσεν, ὡς κοιλίας μητρὸς αὐτῆς ἐκπορευομένη.

ρευομένη. *Concluſi autem portis mare, cum fremeret, ex utero matris ſuæ egrediens.* Quæ ità explicuit interpres: Τὸ ἐμαίμαοσεν, ἀντὶ τοῦ, οἷς ἐα ὁρμητικῶς εἶχε· καθάπερ τι βρέφος ἀποκυηθῆναι τῆ ἀβύσσου ἠπείγετο; *Fremeret* vel *fureret*, id eſt, *violentò impetu ferretur, impulſa ad exeundum ex Abyſſo, tanquam infans ad partum.* Conveniunt ferè omnes per *uterum*, hìc intelligi Abyſſum, magnam matrem Oceani: & in Paraphraſi Chaldaicâ legitur expreſsè מִן תְּהוֹמָה *de Abyſſo.* Sed cum duplex fuerit, ſecundum nos, Abyſſi ſtatus, laxus & diffuſus, cùm Terræ ſuperficiem undique tegebat, in primâ rerum formatione. Dein, incluſus in utero aut viſceribus Terræ, unde tempore Diluvii erupit: Quæritur de quo ſtatu Abyſſi, primo vel ſecundo: aperto vel clauſo, accipienda ſunt hæc verba. Manifeſtum mihi videtur, cùm de *eruptione* maris *ex utero* ſermo eſt, id velle, mare fuiſſe clauſum antea, inſtar fœtûs in utero; & exinde prodiiſſe, viis recluſis, vel fractis repagulis. Nam in Abyſſo apertâ, diffuſâ, & fluitante in ſuperficie Globi, nullus eſſet uterus, nulla eruptio ex utero. Rectè igitur vetus interpres *Jobi, Hoc factum*, inquit, *cum omnes fontes Abyſſi magnæ aperti erant: proinde vulvam, Terræ matris ſinum æſtimo.* Quod pluribus exponit confirmatque Caſp. Sanctius in locum. Neque fruſtra quidem: neceſſe eſt enim per hunc uterum, magnum aliquem ſinum aut receſſum intelligamus, eumque ſubterraneum; unde prorupiſſe dicitur Oceanus, vel tanquam partus, vel proluvies aquarum, quæ ſequi ſolet partum.

Gen. 1. 2.

Quæ prætereà ſequuntur de fotu & involutione hujus fœtûs recens nati, eodem ſpectant: cœlique & aëris faciem, æſtuante diluvio, eleganter exprimunt. *Quum ponerem nubem, veſtimentum ejus:*

Ver. 9.

&

*& caligine, tanquam faſciis, aut pannis infantiæ, obvolverem.* Durante æſtu aquarum Diluvialium, & labentis mundi tumultu, nebulis, & nimbis, & excuſſis in altum fluctibus, impletæ erant omnes terris vicinæ regiones. Atque his nubibus, & caliginoſo aëre, quaſi mollioribus pannis, involutum erat mare, cùm primùm, ex utero magnæ Matris Terræ, non dicam in lucem prodiit, ſed in auras qualeſcunque prorupit. Ἐθέμην δ αὐτῇ νέφος ἀμφίασιν. ὁμίχλην δ αὐτὴν ἐσπαργάνωσα.

Neque minus congruit quod ſequitur, *vers.* 10. de hodierno maris alveo, & appoſitis in litore rupibus & vallis, quibus coërcentur ipſius fluctus. *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia. Et dixi, uſque huc venies, & non procedes ampliùs: & hìc confringes tumentes fluctus tuos.* Ita vulgata. Paulò aliter Tremellius: *Cùm diffregi pro eo Terram decreto meo: & appoſui vectem & valvas. Dicens, hucuſque venies, & ne procedito: & hìc opponet ſe litus ſuperbiæ fluctuum tuorum.* Eodem res redit ex utrâvis verſione. Terræ mariſque poſt-diluvianorum formam & ſitum hæc verba definiunt, cum laxatas & ſævientes aquas, ad ſuos alveos, ſub fine Diluvii, relegavit & reſtrinxit Deus: obiceſque poſuit & repagula in oris maritimis, ſecundum fœdus cum Noacho initum, ne denuò inundarent terras.

Alia ſunt ſacrorum ſcriptorum loca, quæ diſſolutionem Terræ ſignificare videntur, idque in Diluvio. Propheta *Iſaias*, mundi cladem & diſſolutionem deſcripturus, incipit ab iiſdem verbis quibus uſus eſt *Moſes*, in deſcriptione Diluvii, אֲרֻבּוֹת מִמָּרוֹם נִפְתָּחוּ: nec aliter utrobique *Septuaginta*, Θυρίδες ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἠνεῴχθησαν. Unde cætera quæ ſequuntur in eâdem deſcriptione, ad Diluvii formam modumque pariter alludere cenſenda ſunt. Verba autem prophetæ ſic *Iſa.* 24, 18, &c.

se habent. *Cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta Terræ. Confractione confringetur Terra: Contritione conteretur Terra: Commotione commovebitur Terra: Agitatione agitabitur Terra, sicut Ebrius.* Hæc, ut vides, Terræ motus, dissolutiones, concussiones, & omne genus ruinarum, indicant. Quæ, si ad futurum mundi excidium referenda censeas, saltem ex præterito futurum describere videtur Propheta, & in utroque perturbatum
Isa. 54. 9. & dissolutum Terrarum orbem supponere. In altero ejusdem Prophetæ loco, ubi de Diluvio agitur, ait Deus se fœderi & promissis Noacho factis, semper staturum: neque montes aut colles in posterum commoturum. Verba secundum Septuaginta, hæc sunt. Ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ὅτι Νῶε, τοῦτό μοι ἐστί. Καθότι ὤμοσα αὐτῷ ἐν χόλῳ, τῇ γῇ μὴ θυμωθήσεσθαι ὅτι σοί ἔτι, μηδὲ ἐν ἀπειλῇ σου τὰ ὄρη μεταστήσεσθαι, οὐδ' οἱ βουνοί σου μετακινηθήσονται. *Ab aquâ quæ fuit sub Noe, hoc mihi est: sicut juravi ei in tempore illo, Terræ nequaquam ultra irasci propter te, neque in comminatione tuâ montes transferre, neque colles tui commovebuntur.* Hoc exemplar innuit, eversas fuisse terras, divulsas, & suis sedibus emotas, in Diluvio: Deumque jurâsse ait, hæc nunquam reditura, neque ideò Diluvium.

Sacrorum Authorum loca alia, quæ de subversione aut dissolutione Terræ verba faciunt, Diluvii universalis tempus statumque, tanquam mundi naufragium, atque iræ divinæ monumentum maximum, respicere mihi videntur. Cujusmodi sunt illa dicta *Jobi, c. 9. 5, 6. & c. 12. 14, 15.* Atque illud Prophetæ, *Amos c. 9. 5, 6. Jehovah tangente Terram, dissolvitur: Conscenditque quasi rivus totam, quasi rivus Ægypti, & submergitur,* &c. Illud etiam *Haggai* (*c. 2. 6.*)

De

*De duplici Concuſſione Cœli, Terræ, Maris, ſicci:* Præteritâ & futurâ: quicquid figuratè ſignificet, utì *futuram* de Conflagratione, ita *præteritam* de Diluvio, φυσικῶς interpretor. Denique in Pſalmis, de concuſſione Terræ & fundamentorum ipſius, ſæpiùs fit mentio: Et quandoque afflictæ & periclitantis Eccleſiæ conditio, quam Arca Noæ repræſentabat, verbis, quæ vim & æſtum ipſius Diluvii notant, adumbratur. *Pſ.* 42. 7. *&* 46. 1, 2, 3. maximè verò *Pſal.* 18. ubi per omne genus tempeſtatum, & cœli & terræ motuum, ſcena Diluvii, ut mihi videtur, vividè depingitur. *Tum commota tellus contremiſcere cæpit, & concuſſæ montium moles cohorreſcere: namque iratus ille.* *Ver.* 8, 9, 10, 11, &c.

*Fumum naribus exhalans, ardentem ignem faucibus ejaculans, & carbonibus exardeſcens.*

*Proclinato cœlo deſcendebat, & ſubjectâ ſuis pedibus caligine.*

*In Cherubo inequitans volabat, ſeque alis venti librabat.*

*Circumdederat autem ſibi quaſi latibulum tenebrarum, atrarumque aquarum, & ætherearum nubium quaſi umbraculum.*

*Quibus nubibus ad ejus præſentiæ fulgorem diſcuſſis, grando & candentes emicabant carbones.*

*Tum Jova ſupremus de cœlis intonare, cumque fragore grandinem & igneos agere carbones.*

*Telaque ſua jaculans illos diſſipare, & crebris reddere fulguribus attonitos.*

*Ad has Jovæ minas, & ſpirantem ex ejus naribus ventum, aperti ſunt aquarum gurgites, & fundamenta Orbis habitabilis patefacta.*

*Tum ille me deſuper recipiendum, & ex tam multis aquis curavit extrahendum.*

Hi motus & procellæ, quæ numinis præsentiæ, (ut solent omnia magna, apud Prophetas) attribuuntur, nullibi occurrunt aut locum habere possunt in historiâ sacrâ, nisi sub tempore sævientis Diluvii: cùm ruptâ Abysso magnâ, & effusis nimborum Cataractis, cœlum terris misceri videretur. Neque multò dissimilem Naturæ faciem in Diluvio, tam
M p. 279. quoad cœlum quàm terram, depinxit Philo Judæus, tractatu de *Abrahamo*. Ubi, cum aquarum undique confluxus motusque turbulentos, descripserat, subdit, πάντα τὴν οὐρανὸν βαθὺ καὶ σύνεχες νέφος ἐπεῖχε, καὶ πνεύματα ἦν ἐξαίσια· πάταγοι δὲ βροντῶν καὶ ἐπιλάμψεις ἀστραπῶν, καὶ κεραυνῶν φοραὶ, καὶ καταῤῥηγνυμένων ὄμβρων ἀπαύστων, ὡς νομίσαι τὰ μέρη τοῦ παντὸς εἰς μίαν φύσιν τὴν ὕδατος ἀναστοιχειούμενα σπεύδειν· ἕως τοῦ μὲν ἄνωθεν καταῤῥάττοντος, τοῦ δὲ κάτωθεν ἐπανίοντος, μετάρσια ἤρθη τὰ ῥεῖθρα, οἷς οὐ μόνον ἡ πεδιὰς καὶ ὅση χθαμαλὴ κατακλυσθεῖσα ἠφανίσθη, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑψηλοτάτων ὀρῶν αἱ κορυφαί. Πάντα γὰρ τὰ μέρη τῆς γῆς ἔδυ καθ' ὕδατος, ὡς πᾶσαν καθηρπάσθαι, καὶ τὸν κόσμον ἀκρωτηριασθέντα μεγάλῳ τμήματι, τὸν παντελῆ καὶ ὁλόκληρον, ὃ μήτε εἰπεῖν, μήτε νοῆσαι θέμις, λελοβῆσθαι δοκεῖν. Ἀλλὰ γὰρ καὶ ὁ ἀὴρ ἔξω μέρους βραχέος τοῦ κατὰ σελήνην, ἅπας ἀνήλωτο, νικηθεὶς ὑπὸ τῆς τοῦ ὕδατος βίας καὶ φορᾶς. Denique ait, πάντα τὰ τοῦ κόσμου μέρη, δίχα τῶν κατ' οὐρανὸν, ἐκινήθη παρὰ φύσιν, ὡς ἂν βαρεῖαν καὶ θανατώδη νόσον νοσήσαντα. Quùm nullibi repererim apud veteres uberiorem Diluvii descriptionem, nec imaginem magis vividam: hæc dicta, longiuscula licet, referre non gravabar; quæ ita ferè reddidit Interpres. Nec aër quiescebat interim, *Obtecto cælo toto densis & continuis nubibus, procellis quoque furentibus; simul tonitruum crepitus, micationes fulgurum, ictusque fulminum, & cum impetu dejecti imbres perpetui, faciebant,*

*bant, ut videretur totus mundus abire & dissolvi in naturam aqueam. Donec è supernis Cataractis, infernisque fluentis, tanta moles undarum succrevit, ut non campi tantùm, & depressa loca operirentur, sed & altissimorum montium cacumina. Omnes enim Terræ partes submersæ sunt, ut, illâ ereptâ, mundus magnâ sui portione mutilaretur: & qui priùs integer illæsusque fuerat, mancus, (* quod cogitatu, dictuque nefas est) esse vederetur. Quin & aër, nisi quà Lunari circulo vicinus est, pene totus absumptus erat, victus aquarum violentiâ & impetu, quæ regionem ejus penitus invaserant. Denique omnium mundi partium, præter cœlestes, natura laxata fuerat, quasi morbo quodam gravissimo & fatali correpta.* Multa sunt, ut vides, in hâc delineatione Diluvii, sacri Prophetæ verbis cognata & affinia: procellas & turbines, fulgura & fulmina memorat, densosque nimbos, quasi liquefacto cœlo, & confusâ mundi compage. Fatendum est tamen, virum eloquentissimum ad prophetici sermonis altitudinem assurgere non potuisse. Neque verbis quidem exprimi potest, aut animo concipi, tristis naturæ imago, durante æstu Diluvii. Quod Cœlum, Quas Terras, Quem Aëris vultum, pingemus? Cœlum sine Sole aut Syderibus: Fractas aut læsas ubique Terras: hiantem Abyssum: Aërem, aquis, tenebris, & intermicantibus ignibus, horrendum: præter turbines, fluctuum collisiones, & ruentium molium fragores & tonitrua. Denique, hoc modo confusis omnibus, aut primum Chaos, aut supremum Diem, in hoc mundi naufragio videre videor. Sed de Diluvio satis, quoad Authothores sacros.

* *Scilicet Philo voluit mundum esse incorruptibilem.*

Consulenda est deinceps Historia prophana, & Authores exotici: nempe quid illi prodiderint de modo

modo & cauſis diluviorum, quæ ſcriptis mandârunt, & quorum nobis conſervârunt aliqualem memoriam, nunc in his, nunc in illis regionibus. Atque id auſim dicere generatim, maxima, quæ ab hiſtoricis traduntur, diverſarum regionum diluvia, ab iiſdem cauſis proveniſſe, aut ab eodem cauſarum ordine, quo Oecumenicum illud jam ſupra explicuimus. Nempe à diſruptione terræ, lapſuque in hiatum ſuppoſitum, aquis repletum; unde aquæ illæ ſubterraneæ, ruentis molis impetu expreſſæ & eliſæ, Campos aut provincias circumvicinas inundant. Prætereà, hanc diſſolutionem terrarum comitari ſolet, aut præire, Terræ motus: quo ſolum concutitur, & à ſitu ſuo impellitur. Denique, regiones cavernoſæ, utrique horum, tam Eluvionibus, quàm Terræ motibus, præ aliis ſunt obnoxiæ. Hæc ſummam cauſæ complectuntur, atque horum omnium teſtem adducturi ſumus hiſtoriam naturalem: & exemplis inde petitis, quod ſuperiùs expoſitum fuit in deſcriptione Diluvii univerſalis, id ſæpiùs in aliis occurriſſe, ſub minori mole, & quaſi minoribus tabellis depictum videbimus.

Tribus modis in genere, contingere ſolent Inundationes: aut irruptione maris in terras humiles, dirutis ſuperatiſve aggeribus, à naturâ vel ab arte factis. Aut immodicis pluviis. Aut denique eruptionibus aquarum ſubterranearum. Prima non fit niſi in terras humiles, ut dixi: ipſius maris ſuperficie depreſſiores; neque altiùs aſſurgunt aquæ, aut longiùs graſſantur, niſi æſtu aliquo, aut ſubitâ tempeſtate propulſæ. Quare hujuſmodi Eluviones contingere non poſſunt, niſi in regionibus maritimis: iiſque non arduis aut montoſis. Quoad ſecundum genus inundationum, cùm ſenſim fiant, permagnæ eſſe

eſſe non poſſint; Primarum enim pluviarum aquæ elapſæ ſunt, antequam ultimæ aut penultimæ accedunt: ideoque prata tantùm, aut fluminibus contiguos campos, aut pagos, obruere ſolent: neque in iiſdem diù morari, cùm per fluviorum alveos facilè exonerentur, & in mare decurrant. Et notare hìc licet, utì nullâ Oceani exundantiâ, propter ipſius ſitum, terris humiliorem: ità nec ullis pluviis, oriri unquam poſſe Diluvium univerſale; Quoniam, quantumcunque aquarum fingas ex terrâ & aquis eductum, cùm in pluvias coactum redit ad eaſdem terras & aquas, non niſi tantundem loci occupabit quantum antea occupaverat: ut nulla inde effici poſſit generalis inundatio. Verum quidem eſt, primo impetu, cum terra nondum imbiberit ſuam partem, erit quædam eluvies: at ubi, factâ diſtributione, natura ubique ſuum repetierit, redeunt omnia ad priſtinum ſtatum: & pluviis tantum aquæ reficitur, quantum vaporibus exierat. Tertium denique Diluviorum genus, quod à terræ-motibus & eruptionibus aquarum ſubterranearum oritur, graviſſimum eſt, & funeſtis cladibus, ſive rerum naturam ſpectes, ſive genus humanum, infame. Hinc abſorptæ Inſulæ quandoque, aut continentis tractus magni ſubmerſi, montes in voragines mutati, & Terra firma in mare; Denique, mutationes maximæ & transformationes, quas in hodierni orbis facie oriri cernimus, aut olim ortas novimus, hinc originem traxêre. Neque minùs in homines & animalia graſſantur hæc diluvia, Civitates cum ſuis incolis hinc deletæ, agri & ſylvæ cum feris, & regiones terræ cum ſuo qualicunque apparatu: ut, magni & œcumenici Diluvii, quo periit totus terrarum orbis, vera ſint compendia.

De

De his igitur diluviis nobis agendum est speciatim, & è multis nonnulla seligenda, ex quorum intuitu & comparatione cum maximo illo & mundano, ipsius causas, & modum, & rationes omnes, ab ipsâ historiâ edocti, & exemplis cognatis, faciliùs agnoscamus. Meminimus alibi, in hâc materiâ, subversionis *Sodomæ* & *Gomorrhæ*, & regionis *Pentapolis*, horrendæ quidem cladis: quam, utì sulphuris imbribus à cœlo dimissis inchoatam, ità accedente magnâ terrarum disruptione & aquarum, quæ subtus latebant, exundantiâ, perpetratam & perfectam esse novimus. Licet enim *Moses* non meminerit explicatè nisi sulphuris & ignis cœlitus illapsorum hisce urbibus & locis, cum ei in usu sit causas maximè mirabiles & divinas recensere, cæteris silentio prætermissis; utitur tamen iis vocibus quæ *subvertere* & *subversionem* significant, & quæ à Septuaginta ibidem & alibi sæpiùs reddi solent per κατασρέφειν. Unde Sanctus *Petrus* utriusque ordinis causas conjungere videtur, 2 *Epist.* 2. 6. cùm dicit τεφρώσας κατασροφῇ κατέκρινεν, *in cineres redactas subversione damnavit.* Ambas etiam causas complexus est *Strabo*, & uberiùs exposuit utriusque signa & reliquias, in Lacûs Asphaltitis qui inde exortus est, descriptione; δεικνύουσι, inquit, Πέτρας τινὰς ὑπεκκαυμένας τραχείας καὶ σύρριγας πολλαχοῦ καὶ γλῶ τεφρώδη. Κατοικίας δὲ ἀνατέτραμμένας σποράδην· ὥστε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ὡς ἄρα ποτὲ τετρακαίδεκα πόλεις ἐν ταύτῃ, ὧν ἡ μητρόπολις Σοδόμων, σώζοιτο κύκλῳ ἑξήκοντά που σταδίων ὑπὸ σεισμῶν καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς, καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη περιέσοι, καὶ πέτραι πυρίλιπλοι γένοιντο· αἵτε πόλεις αἱ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δ' ἐκλείποιεν οἱ δυνάμενοι φυγεῖν.

*Theor. sac. l. 1. c. 6.*

הפך & הפרה

*Li. 16. m. p. 764.*

*Ostendunt*

*Oſtendunt petras exuſtas & aſperas & cavernas cæcoſve meatus, & terram cineroſam, & habitationes hinc inde everſas; quæ cuncta fidem faciunt famæ apud indigenas receptæ: In hoc loco tredecim urbes olim habitatas fuiſſe, quarum caput Sodoma adhuc ſexaginta ſtadiorum habeat ſuperſtitem ambitum: terræ autem tremoribus, & ignis aquarumque calidarum & bituminoſarum & ſulphurearum eruptione, extitiſſe lacum, ſaxa ignem concepiſſe, urbium alias abſorptas, alias à fugientibus incolis derelictas.*

Hæc ſatis explicita ſunt, neque plures teſtes adducere opus eſt, cùm res ipſa loquatur, viditque omnis poſteritas, videatque hodiè, in regione illâ Pentapoli ſive Aſphaltidis, triplicis exitii veſtigia, per ignem, aquam, & abſorptionem.

De his igitur urbibus, & agris Sodomiticis ſatis; Alias jam videamus, quæ ab iiſdem cauſis, nempe Terræ-motibus diluvialibus, ut ita dicam, obrutæ perierunt. Licet enim diſtinguere Terræ-motus in illa duo genera, Siccos & Diluviales: Diluviales autem ſunt *Chaſmatiæ*, ut dicuntur. *Qui grandiori motu*, ut verbis *Am. Marcellini* utar, *patefactis ſubitò voratrinis, terrarum partes abſorbent, ut, in Atlantico mari, Europæo orbe potior inſula: & in Criſæo ſinu, Helice & Bura: & in Ciminiâ Italiæ parte, oppidum Succinienſe: profundo hiatu abſorpta, æternis tenebris occultantur.* L. 17. Cúmque in profundis terræ cavitatibus ſemper lateant aquæ, hi motus Chaſmatiæ fere ſemper ſunt Diluviales: ſi enim Terra rupta propendeat & ſubſidat in ſuppoſitam voraginem, proruunt aquæ & impetuosè circumquaque projiciuntur, ut non tantùm præceps ruat quicquid incubuit illi terrarum tractui, ſive ſylvæ, ſive oppida, ſive animalia; ſed etiam vicinæ regiones integræ licet & infractæ, ex

aquarum, quæ eructantur, impetu & diffusione, damnum cum cæteris sæpe participent. Rectè igitur Neptunum, & diluviorum & terræ-motuum Deum,
*Lib. 15.* finxerunt Antiqui, referente *Diodoro*, qui cùm irato Neptuno subversionem Buræ & Helices, de quibus posteà, attribuisset, rationem sententiæ suæ subdit διὰ τὸ τῶν σεισμῶν καὶ τῶν κατακλυσμῶν, τοῦτον τὸν θεὸν ἔχειν διαλαφθῆναι τὴν ἐξουσίαν, *quod terræ motus & diluvia Deus iste in potestate habere credatur.* Id etiam observare licet, easdem regiones esse εὐσείστους καὶ εὐκατακλύστους, cùm à communi causâ ea proveniant, nempe cavernosâ terræ substructione. Unde non malè
*Lib. 1. p. 378.* observatur à Strabone de Phrygiâ ipsiusque terræ moribus frequentioribus, ἐμφαίνων ἅμα τὸ πολύτρητον τῆς χώρας καὶ τὸ εὔσειστον, addi etiam potuit καὶ τὸ εὐκατάκλυστον: illud enim quod appellat τὸ πολύτρητον *cavernosum* vel *foraminosum* utriusque causas continet. Hanc etiam cavernositatem notavit in *Eubœia*, (*l.* 10. *p.* 447.) atque etiam in *Bœotiâ* (*l.* 9. *p.* 406, 407.) Eandem de *Peloponneso* memoravit Diodorus Siculus.
*Lib. 15.* Unde regionem Græciæ, & contiguam ex utrâque parte, tam Asiæ quàm Europæ, juxta litora Ægæi, & sursum versus Euxinum & deorsum secundum oram Mediterranei, voraginosè constructam esse facilè suspicarer. Atque in his terris tam diluvia
*Id de Asia minori notat Solinus, c. 43.* quàm terræ-motus frequentiùs contigisse historia testatur.

His ità notatis in genere circa terræ-motus, maximè diluviales, horum aliquot exempla jam recenseamus, neque multùm refert quo ordine. Olympiade 88. contigit ille apud Locrenses qui Civitatem Atalantem cum suo agro à Continente avulsit & in
*L. 12. m. fol. 111.* Insulam convertit. Hujus Historiam præter alios memorat Diodorus Siculus, hisce verbis, τηλικούτου δὲ

δε συνέβη τοὺς σεισμοὺς γενέσθαι κατὰ πολλὰ μέρη τῆς Ἑλλάδος, ὥστε καὶ πόλεις τινὰς ἐπιθαλαττίους ἐπικλύσασαν τὴν θάλασσαν διαφθεῖραι, καὶ κατὰ τὴν Λοκρίδα χερσονήσου καθεστώσης, ῥῆξαι μὲν τὸν ἰσθμὸν, ποιῆσαι δὲ νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Ἀταλάντην. *Tam horrendæ verò tùm Terræ concussiones passim in multis Græciæ partibus acciderunt, ut superinfusa maris unda multis per litora urbibus magnam labem attulerit. Et cùm Locridis antea tractus peninsula esset, perrupto violenter Isthmo, Insulam, quæ Atalantæ nomen gerit, effecerit.* Per terræmotum itidem, in suppositam voraginem, absorpta dicitur à Strabone urbs Eubœia, quæ suæ Insulæ nomen gessit. L. 10.

Terræ-motus quo periit in Bithyniâ urbs *Cyzicum*, cum pulcherrimo ipsius templo, diluvialis erat; referente *Ziphilino* in vitâ Antonini Pii; cùm rem ex parte narrâsset, subdit περὶ δὲ τὴν μεσόγειον ἄνω κορυφῆς ὄρους διαστάσης θαλάσσιόν φασιν ἐκχυθῆναι κῦμα, ἐπὶ πολύ τε τῆς γῆς ἐλθεῖν ῥιπιζομένην τὴν ἄχνην ἀκράτου καὶ διαυγοῦς θαλάσσης. *In mediterreo sive ipsâ terrâ continente, hiante montis vertice, ferunt fluctuum marinorum vim effusam esse, spumamque vel asperginem puri & limpidi maris procul inde in terram projectam fuisse.* Idem *Ziphilinus* in enarrandâ clade Antiochiæ per terræ motum, subsidentiam montium & aquarum effusiones translationesque conjungit, Ὄρη δὲ ἀλλὰ ὑφίζησε, καὶ ὕδωρ πολὺ, οὐκ ὂν μὲν πρότερον, ἀνεφάνη, πολὺ δὲ καὶ ῥέον ἐξελίπει. *Subsidere prætereà alii montes,* (nempe præter Corasium) *& aquæ ubi antea visæ fuerant nunquam, extiterunt, contra nonnullæ, ubi fluxerant antea, defecerunt.* *In vitâ Trajani, p. 251.*

Plures memorantur hujusmodi Terræ-motus diluviales apud authores antiquos, præ cæteris autem infamis est illa, quæ, circa Olympiadem centesimam,

totam ferè Achaiam concussit, & duas civitates, Buram & Helicen, abruptis, ut inquit Orosius, locorum hiatibus devoravit. Meminit hujus cladis Diodorus Siculus, *l.* 15. & pluribus expiicat, quorum
m. fol. 363, 364. hìc summam excerpam; Ἐπὶ δὲ τούτων κατὰ τὴν Πελοπόννησον ἐγένοντο σεισμοὶ μεγάλοι καὶ καταϰλυσμοὶ χώρας καὶ πόλεων ἄπιστοι, &c. ἐγένετο δὲ τοῦτο τὸ πάθος τῆς Ἀχαΐας περὶ δύο πόλεις Ἑλίϰλω τε καὶ Βοῦραν, ὧν τὴν Ἑλίϰλω τε συνέβαινε μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀχαΐαν πόλεων ἔχειν ἀξίωμα πρὸ τοῦ σεισμοῦ. *Sub his* (principibus) *tam enormes in Peloponneso terræ motus & aquarum inundationes per regionem illam & urbes acciderunt, ut res omnem pene fidem excedat. Clades hæc duas præcipuè urbes Achaiæ Helicen & Buram corripiebat, quarum illa maximam inter Achaiæ urbes dignitatem ante terræ motum illum obtinuerat.* Dein hujus causas explicaturus, cùm primò, Irato Neptuno hanc cladem tribuisset, rationem physicam postea
fol. 365. subnectit, πρὸς δὲ τούτοις τὴν Πελοπόννησον κατὰ βάθους ἔχειν μεγάλα κοιλώματα καὶ συστάσεις ὑδάτων ναματιαίων μεγάλας, &c. *Adhæc sunt in Peloponneso magnæ in visceribus terræ cavitates, ubi vasti etiam fiunt aquarum hinc inde confluentium & scaturientium lacus aut conceptacula.* Atque hæc sunt Terræ-motuum & absorptionum & inundationum causæ. Huic exemplo
L. 7. m. p. 447. Buræ & Helices subjungit aliud Pausanias in Achaicis, de Ideâ urbe in Sipylo monte, his verbis, Τοιοῦτό γε δὴ καὶ ἑλάβεν καὶ ἕτερον, τὴν Ἰδέαν ὃν Σιπύλῳ πόλιν ἐς χάσμα ἀφανισθῆναι· ἐξ ὅτου δὲ ἡ Ἰδέα κατεάγη, τοῦ ὄρους ὕδωρ αὐτόθεν ἐρρύη· καὶ λίμνη τὸ ὀνομαζόμενον Σαλόη τὸ χάσμα ἐγένετο. *Tale quid accidit etiam alio loco, cùm Idea, in Sipylo urbs, in hiatum terræ absorpta evanuit. Ex quo autem confracta fuit urbs, statim è monte profluxerunt aquæ, & vorago illa facta est Lacus, vel stagnum;*

*num, dictum Saloe.* Addit dein, ἐν ἐρείπια πόλεως δῆλα ἦν ἐν τῇ λίμνῃ, περὶν ἢ τὸ ὕδωρ ἀπέκρυψεν αὐτὰ τὰ χεμάρρου. *Et in ipso lacu manifestò cernebantur urbis rudera, donec aquarum limosis torrentibus obducta fuerant.* Quod etiam de Helice dicitur. Denique, ut plura exempla non addam, notissima est historiæ demersæ Atlantidis apud Platonem, à Sacerdotibus Ægyptiacis recepta. Quæ licet fabulosa nonnulla, ut solent narrationes antiquæ, admista habeat, alicujus regionis permagnæ, per terræ-motum & aquarum eruptionem, absorptæ, non fallacem memoriam retinet. Sed de his satis.

Ab his exemplis facilè transitur ad causam nostram, & ad partes nostras: Cum enim in minoribus hisce diluviis terrarum hiatus & dissolutiones interveniſſe, ab historiâ edocti noverimus: In maximo illo, de quo agitur, haud æquum est supponere leviores causas. Et quemadmodùm his terris aut urbibus absorptis & demersis, lacus subterraneos subjacuisse constat: ità si totum terrarum orbem, Abysso Magnæ incubuisse, in primâ rerum constructione, supponamus: Eumque dissolutum esse, tempore Noachi: universalis Diluvii causas non minùs conspicuas, quàm in minoribus istis, ante oculos habebimus: effectisque suis atque suis cladibus utrobique pares. Denique, peracto Diluvio, hodiernæ Telluris facies, tam quoad formam, quàm situm, & cætera quæcunque Phænomena, ex his aquis, ex his ruinis, derepentè emergeret. Id quod in Theoriæ libro primo, capite sexto & sequentibus, plenè & perspicuè declaravimus.

Supereſt unicum, quod prætermiſimus, idque præ cæteris celebre, diluvium, Deucalionis intelligo; Quod instar universalis, deleto toto genere humano,

à Græcis exhiberi ſolet. Eſt etiam antiquius Deucalioneo *Ogygium*: ſed præter ipſum nomen, & tenuem rei memoriam, nihil ultra retinemus de modo aut cauſis iſtius inundationis. Quinetiam *priſcus Ogyges* multis eſſe videtur Noachus ipſe, & ſuum diluvium idem cum Noachico: mutatis nominibus, & mutilatâ chronologiâ & hiſtoriâ, quod in rebus pervetuſtis non rarò accidit. Hoc igitur miſſo, alterum Deucalionis pauliſper expendamus, ut ſiqua maneant veſtigia hiantis & diſſolutæ terræ, quod in multis aliis reperimus, in hoc etiam obſervemus. Terram ſciſſam & divulſam fuiſſe in diluvio Deucalionis, teſtatur illud *Apollodori*, τότε δε, de hoc diluvio loquitur, ἡ τὰ κατὰ Θεσσαλίαν ὄρη διέςη, ἡ τὰ ἐκτὸς Ἰσθμοῦ ἡ Πελοποννήσου συνεχέθη πάντα. *Tunc ſeceſſerunt*, vel diſceſſum aut hiatum fecerunt, *montes Theſſalici, & quæ ſunt extra Iſthmum & Peloponeſum, turbata & confuſa ſunt omnia.* Scio, Interpretem Apollodori aliter reddidiſſe διέςη, ac ſi immunes fuiſſent à diluvio hi montes, ſed notum eſt διαςῆναι ea dici quæ ſeceſſum & hiatum faciunt. Atque ità occurrit ſupra in deſcriptione Terræ-motûs in Bithyniâ ex Ziphilino: κορυφῆς ὄρους διαςάσης, inquit: *dirempto vel hiante montis vertice.* Neque aliter rem intelligo de montibus Theſſalicis. Secundum illud *Senecæ*, *Aiunt aliquando Oſſam Olympo cohæſiſſe, deinde terrarum motu receſſiſſe, & ſciſſam unius magnitudinem montis in duas partes.*

περὶ τῶν l. 1.

Nat. Qss. l. 6. c. 25.

Eſt prætereà locus notatu non indignus apud Lucianum, de hiatu Telluris in Templo Hieropolitano: Sacriſque à Deucalione inſtitutis circa hunc hiatum, in memoriam ſui Diluvii. Cùm illius eluvionis hiſtoriam ſecundum Græcos, enaraſſet Lucianus, ſubdit, Τὰ μὲν Δευκαλίωνος περὶ, Ἕλληνες ἱςορέουσι.

Τὰ

Τὰ δὲ ἀπὸ τούτου, λέγεται λόγος ὑπὸ τῶν ἐν τῇ ἱρᾷ πόλει, μεγάλως ἄξιος θαυμάσαι, ὅτι ἐν τῇ σφετέρῃ χώρῃ χάσμα μέγα ἐγένετο, καὶ τὸ σύμπαν ὕδωρ κατεδέξατο. Δευκαλίων δὲ, ἐπεὶ τάδε ἐγένετο, βωμούς τε ἔθετο, καὶ νηὸν ἐπὶ τῷ χάσματι, Ἥρης ἅγιον ἐστήσατο.------ σῆμα δὲ τῆς ἱστορίας τόδε πρήσσουσι· δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἐς τὸν νηὸν ἀπικνέεται, φέρουσι δὲ οὐκ ἱρέες μοῦνον, ἀλλὰ πᾶσα Συρίη καὶ Ἀραβίη, καὶ πέρηθεν τοῦ Εὐφράτεω, πολλοὶ ἄνθρωποι ἐς θαλάσσαν ἔρχονται, καὶ πάντες ὕδωρ φέρουσι· τὸ, πρῶτα μὲν ἐν τῷ νηῷ ἐκχέουσι, μετὰ δὲ ἐς τὸ χάσμα κατέρχεται· καὶ δέχεται τὸ χάσμα, μικρὸν ἐὸν, ὕδατος χρῆμα πολλόν. Τὰ δὲ ποιέοντες, Δευκαλίωνα ἐν τῷ ἱρῷ τὸν δὲ νόμον θέσθαι λέγουσι, συμφορῆς τε καὶ εὐεργασίης μνῆμα ἔμμεναι. ὁ μὲν ὦν ἀρχαῖος αὐτοῖς λόγος, ἀμφὶ τοῦ ἱροῦ, τοῖος δέ ἐστι. *Hæc sunt, quæ de Deucalione referunt Græci. De iis verò quæ postea consecuta sunt, fertur quidam sermo ab iis qui Hieropolim incolunt, magnâ certè admiratione dignus. Quod in ipsorum videlicet regione hiatus quidam Terræ factus fuerit, ac totam illam aquam absorbuerit. Deucalion autem cùm hæc ità facta essent, Aras constituit, & Templum Junoni sacrum, supra hiatum illum, erexit. Signum autem, quo fidem historiæ huic faciant, hoc peragunt. Bis unoquoque anno, ex mari aqua in Templum defertur, afferunt autem illam non sacerdotes modò, sed tota Syria, & Arabia, & qui trans Euphratem incolunt multi, eunt ad mare, atque omnes inde aquam afferunt. Ac primò quidem in Templo effundunt illam, dein in hiatum defluit, recipitque hiatus ille, quamvis exiguus, immensam vim aquæ. Hoc cùm faciunt, ritum & legem Templi istam instituisse aiunt Deucalionem, ut cladis pariter, partæque salutis monumentum esset. Talis est vetus de Templo hoc sermo.*

Est

Eſt quidem hoc inſigne monumentum diſruptæ Terræ in diluvio Deucalionis: quæ diſruptio, tam cladis quàm ſalutis, author erat. Nam ex illo hiatu proruperunt aquæ, & in eodem, deferveſcente diluvio, reſederunt. Utrumque memorant Heliopolitani, & quemadmodum Noachus, finito diluvio, *Aram erexit Domino:* ita & aras & templum conſtruxiſſe dicitur Deucalion, ad celebrandam rei memoriam. Quot denique, & quanti populi confluxerunt ad hunc ritum peragendum Heliopoli? plures utiq; quàm Hieroſolymas unquam adiêre in maximè ſolenni feſto. Et ſi totius orbis incolæ eò conveniſſent, tanto cœtui non impar fuiſſet occaſio: cùm demolito, ut nos credimus, mundo antiquo, mutata fuit naturæ facies. Neque aliter de hâc clade ſenſiſſe videntur veterum illi, quorum meminit *Seneca: Nec ſine concuſſione mundi tanta mutatio eſt* (loquitur de Diluvio univerſali) *ut quidam putant, inter quos Fabianus eſt.* Dein *capite* 29. de eodem argumento hæc habet, *Quidam exiſtimant Terram quoque concuti, & divulſo ſolo, nova fluminum capita detegere, quæ amplius, ut è pleno,* vel Abyſſo & inexhauſto penu, *profundant.* Sed de hiatu & diſſolutione Terrarum in Diluviis, Hæc ſufficiant.

Gen. 8. 20.

Nat. Qu. l. 3. c. 27.

CAP.

# CAP. V.

## *De ſitu Telluris primigeniæ, ad Solem recto: & ſecutis inde proprietatibus; Quales ſunt, Ver perpetuum, ſive perenne Æquinoctium, per totum terrarum orbem: Cœlum Impluvium & ſine Iride. Primorum hominum Longævitas.*

Diſtinximus ſuprà Tellurem Primigeniam ab Hodiernâ, duplici modo, *Formâ* & *Situ*. Situs autem ille diverſus, itidem duplex erat, vel reſpectu ſuæ fabricæ & poſitionis ſuper aquas Abyſſi: vel reſpectu Solis & Cœli. De priori actum eſt: de altero, ſive cœleſti, ſupereſt ut agamus. Quod, cùm in hâc quæſtione primarium ſit, unde aliæ profluunt differentiæ, & conditiones notabiles, eò diligentiùs quærendum eſt, ſi, præter rationes naturales, ſuppetant teſtimonia veterum, ad illum naturæ ſtatum confirmandum.

De Aureo ſæculo, atque ævo Saturni, multa tradidere veteres, à ſæculis noſtris & hodiernâ naturâ, planè aliena: Quæ, tam propter cauſarum ignorantiam, quàm intermiſtas plerumque fabulas, fidem rarò impetrabant. Quibus verò perſpectum eſt, quo

fundamento nititur ille rerum status primigenius, & à quibus causis oritur illud discrimen ab hodierno, iis non difficile erit, à fabulosis vera distinguere, & à spuriis genuina: sepositisque malis, reliqua bono animo amplecti gaudebunt, atque maximi facient, tanquam Historiæ naturalis antiquissimum monumentum.

Primævam Tellurem, quoad rationes Physicas, in secundo libro Theoriæ, satis explicuimus; Neque hìc repetenda sunt istius Theoriæ principia, sed conclusiones; illa autem de quâ agitur impræsentiarum, hæc est: *Situm Telluris primævæ fuisse rectum*, posito, retentoque semper suo axe, in lineâ parallelâ ad axem Eclipticæ. Unde motus cœlorum essent omnes uniformes, cursusque anni simplex & sine temporum differentiis. Quæritur jam, siqua manent vestigia, hujusce formæ anni, hujusce motûs cœli, & mutati deinde rerum statûs in hodiernum.

Ordiamur à Platone, suæ gentis & sæculi ornamento. Qui res divinas plerumque tractat, sed traditiones nonnullas admodùm antiquas, de mundo naturali: de ipsius periodis, Catastrophis, & mutationibus magnis: quas, opinor, in Ægypto peregrè agens à Sacerdotibus collegerat: sparsim proponit; præcipuè verò in tribus Dialogis, *Timæo*, *Politico*, & *Phædone*. De posterioribus tantùm hìc agendum est, & primùm de *Politico* sive de *Regno*. Ubi sub nomine Fabulæ, de Saturni ævo vel regno, geminum Mundi ordinem, primævum ac hodiernum, & utriusque conditiones, exhibet. Ait autem hanc narrationem suam traditam fuisse ab antiquissimis temporibus, & à majoribus nostris qui proximè contingebant primam mundi revolutionem. Ἀπεμνημονεύετο

a p. 271. ὃ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων προγόνων τῶν πρώτων, οἱ τελευ-

τώσῃ

τώσῃ μὲν τῇ προτέρᾳ περιφορᾷ τὴν ἕξης χρόνον ἐγειτόνουν, &c.

In hoc sermone, duplicem ætatem mundi, ut dictum est: ac duplicem naturæ & rerum humanarum statum, distinguit: sub Saturno primum, sub Jove alterum. Et quod maximè spectat ad propositum nostrum, in ævo Saturni dicit, motum cœlorum fuisse uniformem, idque ætatis aureæ, ac fœlicitatis, tam naturalis quàm humanæ, causam fuisse & fundamentum. Posteà verò ingravescente hominum nequitiâ, declinasse rerum naturam, in quandam cœlorum ἀναρμοστίαν, quod, sub Jovis regno, malorum fons & origo extitit. Τότε δὲ ὁ θεὸς μετέβαλεν αὐτὸ ἐπὶ τὸ νῦν σχῆμα. *Tunc Deus universum mutavit in illam quam jam habet formam.* Denique hunc duplicem cœlorum statum, omnium mutationum, quæ nobis in Terris, aliterve contingunt, maximarum, causam esse ait. Quare cùm hunc duplicem ordinem explicuisset, subdit statim, Λογισάμενοι δὲ ξυννοήσωμεν τὸ πάθος ἐκ τῶν νῦν λεχθέντων, ὃ πάντων ἔφαμεν εἶναι τῶν θαυμαστῶν αἴτιον, ἔστι γὰρ οὖν δὴ τοῦτ' αὐτὸ, τὴν τοῦ παντὸς φορὰν τοτὲ μὲν, ἐφ' ἃ νῦν κυκλεῖται, φέρεσθαι, τοτὲ δ' ἐπὶ τἀναντία. *Ex his quæ dicta sunt, rem eam vel passionem, quam omnium esse diximus mirabilium causam, animadvertimus. Est autem hæc ipsa: universi motum quandoque ferri, prout nunc volvitur, quandoque contrario modo.* Dein rem ultra prosequitur his verbis: Ταύτην τὴν μεταβολὴν ἡγεῖσθαι δεῖ τῶν περὶ τὴν οὐρανὸν γιγνομένων τροπῶν πασῶν εἶναι μεγίστην καὶ τελειοτάτην τροπὴν, μεγίστας τοίνυν καὶ μεταβολὰς χρὴ νομίζειν γίγνεσθαι τοτὲ τοῖς ἐντὸς ἡμῖν οἰκοῦσιν αὐτοῦ. *Mutationem hanc existimare oportet omnium cœlestium alternationum maximam & consummatissimam. Quocirca æquum est putare, tunc maximas circa nos, qui intra ipsum cœlum*

P. 269.

P. 270.

*habitamus, mutationes contingere.* Sequitur postea sub-obscura commentatio de corporum nostrorum labefactione, mutato cœli cursu: & eorundem renovatione futurâ, ubi cœlum redierit ad suum motum regularem.

Hoc primum caput atque summa rei est: à cœlorum motu, regulari & irregulari, mundi sublunaris pendere statum, fœlicem vel infœlicem. Notandum verò, id quod ille cœlo tribuit, reverà soli Telluri tribuendum esse: cujus recto vel obliquo situ, oritur in motibus cœlorum illa congruentia vel ἀναρμοστία. Prætereà cùm motus Cœli vel Telluris mutatur, non vertitur in retrogradum, prout fingere videtur: sed ex recto fit obliquus & inclinatus: unde omnia illa phænomena sequuntur, quæ retroacto cœlo attribuit. Sed pergamus ad reliqua.

Ab hoc capite primario alia profluunt, atque illud proximè, *Temporum æqualitas*, sive Annus ἀχείμαντος, absque ullâ tempestatum differentiâ. Id notavit *Plato* his verbis: γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο, τὸ γὰρ τῶν ὡρῶν αὐτοῖς ἄλυπον ἐκέκρατο. *Nudi verò, & sine stratis, sub dio plerumque habitabant: nam anni tempora ita erant temperata, ut iis nulla inde esset molestia.* Scio hæc aliter reddidisse Serranum: sed, nec vim sententiæ, nec vim verborum, conservavit. Prætereà, ex loco, in *Phædone* cognato, satis patet, mens Platonis, ubi ait, Τὰς δὲ ὥρας αὐτοῖς κρᾶσιν ἔχειν τοιαύτην, ὥστε ἐκείνους ἀνόσους εἶναι. Pro ἄλυπον legit Proclus ἄλυτον: sed eodem sensu, in hæc verba, τὸ γὰρ τῶν ὡρῶν κρᾶσιν ἄλυτον ἔχουσι. *Habent enim quatuor anni temporum indissolubile constansque temperamentum.* Denique eodem mihi respicere videtur Plato in *convivio*, Cùm hunc Anni, sive ὡρῶν, statum κόσμιον vel ordinatum, qui olim obtinuit, *Amori* adscribit

*Theol. Plat. l. 5. c. 7. m. p. 260.*

*m. p. 288.*

adſcribit temperato: hodiernum verò, ſive ἀκοσμίαν, ut appellat, intemperato. Sed in re clarâ non diutiùs immorandum.

Præterea, ſpontaneam Terræ fertilitatem: Ferarum manſuetudinem: & in regimine θεοκρασίαν, memorat. Characteres inſignes, quos ab *Iſaia* prophetâ (*cap.* 65. 17, &c.) deſumpſiſſe videretur. Theocraſiam illam ſæpius repetit, unde totum hunc ſermonem de rerum mutationibus introduxerat: de Magiſtratûs origine, variiſque ipſius generibus præcipuè diſſerturus. Ait, in primo rerum ſtatu, Deum ipſum unicè exercuiſſe imperium. Sed degenerante humano genere, & perverſo naturæ ordine, Deum receſſiſſe à mundi gubernaculo, & ſe quaſi abdicâſſe magiſtratu: Permiſsâ hominibus licentiâ mundum regendi ſuo modo. Hæc liberiùs dicta ſunt: rectè tamen, tam primi ſæculi, quàm, mundo renovato, Futuri, *Theocraſiam* indicant. Atque hodierni mundi regimen effrænatum, quaſi mali dæmonis inſtinctu natum, actumque, his tacitè reprehenditur. P. 271, 272.

Denique, licet in his mundi revolutionibus & cataſtrophis, nec Diluvii, nec Conflagrationis, meminerit Plato: Ingentem tamen concuſſionem Cœli & Terræ, ſub hâc rerum converſione, memorat; atque ex illa concuſſione perturbata omnia, & extincta omne genûs animalia. Quod diſſolutioni, cladique, in Diluvio factis, tam mundi animati, quàm inanimis, ſecundum ſententiam noſtram, non obſcurè reſpondet. Dein, Renovationem mundi futuram, & reſumptam Theocraſiam in illo ſæculo, hìc apertis verbis celebrat, ὁ θεὸς πάλιν ἐφέδρευε αὐτῷ τῷ παραλίων ἐγγυμνῶν, τὰ ποσήσαντα καὶ λυθέντα ἐν τῷ καθ' αὐταν περιτέρα περιόδῳ τρέψας, κοσμεῖ τε καὶ ἐπανορθῶν, ἀθάνατον αὐτον καὶ ἀγήρω ἀπεργαζεται. *Deus rursùm*

*rursùm mundi gubernacula repetit, ægrotaſque & diſſolutas in præcedente periodo, mundi partes reſtituens, ornat eas atque emendat: Ipſumque proinde immortalem & ſenectutis expertem conſtituit.* Hæc, Futurum Sæculum, novos cœlos atque novam Terram, auream ætatem redivivam, manifeſtò reſpiciunt; Cùm inſtaurabitur natura priſtina & primæva: eadem Cœli facies, eædem Terræ; &, præſente Numine, res humanæ, ſub divinis auſpiciis & regimine, ſummâ pariter fœlicitate ac pulchritudine gaudebunt.

Sed de his ſatis. Id obiter notandum, Periodos & converſiones Mundanas innotuiſſe quidem Antiquis: ſed de earum numero & ordine iis minus conſtitiſſe. Ex ſacris literis nobis conſtat, Mundum jam ſemel periiſſe, idque in Diluvio: atque iterum ſemel periturum eſſe, in conflagratione: neque plures fore pereundi vices; Has autem ſingulas numerare & diſtinguere non ità promptum erat Antiquis. Denique ut verum fateamur, in omnibus gentium Archæologiis eſt quædam confuſio & perturbatio: atque in hâc ipsâ re, de quâ nunc agitur, id optimè
P. 269. monuit in ſuperioribus Plato: Ταῦτα τοίνυν ἔστι ξύμπαντα ὀκ ταυτῶ πάθη, καὶ περὶ τέτοις ἕτερα μυρία, καὶ τέτων ἔτι θαυμαςότερα· Διὰ δ' χρόνε πλῆθω, τὰ μὲν αὐτῶν ἀπέσβηκε, τὰ δ' διεσπαρμένα εἰρῆλαι χωρὶς ἕκαςα ἀπ' ἀλλήλων. *Cuncta hæc* (loquebatur de converſionibus Mundanis atque ævo Saturni) *ab eâdem causâ proveniunt, & alia præter hæc permulta, his longe mirabiliora: verùm longinquitate temporis, ex iis nonnullorum planè extincta eſt memoria, alia, diſſipata & diſtracta, ſeorſim & ſine nexu memorantur.* Juvabit, non tantum in hoc argumento, ſed in aliis etiam rebus priſcis tractandis, hoc monitum retinere fideliter, & ſæpius revolvere.

Hæc

Hæc ex *Politico Platonis*, de regulari & uniformi cœlorum motu, vel Telluris situ, Annique æqualitate, in primis Mundi sæculis. Sequitur in *Phædone* locus non dissimilis, excutiendus. Notandum verò illud, tanquam Theorema primum in hâc materiâ, & dictorum à Platone, tam in *Politico*, quàm *Phædone*, fundamentum, διττὰς εἶναι διακοσμήσεις, Duas esse mundi constructiones, formâ & situ diversas. Quam diversitatem in *Politico* explicuit ratione Cœli maximè: hìc autem in *Phædone*, ratione Terræ; & sub nomine Telluris cujusdam puræ, & in æthere positæ, multas proprietates enumerat, quæ hodiernæ Telluri minimè congruunt: Nostræ autem primigeniæ, aut novæ futuræ, quàm optimé. Illæ verò dictæ proprietates reduci possunt ad duo capita, Situm & Formam: &, utroque respectu, Telluri primigeniæ aptè accommodari possunt, hodiernæ repugnant.

Primò, quoad situm, supponit Plato Terram suam Ætheream & Paradisiacam hodiernâ nostrâ, non majorem tantùm, sed etiam multo sublimiorem, & quasi in æthere positam. Quemadmodum Patres nonnulli Christiani Paradisum hodiernâ Terrâ altiorem statuerunt, & ferè ad orbem Lunarem evectum. Hoc nihil aliud mihi indicat, quàm primum orbem habitabilem, super Abysso constructum, hodierno reverà fuisse altiorem, & in puriori cœlo, quasi in æthere, positum. Hanc Terram Platonis, cùm memorat *Proclus*, ait *doctrinam illam à sacrâ Ægyptiorum famâ traditam esse*, ὁ δὲ Πλάτων ἡμᾶς μὲν ἐν κοίλῳ φησιν οἰκεῖν, αὐτὴν δὲ τὴν γῆν εἶναι ἄρα ὅλην ὑψηλὴν· ὃ καὶ ἡ τῶν Αἰγυπτίων ἱερὰ φήμη παραδέδωκε. Ità etiam *Plato*, sub personâ *Socratis*, initio hujus sermonis, inquit, ὡς ἐγὼ ὑπό τινος πέπυσμαι: *Quemadmodum à quodam edoctus fui.* Sed hunc errorem erravit *Plato*, quod

P. 109.

Theor. l. 2. c. 9.

In Tim. βι. a. p. 56.

quod duas Terras successivas in unam confuderit: atque cavitates illas, ubi nos ait habitare, cum illâ Terrâ æthereâ simul existere cogitaverit; cùm reverâ, ex primâ illâ æthereâ, fractâ & dissolutâ, Terra altera, quam nos jam incolimus, orta sit. Cujus pars maximè habitabilis sunt campi, valles, & loca depressiora: quæ, respectu montium, aut primæ Terræ sublimioris, sunt quædam cavitates. In hunc ipsissimum errorem inciderunt etiam Patres Christiani, quod senserint Paradisum Terrestrem adhuc extare: Regionem sublimem, lucidam, & amœnissimam: quò delatum iri crediderunt piorum animas post obitum. Id quod etiam voluit hìc noster Philosophus. Sed in excutiendis veterum dogmatis, & antiquitate rimandâ, sive Ecclesiasticâ, sive prophanâ, semper animo insideat illud Apostoli, *Omnia explorate, quod bonum fuerit retinete.* Nisi enim sensum attuleris veterum scriptis, nihil magni inde referes: adeò sunt exesa, mutilata, corrupta aut interpolata omnia. Sed pergamus in instituto.

*P.* 109. Secundò Terram suam Ætheream *Æquilibrem* fuisse ait, & sine omni declinatione; quod de *situ* ipsius *recto*, sine ullâ obliquitate, intelligo. Neque tamen negandum, hoc aliter interpretatum esse Platonem, & ad ipsius situm in medio universi retulisse. Sed illud *Polit. p.* 270. τὸ ἰσορρόπως αν, & τὸ ἀκλινὲς, (cuius & hìc meminit, & antea in ævo Saturni describendo) ipsius axis situm respicit, non sedem in medio Cœlo. Constat autem Platonem, quicquid senex senserit, Hypothesin de quiete Telluris, situque in centro Mundi, cùm hunc dialogum scripsit, secutum esse; Corrigendæ sunt igitur, quæ ex illo errore profluxerunt interpretationes, & ad veritatis normam reducendæ. Quod nos non perperam feciſſe, ex illâ, quæ proximè sequitur, notâ, magis eluceſcet. Tertiò

Tertiò igitur ait, Τὰς ὥρας αὐτοῖς κεᾶσιν ἔχειν τοιαύτλω ὥστε ἐκείνους ἀιόσους εἶν, καὶ χρόνον τε ζῆν πολὺ πλείω τῶν ἐνθάδε. *Anni autem tempeſtates illam habere illic temperiem, ut & morbis careant illius terræ homines, & noſtris ſint multò longæviores.* Anni æqualitatem denotat, ut vides: & Incolarum Longævitatem, in iſtâc Terrâ. Quorum utrumque Orbi noſtro primigenio convenit. Ac utì illa temporum anni æquabilitas provenit à ſitu recto Telluris, ita eandem ſequitur, ut effectus ſuam cauſam, Incolarum Longævitas. Prout à nobis in ipsâ Theoriâ fusè oſtenſum eſt. L. 2. c. 2. & 3.

Hactenus de ſitu Terræ Platonicæ; Quæ ad Formam ipſius ſpectant, juvat etiam breviter recenſere, licet non ſint propriè hujuſce capitis. Supponit primò, Terram illam integram & illæſam eſſe: Noſtram verò laceram, corruptam, & exeſam. Dein de Aquis Subterraneis, & ipſarum conceptaculis, commentatur varia: Sed unum præcipuè memorat Barathrum maximum, διάμπερες τετρημμένον δι' ὅλης γῆς, *Trajectum penitus per univerſam Terram:* aquas omnes recipiens inſtar vaſis penſilis. Hoc autem Barathrum, ſive Tartarus, niſi purum putum figmentum eſſe velis, oriri videtur ex imminutâ & vitiatâ memoriâ Abyſſi magnæ, ſive Tehom Rabbah; quæ primævam Terram interiùs undique circumivit: maximum, quod unquam extitit, aquarum vas & receptaculum. Cætera verò quæ ſequuntur, de Fluviis inferni, Poëtarum fabulas redolent. p. 110. p. 111.

Sed de Formâ externâ ſuæ Terræ, jucundior eſt ſermo. Ait enim ſuperficiem illius Terræ diſtingui & diſpertiri per varias faſcias aut zonas, diverſis coloribus præditas: quæ procul intuentibus aſpectu ſunt pulcherrimæ. Hæc regio purpurea videtur, illa aurea, p. 110.

rea, atque tertia nive candidior: altera denique alterius coloris. Ut pictâ faſciatim veſte totum corpus Terræ niteſcere videatur. Dein, ubique occur-
*Ibid.* rere gemmas & corpuſcula lucida: quæ Sardios, Jaſpides, Smaragdes imitantur, aut pulchritudine ſuperant. Hæc, quid ſibi velint, ſi quæras, reſpondeo, Tellurem primigeniam in ſuas zonas aut cingulos manifeſtò diſtinctam fuiſſe: quæ, faſciarum inſtar, totum corpus ambiebant. Earum autem ſingulæ, pro diversâ qualitate & diſpoſitione ſuæ materiæ, repercuſsêre Solis radios, alio atque alio modo: ac proinde eminùs intuentibus, diversâ facie & coloribus unaquæque reſplenderet. Hujuſmodi faſcias nonnullas obſervare licet in Planetâ Jove, (Qui mihi videtur adhuc in ſtatu primigenio, ſuamque nondum ſubiiſſe diſſolutionem aut Diluvium) ſed propter ingens intervallum, & oculorum noſtrorum debilitatem, non niſi Zonas, aqueas, nigras & macularum inſtar, è Terrâ diſcernimus. Denique, quod Gemmatam dixerit ſuam Terram Ætheream *Plato*; ſplendidiſque corporibus ornatam & repletam: Id forſan nonnullis luſus ingenii videbitur. Hoc tamen ſæpiùs adverti, nec ſine admiratione, Prophetas & Authores Sacros, in repræſentando nobis *Paradiſo*, ſive etiam *novis Hieroſolymis*, his ſemper uſos eſſe loquendi modis, & gemmarum apparatum huic argumento intexiſſe, ut videre eſt apud *Moſem*, (*Gen.*2.) apud *Ezekielem*, (*c.* 28. 13.) & quàm maximè apud Sanctum *Johannem*, (*Apoc.*21.) Ac ſi, in illo rerum ſtatu, novâ & eximiâ luce perfuſa eſſent omnia, vel magnâ ex parte pellucida. Ut quemadmodùm in arenis, lapillis, aut animalculis, ope ſpecillorum, quæ Microſcopia dicuntur, omnium gemmarum luces & colores conſpicimus: Ità fieri poteſt, ut, auctâ oculorum

oculorum acie, & vi Animæ eoſdem conformandi in omnes ſpecillorum figuras, nudis oculis appareant objecta, non minùs ſplendida, ac coloribus variegata, quam artis & vitrorum ope jam exhibentur. Sed de conjecturis noſtris in Platone interpretando, hæc ſufficiant.

Id reſtat unicè ut moneam. Platonem in *Politico* præteritam naturæ faciem, in Saturni regno, deſcripſiſſe: in *Phædone* autem, futuram potiùs, in mundo renovato. Cùm verò idem ferè ſit utrobique naturæ vultus, ſecundum Theoriam noſtram: in primigeniis cœlis & terris, & in novis cœlis & terris, futuris: ad utrumlibet accommodari poſſunt ea Phænomena, de quibus in hoc vel altero dialogo philoſophatur *Plato:* Ea nempe, quæ ad formam vel ſitum Telluris ſpectant. Alia ſunt, apud alios authores, bene multa, de hoc eodem argumento: Sed dignus eſt, qui Solus in ſcenam prodeat *Plato*, totamque ſibi occupet. Cæteris igitur locum parabimus in ſequenti Capite. L. 4. c. 2.

# CAP. VI.

## *De mutato Telluris, Cœlive, Situ: olim recto, hodiè obliquo: & ſecutis inde Phænomenis: aliorum veterum Teſtimonia.*

RElIqui, qui ſequuntur deinceps, teſtes veritatis, in ſuas claſſes diſtribui poſſunt: cùm plures ſint, & diverſi ordinis. Agmen non immeritò ducunt philoſophi: qui de mutato ſitu Telluris, vel poli declinatione, nos iterum iterumque monuerunt. In hâc claſſe ſunt, *Anaxagoras*, *Empedocles*, *Diogenes*, *Leucippus*, & *Democritus:* Platone noſtro antiquiores vel coævi. Horum teſtimonia, ſatis aperta, in *ſecundo libro Theoriæ* adduximus. Quæ Lectori memori non opus eſt repetamus, immemorem verò eò remittimus. Id ſolum monendum eſt hoc loco: In citandis his teſtibus quæritur tantùm de *Facto*, non de *cauſis facti*; neque rationes mutati ſitûs Telluris ab his philoſophis petimus, quas ferè ignorabant: ſed ut ea nobis teſtata faciant quæ ab aliis doctis accepêre, literatâ quadam traditione, circa mutatum Telluris, polive, ſitum. Suas autem conjecturas, quæ cauſæ eſſe poterant tantæ mutationis, nec poſcimus, nec multùm moramur.

cap. 10.

Neque temperare mihi poſſum quo minùs credam, antiquiſſimam famam de *Zonâ Torridâ inhabitabili*, &

& interdicto nobis commercio cum alterâ orbis parte, ab hâc origine profluxiſſe. Quicquid erat terrarum ultra ἡ κεκαυμένην, alium Orbem appellabant veteres: atque Anticthonas illos alterius eſſe generis à noſtris crediderunt. Idque propter interpoſitam Zonam torridam, quam non tantùm inhabitabilem duxêre, ſed etiam inacceſſam aut impermeabilem. De utrâque re exempla alibi ex antiquis retulimus, & utriuſque cauſas faciles reddit Theoria noſtra. Sunt enim hi errores veteris veſtigia veri. Biſectus erat terrarum orbis in primo ſuo ſtatu, atque Zonâ torridâ, cui ſemper imminebat Sol, tanquam igneo muro, in duos mundos diremptus: ubi verò Tellus ſuam ad Solem poſitionem mutâſſet, illa Zona media, & pervia & habitabilis evaſit. Manſit autem apud poſteros pleroſque, mutationis iſtius ignaros, eadem fama & fides de ſolitudine æſtuq; intolerabili mediarum Terræ regionum; donec navigatione certiſque experimentis deprehenſum fuit, partes illas terræ multò temperatiores eſſe quàm communis ferebat opinio: & tam generi noſtro, quàm cæteris animantibus, ſedes præbere non incommodas. *Theor. l. 2. c. 6.*

Inter Aſtronomorum inventa, celebrantur à veteribus *Zodiaci Obliquitas*, *Annique tempeſtates*. Quæ niſi aliquo modo nova fuiſſent phænomena, eorum obſervatio nihil laudis meruiſſet. Utrumque adſcribitur Thaleti, viro præſtantiſſimo, Phyſicorum & Aſtronomorum Coryphæo. Τάς τε ὥρας τῶ ἐνιαυτῶ φασὶν αὐτὸν εὑρεῖν: *Anni tempeſtates eum primum inveniſſe aiunt*, inquit Laertius, dein alibi inquit, πρῶτός τε καὶ ἀπὸ τροπῆς ἐπὶ τροπὴν πάροδον εὗρε. *Acceſſum vel curſum Solis à Tropico ad Tropicum*, vel à *converſione ad converſionem*, *primus etiam invenit*. Unde Apuleius Thaletem ait, inter alia, inveniſſe *Florid. 4.*

veniſſe *temporum ambitus, ſiderum obliqua curricula, Solis annua diverticula.* Scio obſervatam primo Signiferi obliquitatem Anaximandro dediſſe Plinium: Plutarchum Pythagoræ, invito Oenopide, (*Plac. Philoſ. l. 2. c. 12.*) Diodorus tamen hunc Oenopidem à Sacerdotibus & Aſtrologis Ægyptiis, ſigniferi obliquitatem, inter alia Aſtronomica didiciſſe ait, Τόν τε Οἰνοπίδην ὁμοίως συνδιατρίψαντα τοῖς ἱερεῦσι καὶ ἀστρολόγοις, μαθεῖν, ἀλλά τε, καὶ μάλιστα τὸν ἡλιακὸν κύκλον, ὡς λοξὴν μὲν ἔχει τὴν πορείαν. Quod plures ambiunt, detur, me judice, antiquiori: nempe Thaleti noſtro; Quem, cùm primus Eclipſes prædixerit, conſtat noviſſe & Solis & Lunæ vias, & utriuſq; flexus & anfractus. Quod ſi eaſdem vias tenuiſſent hæc Sydera à mundo condito, haud latuiſſent, opinor, incognitæ, uſque ad Thaletis ætatem.

*l. 2. c. 8.*

*l. 1. ſub fine.*

Inventum Gnomonices & Sciatericorum celebratur etiam ab antiquis. Eſt enim artis & ingenii opus, rationes umbrarum in obliquo Telluris ſitu, ad normam revocare: in recto, levioris res negotii: ubi omnes, ut mihi videtur, eſſent Aſcii. Dein Æquinoctia & Solſtitia, alternantia: atque ortus occaſuſq; ſyderum, ſecundum diverſa anni tempora: Hæc & hujuſmodi ſunt obliquatæ Telluris phænomena, quæ *non fuere ſic ab initio.* Et in hiſce novis phænomenis obſervandis, & ad calculum reducendis, ſeſe maximè occupâſſe mihi videntur priſci Aſtronomi: Et eorum, quæ memorantur, inventa, hæc & hujuſmodi capita potiſſimùm reſpiciunt. Sed periit, magnâ ex parte, creſcentis Aſtronomiæ hiſtoria, unde harum rerum plenior notitia haurienda eſſet. Periit *Eudemi* τῶν ἀστρολογουμένων ἱστορία, cujus hìc meminit Laertius in Thalete: Necdum lucem vidêre Theonis Smyrnæi Aſtronomica: aliique in eodem argumento

gumento ſcriptores veteres latent adhuc, vel penitus exciderunt. Denique ſi ex altera parte, *Doctrinam ſphæræ antediluvianæ*, tam cœleſtis quàm terreſtris, liquidò deductam, ante oculos haberemus, de multorum phænomenωn novitate certior eſſet judicandi ratio. Sed ex hoc diverticulo in viam redeamus.

Qui de Ætate aureâ atque regno Saturni ſcripſerunt, memorant apertiſſimè Annum uniformem, verque perpetuum, iſtoc tempore obtinuiſſe. Illo autem regno & ſæculo exeuntibus, Annum pluriformem, vel quadripartitum, qualis eſt hodiernus: veluti novum regimen naturæ, introductum eſſe. *Verat æternum*, inquit Ovidius, cùm de aureo Saturni ſæculo verba faceret. Dein pereunte illo regno, & rerum ordine, inquit,

*Jupiter antiqui contraxit tempora veris,*
*Perque hyemes, æſtuſque, & inæquales Autumnos,*
*Et breve ver, ſpatiis exegit quatuor Annum.*

Idem Virgilius, aliique cecinerunt: ſive ex antiquorum libris, ſive ſui temporis traditione & ſermonibus, accepta.

Neque aliter in ſuis Elyſiis, poſt hanc vitam, ad exemplar Paradiſi noſtri, aut ſuæ aureæ ætatis, compoſitis, Cœli clementiam & perpetui veris delitias, conjungunt. Neque frigus illic, neque æſtum: neque temporum inconſtantiam, aut procellas qualeſcunque permittunt. Ita ſuum Elyſium deſcripſit Homerus,

Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης,
Ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς.

Ti-

Τῇ περ ῥηϊστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ' χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

*Sed te ad Elysios campos, & extrema terrarum,*
*Dii dimittent. Ubi flavus Rhadamanthus:*
*Illic vitâ facili & beatâ fruuntur homines.*
*Neq; nix ibi, aut vehemens hyems, aut unquam imbres.*
*Sed dulcisonos perpetuò Zephyri flatus*
*Oceanus emittit ad recreandos incolas.*

Hisce affinis est sententia Essenorum, neque aliunde opinor desumpta, de *piarum Animarum Elysiis.*

Joſ. de Bel. Jud. l. 2. c. 12. Ἐπειδὰν ἧ ἀνεδῶσι τῶν κατὰ σαρκὰ δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας, τοτὲ χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι· καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων, ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ ὠκεανὸν διαῖταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον, οὔτε ὄμβροις, οὔτε νιφετοῖς, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον· ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πραῢς αἰεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει. *Cum verò fuerint à carnis vinculis exolutæ,* de animabus loquitur, *quasi de longâ servitute liberatas, ità ilicò lætari eas, sublimesque ferri: Et quidem bonas, (concinentes in hâc re Græcorum sententiis) pronunciant ultra Oceanum vitam agere, in regione quæ neque imbribus, neque nivibus, neque æstibus aggravatur. Sed quam lenis Zephyrus, ab Oceano spirans, semper demulcet.*

Nec ab his longè recedit Virgilius, de Animarum Elysiis.

Æneid. 6. *Devenêre locos lætos, & amæna vireta*
*Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.*

*Largior*

*Largior hìc campos æther, & lumine veſtit*
*Purpureo: Solemque ſuum, ſua ſydera norunt.*

Cùm de Inferis agit Virgilius, id laxè intelligendum eſt, ut cùm Græci verba faciunt περὶ τοῦ Ἅδου: Quod vitâ defunctorum ſtatum potius, quàm locum, ſignificat; ità inferi apud Poëtam. Quid enim umbris & locis ſubterraneis cum Sole & ſyderibus? cum largo æthere, & lumine purpureo? Hæc ad aprica & ætherea loca ſpectant. Atque hìc etiam Platonem imitari Virgilium, ut alibi non rarò: atque Terram Platonicam, Ætheream nempe, de quâ antea dictum eſt, hìc adumbrari, ſuſpicor. Illa enim majori luce perfuſa, & Solem & Cœlum ſibi proprium, & ab hodierno diverſum, habuit. Prout ſupra ex Platone explicuimus. Audi, in alium locum Virgilii, quid commentatus eſt *Servius: Elyſii deſcriptionem Homericam Pius Commentator dicit eſſe ſublatam, ſecundum Theologos, circa Lunarem circulum: ubi aër purior eſt; unde ait ipſe Virgilius, Aëris in Campis.* Meminit hujus Commentatoris Homerici, Πίου, Etymologicum magnum, vocibus περιῤῥηδὴς & ὠμήρησε, neque alibi mihi occurrit. Sed evectum eſſe ad *circulum Lunarem,* Paradiſum, è patribus Chriſtianis plures aſſeruerunt: modus iſte loquendi utrobique obtinuit. Ita de animarum receptaculis Lucanus. L. 5. *Vid. Theor. l. 2. c. 9.*

*Quáque patet, Terras inter Lunæque meatus,*
*Semidei manes habitant: quos ignea virtus*
*Innocuos, vitâ patientes ætheris imi*
*Fecit, & æternos animam collegit in orbes.*

Sed de Poëtis ſatis. Audiamus porrò Plutarchum de Fortunatis Inſulis (re eâdem cum Elyſiis, ſed

In vit. Sertor. m. p. 571, 572.

recentiori nomine) disserentem. Ὄμβροις δὲ χρώμεναι μετρίοις σπανίως, τὰ δὲ πλεῖστα πνεύμασι μαλακοῖς καὶ δροσοβόλοις, οὐ μόνον ἀρῶν καὶ φευτεύειν παρέχουσιν ἀγαθὴν καὶ πίονα χώραν, ἀλλὰ καὶ καρπὸν αὐτοφυῆ φέρουσιν, ἀποχρῶντα πλήθει καὶ γλυκύτητι βόσκειν ἀνεὺ πόνων καὶ πραγματείας χολάζοντα δῆμον· ἀὴρ δὲ ἄλυπος, ὡρῶν τὲ κράσει καὶ μεταβολῆς μετριότητι κατέχει τὰς νήσους. *Imbres habent moderatos, idque rariùs: plerumque molles ventos & roriferos, unde regio illa pinguis & commoda non sementi modò & plantis, sed & suâ sponte profundit fructum, qui copiâ & suavitate, sine laboribus aut agricolatione, populum alere otiantem sufficiat. Cœlum autem & aër, quæ ambiunt Insulas, adeò sunt temperata & tantillùm mutantur, ut nullam unquam incolis afferant molestiam.* En præcipuas Paradisi nostri, aureæ ætatis veterum, & Telluris primigeniæ, aut futuræ, conditiones. Ipsisque ferè Platonis verbis, quibus suam Terram Ætheream descripserat, in his Elysiis ornandis utitur Plutarchus. Dixerat Plato, τὸ γὰρ τῶν ὡρῶν αὐτοῖς ἄλυπον ἐκέκρατο. Plutarchus, ἀὴρ δὲ ἄλυπος ὡρῶν τὲ κράσει κατέχει τὰς νήσους. Ut minimè dubium sit, eundem locum statumve, utrumque authorem in animo habuisse.

Superest locus insignis Diodori Siculi, quem intactum præterire nequeo: ubi ille, sub nomine & historiâ Insulæ Toprabanæ, Paradisum Terrestrem, Elysios Campos, Terram vel primam vel novissimam, vividè depinxit. Εὐκρατότατον, inquit, δ' εἶναι τὴν ἀέρα παρ' αὐτοῖς, ὡς ἂν κατὰ τὴν ἰσημέρινον οἰκοῦντας· καὶ μηθ' ὑπὸ καύματος, μηθ' ὑπὸ ψύχους ἐνοχλουμένους καὶ τὰς ὀπώρας δὲ παρ' αὐτοῖς παρ' ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν ἀκμάζειν· εἶναι δὲ διὰ παντὸς παρ' αὐτοῖς τὴν ἡμέραν ἴσην τῇ νυκτὶ, καὶ κατὰ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας μὴ γίνεσθαι παρ' αὐτοῖς σκιὰν μηδενὸς· διὰ τὴν κατὰ κορυφὴν εἶναι τὴν ἥλιον,

ον.------Διὰ δὲ τὴν ἀρετὴν τῆς νήσου, καὶ τὴν εὐκρασίαν τοῦ ἀέρος γεννᾶσθαι τροφὰς αὐτομάτους πλείους τῶν ἱκανῶν.------ πολυχρονίους δ' εἶναι τοὺς ἀνθρώπους καθ' ὑπερβολὴν, ὡς ἂν ἄχρι τῶν ἕκατον πεντήκοντα ἐτῶν ζῶντας, καὶ γινομένους ἀνόσους κατὰ τὸ πλεῖστον. *Optima illìc (ſub æquinoctio enim habitant) temperatura cœli exiſtit. Et nec ab æſtu, nec à frigore, moleſtantur. Fructus arborei per totum illìc annum maturi habentur. Dies ibi perpetuò noctem æquat: nec in meridie ab ullâ re cadunt umbræ: quia ſuper verticem Sol eſt. Atque ea Inſulæ virtus eſt, & aëris benignitas, ut plus quàm ſatis annonæ ultrò proveniat. Longiſſimæ ſunt ætatis Incolæ, ut qui ad centum quinquaginta annos, abſque omni, ut plurimùm, morbo, vitam producant.*

Hæc nulli climati, nulli regioni hodiernæ Telluris conveniunt. Qui æquinoctio nunc fruuntur per totum annum, ſoli illi ſunt qui in mediâ Torridâ, & ſub lineâ æquinoctiali habitant. Qui quidem eſt locus habitabilis, ſed neque ſine æſtu, neque ſine imbribus: quinetiam ſævis procellis eſt obnoxius. Prætereà, non vivitur diutiùs ſub Torridâ, quàm in cæteris locis: neque morborum aut egeſtatis ſunt immunes Incolæ. Hæc igitur non niſi univerſali æquinoctio, ſive Telluri in ſitu recto, conveniunt. Quæ ſuis Elyſiis primò, dein aliis regionibus, ad modum Elyſiorum adornandis, accommodârunt veteres. Neque illud officit interpretationi noſtræ, quod hujus fœlicis Inſulæ homines *Aſcios* faciat hic Author: id enim accideret omnibus in Tellure rectâ, quod umbris carerent, quoties Sol eſſet in eorum meridiano. Prout anteà notavimus.

Denique, ne te moretur illud, aut negotium faceſſat, quod ea jam ſupereſſe velint in rerum naturâ hi authores, quæ reverà abierunt, atque dudum ab-

olita ſunt. Hunc errorem errârunt tam Patres Chriſtiani, quàm Gentium Scriptores. Nullus jam ſupereſt Paradiſus Terreſtris: nulla ultra Oceanum Elyſia: eò tamen amandant piorum Animas, tam hi quàm illi, tanquam ad ſedes beatas. Et perinde eſt, ſive de præterito, ſive de futuro Paradiſo: De primâ ætate aureâ, vel de futurâ redivivâ, hæc gentium Elyſia intelligas. Eodem res redit, eadem repetenda eſt ſcena, paucis in melius mutatis. Id ſaltem obſervare licet, Veteres ſemper, cùm Paradiſos vel Elyſia depingunt, fundamenti loco, cœli aëriſque ſtatum æqualem & temperatum conſtituiſſe.

Hæc de Gentium ſcriptoribus, Philoſophis aut Poëtis. Judæi & Chriſtiani demùm accerſendi ſunt. Illi verò non de aureâ ætate aut regno Saturni, verba faciunt, ſed de *Paradiſo* & *Horto Domini*. Diverſi ſunt tituli, ſed eadem materia. Id quod facilè comperies, ſi utriuſque phænomena tecum repetens, alia aliis conferas. Exulabant è Paradiſo omnia mala aut noxia, & ſponte naſcebantur omnia Terræ bona. Neque aliter in Regno Saturni atque aureâ ætate. Vivebant homines ſine legibus humanis, θεοκρατικῶς, in utroque ſtatu. Aperti, nudi, tam animo quam corpore. Denique, in Cœlo ſereno vitam longam pacificè ducebant. Hæc facies naturæ atque rerum humanarum in primis mundi ſæculis, quocunque nomine hunc rerum ordinem appellaveris. Sed quod ad argumentum noſtrum ſpectat maximè, ver perenne, non interruptum æquinoctium utrobique ſtatuerunt. De Saturni regno hoc antea oſtenſum eſt: atque idem de Paradiſo teſtantur, tam Judæi quàm Chriſtiani. Quoad Judæos, conſule, ſi placet, *Iſ. Abarbanelem in caput ſecundum Geneſeos: Aben Ezram* in eundem locum; & in *cap.* 65. *Iſaiæ.*

*Isaiæ. Maimonidem* in *cap.* 10. *Sanhedr.* & *Manassem ben Israel de creatione, cap.* 17. His adde, si vacat, nuperi authoris, *Abrahami Ecchellensis*, testimonium, de Judæis simul & Arabibus; Dicunt Arabes, inquit, *Mundum æquinoctii tempore procreatum fuisse, aut Paradisum sub æquinoctiali situm lineâ: aut utrumque concurrisse. Diem enim perpetuò duodecim horis metiuntur. Hoc idem Judæi tenent.* Cùm enim noctes diebus æquales in Paradiso posuissent Doctores Judæi, neque auctas unquam aut imminutas, idque rectè: ex iis nonnulli in mediâ regione Terræ, sub hodierno æquinoctio, hoc suum *Gan-Eden* collocârunt; quandoquidem, ob ignotam istius mundi primi dispositionem, perpetuum in Paradiso æquinoctium aliter tueri non poterant. *Hist. Arab. c.* 9.

Dicunt quidem nonnunquam Judæi *Gan-Eden* esse in Oriente, sed orientem Æquinoctialem intelligunt, ubi Sol oritur sub initio veris. Illud discimus ex Mose Bar Cephâ, qui rem ità explicuit. *Sunt etiam qui hinc constare existiment Paradisum in Oriente esse, quià, qui templa aut ædes construere volunt ad Orientem spectantia, ità describunt, ut ad Solem in mense Nisan (respondet is Lunæ Aprilis nostri) orientem, obversa sit fabrica. QUIA illo MENSE Sol suprà Paradisi locum oriatur.* Vides igitur apud eos in hoc argumento Orientis nomine intelligi æquinoctium vernum, vel locum ortûs Solaris in vere. *De Parad. c.* 13.

Hæc breviter de Judæis; Neque incelebris est hæc opinio apud Christianos, de situ æquinoctiali Paradisi. Id quod verbis explicitis nonnunquam testantur, quandoque autem omnes temporum vicissitudines è Paradiso eliminant, atque eo signo, æquinoctium constituunt perpetuum, vel in illâ Terrâ, vel in illâ regione Terræ. *Tatianus* in suâ Oratione contra *m. p.* 159.

Græcos,

Græcos, cùm Paradiſum ab hodiernâ Terrâ diſtinxiſſet, ab illo omnes aëris annique mutationes removet, atque inſtar Terræ Æthereæ Platonis ſuum mundum Paradiſiacum depingit. Τὰ δ ὑπὲρ τοῦτον, ἀϊῶνες οἱ κρείττονες, ὐ μεταβολὴν ὡρῶν ἔχοντες, δι' ὧν ποικίλαι νόσοι καθίστανται, πάσης δ' εὐκρασίας μετειληφότες, ἡμέραν ἔχουσι διαμένουσαν, καὶ φέγγει τοῖς ἐντεῦθεν ἀνθρώποις ἀπρόσιτον. *Super cælum inferius mundus eſt præſtantior: cui nulla accidit temporum anni mutatio, ex quâ varii apud nos naſcuntur morbi. Sed jucundiſſimâ temperie præditus, diem habet permanentem, & luce terrenis hominibus inacceſsâ reſplendet.* Huic reſpondet quod legitur apud Suidam de Paradiſo, undecunq; deſumptum ſit. Πάσης τῆς γῆς ὑψηλότερος κείμενος, εὐκρατὴς δ', ἀεὶ λεπτοτάτῳ καὶ καθαρωτάτῳ περιλαμπόμενος, φυτοῖς ἀειθαλέσι κομῶν. *Omni Terrâ altior Paradiſus, & præſtantis temperiei, aëre ſubtiliſſimo & puriſſimo undique reſplendens, plantiſque ſemper virentibus ornatus.* Facile eſſet in hujus claſſis authoribus recenſendis abundare, ſed in re notâ præſtat in unum locum plures contrahere: Id quod antea fecit *Bellarminus*, ad exterminandum Paradiſum Meſopotanicum, his Verbis. *Accedit ad hæc, quod Paradiſus ita deſcribitur à Sancto Baſilio, in libro de Paradiſo: A Johanne Damaſceno, l. 2. de fide, cap. undecimo. A Sancto Auguſtino, l. 14. de Civ. Dei, cap. 10. Ab Alchimo Avito, & Caud. Mario victore, & aliis ſupra citatis; Iſidoro l. 14. Etymol. cap. tertio, & aliis communiter, ut fuerit in eo VER PERPETUUM. Nulla frigora, nulli æſtus, nullæ pluviæ, nives, grandines, nullæ etiam nubes. Quod ipſum ſignificat Scriptura, cum dicit primos homines in Paradiſo fuiſſe nudos.---Quò magis Lutherum miror, qui in commen. 2. cap. Geneſ. ſcribit, in Paradiſo non fuiſſe Hyemem, ſed VER PER-*

In voc.

De Grat. pri. hom. c. 12.

*PERPETVVM: & tamen contendit Paradisum fuisse Syriam, Mesopotamiam, Ægyptum & Damascum; In quibus regionibus non potest fuisse ver perpetuum, NISI ALIVS TVNC FVERIT CVRSVS SOLIS QVAM NVNC EST.* Rectissimè concludit, obtinere non potuisse *VER PERPETVVM*, sive in Mesopotamiâ, sive aliis quibuscunque regionibus extra æquinoctialem, nisi alius tunc fuerit cursus Solis, quàm nunc est: vel, quod eodem redit, alius Telluris situs. Nulla igitur hypothesis veterum Christianorum placitis, de sede Paradisi, respondet, nisi eam statuamus sub æquinoctiali: vel totam illam Terram, rectà ad Solem positam, fuisse æquinoctialem.

Hæc de vere & æquinoctio perpetuis, in Paradiso & prima ætate, secundum explicita antiquorum verba, maximam partem. Sed aliis prætereà indiciis, non minus certis: & quæ nobis cum Scriptoribus exteris sunt communia, æqualitas temporum in primis mundi sæculis demonstratur. Spontaneam Terræ fertilitatem fructusque perennes: ab omni Paradiso, ab omni Elysio, inseparabiles, hìc non memoro. Licet ea sit indoles rerum istarum, quæ minimè patiatur anni nostri vicissitudines, Solemque postulet æqualem & immutatum. Ita pariter spontaneum animalium ortum, ineunte mundo, attribuebant veteres τῇ εὐκρασίᾳ καὶ εὐταξίᾳ τοῦ περιέχοντος ἀέρος, τῇ ἐξ ἀρχῆς. Ut est apud Diodorum Siculum. Id voluit etiam Phurnutus, (*de nat. Deor. cap. de Prometheo*) cum, Deo providente, & conspirante naturâ, omnia eduxit è Terrâ, in mundi primordio. Κατὰ τὴν ταυτὴν τῶν πρόνοιαν τά τ' ἄλλα ἐγένετο, καὶ ἐκ τῆς γῆς ἔφυσαν οἱ ἄνθρωποι, ἐπιτηδείως πρὸς τοῦτο ἐχούσης κατ' ἀρχὰς τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως. *Secundum hanc Providentiam omnia,* L. 1.

*omnia facta ſunt, atque homines è Terrâ prognati: ad hanc rem aptè accommodatâ primâ mundi conſtitutione.*

L. 2. c. 12. Hoc argumentum pluribus proſecutus eſt Lactantius; cúmque Philoſophis objeciſſet, homines è Terrâ naſci non potuiſſe, propter vim frigoris in hyeme, aut caloris in æſtate: reſpondet, ex mente veterum, *non erant, inquiunt, in principio mundi, hyems & æſtas; ſed perpetua temperies & ver æquabile.* Hæc erat reverà ſententia veterum: Sed rectè inſtat Lactantius, Hoc ipſum probare, hunc, inquam, ordinem, hanc proviſionem: divinam aliquam rationem rerum originibus præſediſſe. Denique, ut hæc claudam, Finxêre veteres Terram eſſe Cœli uxorem: & cum adhuc vegeti eſſent uterque, numeroſam ſobolem, tam plantarum quàm animalium, ſine ſemine ortorum, procreâſſe. Poſtmodùm verò, ubi exoleverit hæc virtus, Cœlum *caſtrari* dicebatur; quod nullas, ut pridem, fruges aut animantes ſuâ vi & ſponte proferret; ſed omnia deinceps per cultum & ſemina propagarentur.

Aliud indicium habetur temperati & æqualis cœli, priſcorum hominum longævitas, atque rerum omnium ſtabiles & diuturnæ formæ, in mundo primævo; quemadmodùm nos docent literæ, tam ſacræ, quàm prophanæ. Notavit Ariſtoteles ab inæquali motu cœli, provenire rerum generationes & corruptiones: ὐκ ἡ πρώτη φορὰ αἰτία ἐστὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς· ἀλλ' ἡ κατὰ τὸ λοξὸν κύκλον. Id quidem rectè quoad rerum interitus potiſſimùm: ex obliquo enim motu cœli, vel, ſi mavis, Terræ, oritur rerum omnium, maximè animatarum, vanitas, corruptio, vita caduca. Hunc locum Ariſtotelis reſpexit Author Anonymus apud Photium de *vitâ Pythagoræ*, ὁ ζωδιακὸς λοξῶς κινεῖται, ὡς ζητήσας εὑρεῖν ἔδοξεν Ἀριστοτέλης,

*De gen. & cor. l. 2. c. 10.*

*Cod. 259.*

λης, ἕνεκεν ἡ γενέσεως τῷ περὶ γῆν τόπων πρὸς ἀναπλήρωσιν τῶ παντός· εἰ γὰ καταπαραλλήλως ἐκινεῖτο, ἀεὶ ἂν μία ὥρα ἦν τῷ ἔτους, ἤτοι θέρος, ἢ χειμών, ἢ ἄλλη τις. *Zodiacus motu obliquo fertur, quod Ariſtoteles ſuâ inveſtigatione reperiſſe videtur: ob generationem eorum, quæ in diverſis Terræ regionibus, ad univerſi complementum, producuntur. Nam ſi recto, &, cum reliquo cœlo parallelo motu, ferretur, una ſemper eademque anni tempeſtas eſſet: vel æſtatis, vel hyemis, vel alterius cujuſdam.* Ità quidem, ſine obliquo Solis vel Terræ motu, eadem ſemper eſſet anni facies: quod à ſubitaneis aut anniverſariis corruptionibus omnia conſervaret. Et cùm non niſi unius corruptione, alterius generationi, locus fiat, raræ eſſent itidem, in illo naturæ ordine, rerum novarum generationes. Hoc craſſiùs explicuit in ſequentibus hic author anonymus: & cùm hoc numeret inter dogmata Pythagorica, Ariſtoteli inventori malè attribuit.

Veterum Aſtronomorum ſententias, in hâc materiâ, explicuit Baptiſta *Mantuanus:* & ad rem noſtram de longævitate priſcorum hominum ante Diluvium, accommodavit. Dicit, Cœlos omnes fuiſſe concentricos, & motu uniformes, ante Diluvium: & Zodiacos primi mobilis, & Firmamenti ſive Planetarum, in unum coiiſſe. Unde, iſtius cœli beneficio, & vitâ & virtute vegetioribus prædita erant omnia, tunc temporis, ſublunaria. Hæc ſunt ipſius verba. *Erant illis,* nempe ante-diluvianis, *ut Aſtronomiâ & experimento conſtat, Cœli propitiores. Volunt namque Aſtronomi, duos eſſe Zodiacos: unum in nonâ ſphærâ, alterum in octavâ, quod Firmamentum vocant. Et initio rerum & temporum, ſic à Deo diſpoſitos, ut Aries Arieti, Taurus Tauro, Gemini Geminis, jungerentur: & amborum coëuntibus in unum viribus,* *De pati. l. 2. c. 37.*

*fortior in terris fiebat influxus; unde & herbas tunc salubriores, & fructus terræ meliores, & longiores animantium vitas fuisse, non dubium. Postquam verò, solutâ per motum societate, ab invicem discesserunt, totus inferior mundus ægrotavit.* Hæc planè consonant supra dictis à Platone, de Regno Saturni & Jovis. Ille enim cœlorum ἀναρμοστία omnes naturæ debilitates & inferioris mundi ægritudines, detulit & affixit. Et qui Cœlorum philosophiam intelligunt, facilè nôrunt, varios illos loquendi modos, de motuum cœlestium inæqualitate, incongruentiâ, obliquitate, rectè exponere; Dein, idem significare, Cœli obliquitatem, Zodiaci obliquitatem, Solis vel Solaris cursûs obliquitatem: & facto examine, in unius Telluris obliquitatem, hæc omnia recidere.

Hæc de causis longævitatis in primâ mundi ætate. *Theor. l. 2. c. 1. & 3. sub fine.* De re ipsâ, ex aliorum testimoniis, jam satis constitit. Sed cum illa scriberem, exciderat animo testimonium Orphei: quod nobis conservavit Proclus, in explicando Saturni Regno: testesque ejusdem rei adhibet, Theologos, tam Græcos quàm Barbaros: *Theol. Plat. l. 5. c. 10.* in hæc verba, Τῶν δὲ θεολόγων τὸ ἀγήρων τῇ τάξει ταύτῃ περσήκειν λεγόντων, ὡς οἵ τε βάρβαροι φασὶ, καὶ ὁ πᾶς Ἑλλήνων θεολόγος Ὀρφεύς (καὶ γὰρ ὕτος ἀεὶ μελαίνας τὰς τῦ Κρονίου πρόσωπου τείχας μυστικῶς λέγει, καὶ μηδαμῶς γίγνεσθαι πολιὰς) θαυμάζω δὲ τῦ Πλάτωνος ἔνθεον τῶν τὰ αὐτὰ περὶ τῦ θεῦ τούτῳ τοῖς καθ' ἱερὸν αὐτῦ πορευομένοις, ὑφαίνοντα. Ἐν γὰρ τῇ Κρονίᾳ περιόδῳ τὸ γῆρας ἀφίναι φησὶ τὰς ψυχὰς, ὅτι δὲ τὸ νέον ἀνακάμπειν, καὶ τὸ πολιὸν μὴ ἀφαιρεῖν, τάς τε τείχας μελαίνας ἔχειν——ὁ δὲ γε Ὀρφεὺς τὰ τούτοις ὅμοια περὶ τῦ θεῦ διατάττεται.

ὑπὸ Ζηνὶ Κρονίωνι

Ἀθάνατον

Ἀθάνατον αἰῶνα καμεῖν, καθαροῖο γενείου
——————διερὰς χαίτας εὐωδέας, οὐδὲ
——————ἠπεδανοῖο μιγήμεναι ἄνθεϊ λευκῷ
——————ἀλλ' ἐριθηλέα λάχνην.

*Cum autem Theologi vitam ſenii expertem, huic ordini convenire dicant, ut & ipſi Barbari dicunt, & ille Græcorum Theologus, Orpheus (Etenim ille ſemper Saturnii vultûs pilos nigros eſſe myſticè dicit, & nunquam fieri canos) miror illam Platonis mentem eadem de hoc Deo dixiſſe, quæ dixerunt illi, qui ipſius Orphei veſtigia ſequuntur accuratè. Nam in Saturniâ periodo dicit homines ſenectutem abjicere, & ad juventutem redeuntes, canitiem deponere, & nigros pilos habere. Orpheus verò his ſimilia, de iſto Deo, diſertis verbis tradit,*

*Sub Deo Saturnio dicunt homines*
*Immortale ævum tranſegiſſe: puri menti*
*Habentes molles pilos, ſuavem odorem ſpirantes, neq;*
*Infirmi canitiem mixtam: ſed valde florentem lanuginem.*

Hæc autem, ut alia omnia, Proclus, pro ſuo more, in allegorias diſſolvit. Quibus tamen, apud cordatos interpretes, veritas hiſtorica non læditur.

Ut huic capiti finem imponamus, notare licet, Quibus gentibus Antiqui longævitatem inſolitam tribuerunt, iiſdem etiam dedêre, in longævitatis cauſas, & vitæ fomitem, cœlum æquale & temperatum. Ut videre eſt de *Brachmanibus*, *apud Suidam*, & *Palladium*: De *Taprobanenſibus*, apud *Diodorum Siculum*. De *Hyperboreis* apud *Plinium*, *Solinum*, *Strabonem*, alioſque plures. Et de ſuis Macrobiis, in Saturni regno, apud *Platonem*. Quo more, ſatis teſtantur veteres,

Naturam, ex eorum ſententiâ, hæc duo conjunxiſſe, atque aliud ab alio pendere ſecundum leges univerſi: ut alterutro poſito, alterum ſequi aut comitari, facilè ſcias. Neque id, præterea, mihi vitio vertat quiſquam, quod Paradiſum noſtrum fecerim eundem cum Elyſiis gentium, vel hunc illa peperiſſe: id enim ſæpiùs repetunt & inculcant Patres Chriſtiani, atque hâc in re, ut in aliis multis, plagii cujuſdam accuſant authores exteros. Audiamus, ſi placet, pro cæteris, *Nazianzenum*: Λῆρος ὁ Μίνως ἐκεῖνος, καὶ ὁ Ῥαδάμανθος· ὡς ἀσφοδελῶν λειμώνων καὶ ἠλυσίων πεδίων ἠξίωσαν οἱ Ἕλληνες, ἐν φαντασίᾳ τῇ καθ' ἡμᾶς παραδείσου γενόμενοι, ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν, οἶμαι, βιβλίων καὶ ἡμετέρων, εἰ καὶ περὶ τὴν κλῆσιν τι διηνέχθησαν, ἐκ ἄλλοι; ὀνόμασι τοῦτο παραδηλώσαντες. Pluribus ſuperſedeo: Hæc rei ſumma eſt, ut antiquis fabulis aliquid veri ſubeſſe ſolet, loco fundamenti: ità multis fabuloſis narrationibus anſam præbuiſſe mihi videtur Tellus Primigenia. Res vera, cujus umbram aliquam retinebant, aut creperam lucem, priſci homines: Et ex qualicunque memoriâ rei deſideratiſſimæ, fingebant novas Terras, aut terrarum regiones, ad exemplar & imaginem hujus Terræ Primigeniæ: Idque plerumque in locis inacceſſis, extra Oceanum, in aëre, apud Inferos: ne oculatis teſtibus in errore deprehenderentur. Ita *Ogygia* Inſula, apud *Plutarchum*. Supra *Thulen* Inſula amœna, in ſublimi poſita, apud *Ant. Diogenem*. *Hyperboreorum* regio prope Lunam, ab omnibus ferè celebrata. *Sileni* Terra, ex *Theopompo*, ἔξω τούτου τοῦ κόσμου. Præter Elyſia, & penſiles *Alcinoi* hortos: unde Paradiſum noſtrum deſumptum voluit Celſus. Hujuſmodi autem Gentium Paradiſi, non tantùm clariores notas gerunt Terræ noſtræ Primigeniæ: nempe ver perpe-

*Invit. Baſ. Mag.*

*De fac. in orb. Lun. Phot. Bibl. Cod. 166.*

*Ælian. var. hiſt. l. 3. c. 18.*

perpetuum, uberes ſoli proventus, & incolarum longævitatem: ſed etiam è ſecundariis & minoribus nonnullas: Quales ſunt illæ, quod penſilis fuerit ille orbis habitabilis, aliter quàm hodiernus: quod ſitu ſublimior: ſudoque ſemper cœlo, ſine nube, ſine pluviâ, gauderet. Hæc habent nobiſcum communia: adduntque alias, quiſque pro ſuo genio, delitias, ornamenta, & amœnitates. Atque his omnibus, quaſi pictis tabulis, nobis exhibent, primæ atque aureæ Telluris effigiem, ſed rudiori penecillo delineatam.

---

# CAP. VII.

## *De narratione Moſaicâ circa Paradiſum, & circa Naturæ, rerumq; humanarum, ſtatum, in Mundo novo.*

HActenus rerum origines, & veram Paradiſi notitiam, inter veteres quæſivimus: adhibito etiam, quà licuit, ſacrarum literarum lumine. Sed de regione aut loco Paradiſi, nihil à nobis definiendum eſt: cùm perinde ſit, quoad Theoriam Telluris, ubicunque locorum poſueris, modò non ſit in Hodiernâ Terrâ. Quod ſi apud veteres Patres ipſius locum quæſitum eas, aut nullum eſſe volunt, aut à cognitione noſtrâ remotum & abſconditum. Eorum alii

alii Intelligibilem nuncupant Paradiſum, nulli loco aſtrictum: alii ſenſibilem: Hic primùm itur in partes. Dein, qui ſenſibilem & corporeum credunt, ſtatuunt eum in hâc Terrâ, vel extra hanc Terram: nempe in aëre, vel in orbe Lunari. Qui in hâc Terrâ, aut cis æquatorem, aut ſub ipſo æquatore, aut ultra æquatorem ſive Zonam Torridam, ſedes ponunt beatas. Denique, qui nobiſcum ſentiunt, in Terrâ quidem, ſed aliâ ab hodiernâ, verum Paradiſum, qui jam tranſiit, olim floruiſſe tradunt.

*Theor. l. 2. c. 6.* Hæc ſententiarum diſcrimina alibi pluribus explicuimus: Eamque maximè, quæ ultra Æquatorem, Zonam Torridam, Oceanum, orbemque noſtrum Borealem, Paradiſum transfert. Non quòd hæc, præ cæteris, mihi placeat opinio, ſed quòd veterum calculis comprobetur, & apertè nos doceat, Paradiſum Meſopotamiæ affixum, figmentum eſſe Neotericorum. Intereà, quoad Telluris Theoriam, ea nihil moratur Paradiſum Topicum in quâvis terrarum parte: cùm totum orbem habitabilem, in novo mundo, inſtar Paradiſi habeat. Conſequenter verò & conſentaneè ad hypotheſin Moſaïcam, quæ genus humanum, quantum quantum, ortum docet ex unico viro & unicâ fœminâ: horum duorum natale ſolum & primam patriam, Paradiſum, ſi libet, dicito: Locum aquis & arboribus amœniſſimum; modò conceſſeris itidem cæteris ejuſdem Terræ regionibus *Ver perpetuum:* & quæ inde ſequuntur, fertilitatem ſpontaneam, & Incolarum Longævitatem. Hæc enim ubique obtinuiſſe in novo mundo, ex naturâ rei, & veterum fide, probavimus.

At, inquies, Moſes non meminit niſi unius Horti, quem *Gan-Eden* appellat, *hortum deliciarum:* cæteraſque

raſque Terræ iſtius regiones, communis eſſe ſortis, & hodiernis non diſſimiles, ſupponere videtur. Reſpondeo, duplex erat apud veteres, maximè Orientales, Theologiam & Philoſophiam tradendi modus, δημώδης καὶ ἀπόῤῥητος, *popularis & arcanus*: atque duplici hoc ſtylo, in rebus naturalibus explicandis, uti mihi videtur Scriptura Sacra: quandoque ſeſe accommodans ad populi captum, quandoque ad occultiorem veritatem. Sec cum hanc mihi legem impoſuerim, ut *Nunquam* recederem à ſenſu literali, ſine neceſſitate: nunquam, aio, niſi id penitus perſuaſerit, aut coëgerit, rei natura: diſpiciendum imprimis, qualis ſit, & quid ferat iſte ſenſus literalis, in hoc argumento. Dein, ex alterâ parte, quid ferat & quid ferre recuſet materia ſubjecta. Ut, rectè conſtitutâ quæſtione ex utrâque parte, quæ cauſa ſit potior, & ubi lateat veritas, certiùs dijudicemus.

Hiſtoria Paradiſi, inde enim exordiemur, ita ſe habet ſecundum Moſem. Cùm Deus Mundi creationem abſolverat, ſex dierum ſpatio, ſeptimo die requievit, & vacavit ab omni operâ. Uniuſcujuſque diei penſum Moſes articulatim enarrat: Hominis autem, tam maris quàm fœminæ, hiſtoriam tractat ſeorſim. Miſſis igitur cæteris, ſi placet, impræſentiarùm, circa hæc tria capita, Adamum, Evam, & Hortum Edenis, cum iis quæ adhærent vel intertexuntur, doctrinam Moſaicam contemplemur. Quoad primum hominem, Adamum, Moſes ait eum formatum eſſe, non ex lapidibus, aut dentibus Draconum, ut de ſuis hominibus fabulati ſunt alii: ſed ex pulvere Terræ, vel è terrâ rufâ. Et corporis ſtatuâ formatâ, *Deus ſufflavit in nares ipſius halitum vitæ, & factus eſt homo Anima vivens.* Alio autem modo, Gen. 2. 7.

&

*Hæc & hujusmodi ἀπαθανάτα καὶ ἀμυσόταλα appellat Celsus. Orig. l. 4. p. 186. Gen. 2. 21.*

& ex aliâ materiâ condita est Fœmina: nempe ex osse quodam, vel osficulo, Adami. Scilicet cum somno obrutus jaceret Adamus, execuit ei Deus unam è costis: & ex illâ costâ fabricavit fœminam. Sic enim ait Moses, *Injecit Jehovah Deus soporem altum in Adamum, qui obdormivit; & extractâ unâ de costis ejus, incluſit carnem pro illâ. Extruxitque Jehovah Deus ex costâ illâ quam sumpserat de Adamo, mulierem: Eamque adduxit ad Adamum pro uxore.*

Hactenùs de formatione primi viri & primæ fœminæ, secundum literam. De primâ eorum sede pluribus egit Moses; ait nempe Deum iis parâsse Hortum quendam celebrem in *Oriente*, vel, ut plurimi reddunt, ab *antiquo*: atque hunc iis dedisse, tanquam hærediolum, ad habitandum & colendum. Erat autem hortus ille locus amœnissimus, quatuor fontibus aut fluviis irriguus, arboribus consitus omne genûs, tam frugiferis, quàm umbrâ & aspectu gratis. Steterunt autem inter has arbores, in medio horti, duæ præ cæteris insignes & memorabiles, quarum una dicta est *Arbor vitæ*, altera, *Arbor mortis*, vel *scientiæ boni & mali*. Quamobrem dicta sit *Arbor vitæ*, non certò constat: forsan quòd vescentibus immortalitatem dedisset, ut plurimi conjiciunt. Alterius Arboris effectum funesta nos docuit experientia: hinc *illæ lachrymæ & infandus dolor*. Quòd de fructu hujus arboris comederint primi parentes, plectuntur hodiè omnes eorum posteri: atque pœnas luunt peccati, aliquot annorum millia antequam nati essent, commissi. Sed rem totam tibi indicabo.

Vetuit Adamum & Evam Deus, gustare fructum hujus arboris, idque sub pœnâ mortis. Accidit verò, Evam, sedentem sub hac arbore, seorsim à viro, ut accederet Serpens vel coluber, qui, nescio quâ vi aut facultate,

facultate, his vel hujuſmodi verbis, ſi rem ex eventu judicemus, blandè compellavit fœminam, *Serp.* Salve pulcherrima, Quid rerum agis ſub hâc umbrâ, ſola & ſeria? *Ev.* Ego hujus Arboris pulchritudinem contemplor. *Serp.* Jucundum quidem ſpectaculum, ſed multo jucundiores fructus: Guſtâſtin' mea Domina? *Ev.* Minimè verò: Deus nobis interdixit eſu hujus arboris. *Serp.* Quid audio! Quis iſte Deus, qui ſuis invidet innocuas naturæ delicias. Nihil ſuavius, nihil ſalubrius, hoc fructu. Quamobrem interdicere, niſi per legem ludicram? *Ev.* Quinimò ſub pœnâ mortis interdixit. *Serp.* Rem malè capis proculdubiò: Nihil habet mortiferi hæc arbor, ſed potius divini aliquid & ſupra vires communis naturæ. *Ev.* Ego non habeo, quod tibi reſpondeam, ſed adibo virum, & quod illi viſum fuerit, faciam. *Serp.* Quid virum interpellas de re tantillâ? utere ingenio tuo. *Ev.* Utarne: Quid pulchrius hoc pomo? quàm ſuave redolet? ſed forſan malè ſapit. *Serp.* Eſt eſca, crede mihi, Angelis non indigna: fac periculum, & ſi malè ſapit, rejicito: & me inſuper habeto pro mendaciſſimo. *Ev.* Experiar: Eſt quidem gratiſſimi ſaporis: non me fefelliſti. Porrige huc alterum, ut viro afferam. *Serp.* Commodùm meminiſti, en tibi alterum; Adi virum, Vale beatula.-------- Ego intereà elabar, illa curet cætera.

Dedit Adamo, nimis uxorio, hoc pomum Eva: Ille pariter comedit, eoque comeſo, ſuæ ſe, neſcio quo pacto, utroſque ſtatim pudebat nuditatis: &, conſutis foliis ficulneis, fecerunt ſibi ſubligacula, ad tegendum pudenda. His ità peractis, ſub horam veſpertinam Deus deſcendit in Hortum: Auſugêre parentes noſtri, & inter denſiſſimas arbores latibula quærebant. Sed fruſtra, Deus inclamabat, *ubi es, Adame?*

*Adame*? Comparuit timidus, dixitque Deo, Cùm te audirem in horto, malè mihi metuebam quod nudus eſſem, & me abdidi inter umbroſa nemoris. Quis tibi dixit, inquit, Deus, quod nudus eſſes? Comediſtin' ex iſtoc fructu quem tibi prohibueram? Illa, Illa, quam mihi dediſti, Fœmina, Illa mihi attulit, & comedi. Probè rem curâſtis, Tu & Tua! Heus Tu muliercula: Quid hoc rei eſt? Mihi miſeræ dedit Serpens tuus, & comedi. Magno tibi conſtabit hoc pomum: neque tibi ſolum, ſed poſteris tuis, & toti humano generi. Quinetiam Cœlum, Terram, totamque naturam, propter hoc facinus diſperdam & execrabor. Tuque imprimis, Improba Beſtia, aſtutiæ tuæ & mali doli pœnas lues. In poſterum pronus ibis in ventrem: & pulverem terræ, non poma, comedes. Tu verò, curioſa & delicatula, in dolore liberos paries: mariti jugum feres, nec diſcedes unquam ab ipſius latere, niſi impetratâ veniâ. Denique, quod ad te ſpectat, *Adame*, quoniam auſcultaviſti uxori tuæ magis quàm mihi, in ſudore vultûs ei & liberis ejus parabis victum. Non, ut antea, ſponte natos fructus, ſed cum labore & moleſtiâ proventum terræ colliges. Sterileſcat deinceps Terra, propter te maledicta: Tribulos, ſpinas, lolium, herbas noxias, proferat. Et ubi vitam exegeris incommodam & oneroſam, *Pulvis es, & in pulverem revertêris.* Intereà temporis, exulent ab horto meo hi perduelles, & in alias terras relegantor; nè ex *arbore vitæ* pariter decerpant fructus, & vivant in æternum. Deus autem, ne frigore & incommodis cœli perirent, fecit iis tunicas ex pellibus animalium: atque ità pellitos extruſit è Paradiſo. Denique, ad præcludendum reditum, appoſuit Angelos ad introitum ſui Horti; qui, vibrando flammeum gladium, & in omnes

omnes partes verſando, viam, quæ ducebat ad arborem vitæ, cuſtodiebant.

De Paradiſo & primorum hominum ſorte, hæc eſt ſumma narrationis Moſaicæ: Quam, ſalvo ſenſu, aliis verbis explicui, quò liberiùs de re ipsâ, quaſi à novo authore conſcriptâ, judicemus. Quædam eſſe Parabolica in hâc narratione, neque penitùs ad literam exigenda, omnes ferè agnoſcunt. Nonnulli etiam totum ſermonem eſſe volunt ὑποτύπωσιν artificioſam ad explicandas res veras: nempe humani generis novitatem, & degenerationem: Dein, naturæ primæ ſtatum Paradiſiacum, & ejuſdem degenerationem. Quanquam enim, in principio ſermonis, hic ſtatus Paradiſiacus ad unicam regionem, quæ *Gan-Eden* dicitur, reſtringi videatur, poſtea tamen cùm ſterilitatis maledictio profertur, tota Terra in cenſum venit. Non ſpontaneos feret ultrà proventus Terra, non fruges ſine agricolatione & culturâ: ſed in ſudore vultûs tui, inquit Deus, tibi in poſterùm ad vitam & victum neceſſaria comparabis. Proinde ante hanc mutationem, vel maledictionem, Terra tulit ſpontaneas fruges & fructus, abſque ſatu, abſque labore: aliter nihil novi effeciſſet, nihil mutâſſet in rerum naturâ, hæc maledictio. Præterea, patet aliunde, non regiunculam aliquam, aut aliquot terrarum jugera, quale quid eſt hortus, hâc fertilitate, cæteriſque privilegiis, tam ſoli, quàm cœli, unicè eſſe potita: ſed totum orbem habitabilem, in primo rerum ſtatu. Quid enim ſi innocuus perſtitiſſet Adamus? Quis locus fuiſſet poſteris ipſius intra unius horti ſepta? vel ſi omnes ibidem incluſeris, tanquam implumes pullos in nido, quid fieret à reliquis magnæ Terræ tractibus? ſtetiſſentne vacui, deſerti, & ſine incolis? id non patitur natura, neque

id decet ſapientiam divinam. Hiſce igitur conſequens eſt, & conſentaneum rationi, ut credamus, Moſem, partem pro toto: & exemplum unum pro cæteris, populo ante oculos poſuiſſe; quòd eorum captui & ingenio accommodatius eſſet, Hortum amœnum concipere, aut ſingularem agrum, quàm totum terrarum orbem novâ facie, & novâ indole indutum, ab hodiernâ naturâ prorſus alienis. Sed inceptam viam pergamus.

Præfata narratio quinque aut ſex partibus conſtat: Quarum prima eſt, De ortu & formatione primorum hominum. Secunda eſt deſcriptio Horti Edenis. Tertia eſt hiſtoria duarum Arborum, vitæ & mortis. Quarta tractat de ſerpente confabulante cum Evâ. Quinta eſt de irâ Dei, & maledictione, propter comeſtum pomum vetitum. Sexta denique complectitur expulſionem protoplaſtorum ex horto Dei. Et quo modo Deus iis fecerit tunicas pelliceas, poſueritque Angelos, cum flammantibus gladiis, ad introitum ſui horti: aliaque his affinia.

Magna vis eſt conſuetudinis & præconceptæ opinionis, in animos humanos. Hos breves commentarios aut hiſtoriolas de hominum rerumque primordiis, ex ore Moſis ſine examine, ſine morâ, accipimus & amplectimur. Apud alium verò ſi eandem doctrinam legiſſemus, putà apud Philoſophum Græcum, apud Doctorem Rabbinicum, aut Mahometanum, hæſiſſet animus in unaquaque periodo, dubiis & objectiunculis plenus. Hoc diſcrimen oritur non ex naturâ rei aut materiæ ſubjectæ, ſed ab opinione noſtrâ de fide & authoritate ſcriptoris, utpote divinitùs inſpirati. Hoc libenter agnoſcimus, nec dubitatur hoc loco de authoritate ſcriptoris, ſed quo animo, quo conſilio hæc ſcripſerit, quo genere ſtyli uſus

uſus fuerit, plebeio an philoſophico; Plebeio inquam, non fabuloſo, quanquam eo nomine uti liceret, ſi de authore exotico ageretur. Fabularum autem aliæ ſunt figmenta, pura puta: aliæ vero nituntur fundamento, ſed decorantur additamentis & ornatu aſcititio. Præterea, ſunt quædam narrationes quibus veritas ſubeſt, non autem ſingulis apicibus, ſed quoad ſummam rei, & propoſitum authoris. Ut in parabolâ Chriſti de Lazaro & Divite: & in multis quæ de Die Judicii narrantur, quoad corticem & formam exteriorem. Hujuſmodi narrationes, non fabulas, ſed quandoque parabolas, quandoque ὑποθέσεις δημώδεις, nuncupandas eſſe cenſeo: Et ſi in hâc claſſe, narrationem, quæ præ manibus verſatur, collocaveris, ſalvo authoris nomine & honore, non indignabor. Hujus autem, ſi placet, aliquot articulos expendamus.

Quoad primum, Temporalem ortum humani generis pro certo & indubitato ſemper habui: idque quinque, & ultra, retrò millenniis, ex fide Chronologiæ Sacræ. Sed è quâ materiâ factus fuerit primus homo, mas vel fœmina, non tam facile eſt, nec tanti refert, cognoſcere. Si Deus voluit extundere fœminam ex coſtâ Adami, videtur quidem materia minùs idonea, ſed ex quovis ligno, vel quovis lapide, vel quovis eſſe, Deus poteſt effingere fœminam. Quærunt hìc curioſi, an ſupervacanea fuerit Adamo hæc coſta, & ultra numerum qui requiritur in juſto corpore? Si non, eâ detractâ, mancus eſſet Adamus, & parte ſui neceſſariâ ſpoliatus. *Neceſſariâ* inquam, ſupponimus enim nihil eſſe ſuperflui in fabricâ humani corporis: neque os ullum abripi poſſe, ſine labe totius, aut aliquâ ſuæ integritatis læſione. Quod ſi alterum dixeris, nempe, ſupervacaneam re-

verâ,

verâ, & inutilem fuiſſe Adamo hanc coſtam: & in uno latere tredecim habuiſſe, in altero duodecim tantùm: Hoc monſtri ſimile eſſe, aiunt: ac ſi tripes, vel trimanus, factus fuiſſet primus homo: vel plures oculos, aliave membra, habuiſſet, quàm fert uſus aut integritas humani corporis. Omnia autem *numero, pondere,* & *menſurâ*, facta fuerunt ab initio.

Hanc ego litem non dirimo: id me magis anxium habet, Quomodo ex unicâ coſtâ extrui poterat tota moles corporis fœminei? Coſta enim non adæquat centeſimam, vel milleſimam, partem totius corporis. Et ſi reliquum materiæ aliunde deſumptum dixeris, ex illâ materiâ alienâ, qualis qualis fuerit, formatam fuiſſe Evam, quàm ex coſtâ Adami, veriùs diceretur. Scio, Doctores Rabbinicos rem totam aliter expedire. Nempe aiunt primum hominem fuiſſe bicorporem, marem & fœminam; lateribus invicem cohærentes, vel, ut alii volunt, tergoribus. Hos autem diſſecuiſſe Deum, atque Evam ità divulſam, Adamo in ſponſam dediſſe. Hujus fabulæ ſimillimam habet Plato, in *Sympoſio:* de primo homine Androgyno, & dein in marem & fœminam bipartito. Alii denique conjiciunt, quod non eſt improbabile, Moſem hoc modo originem fœminæ explicuiſſe, quo mutuum amorem, marem inter & fœminam, ingeneraret, quaſi ejuſdem Totius partes; Atque eâ ratione, inſtitutum conjugii (quo iterùm uniuntur) ſuis efficaciùs commendaret, quaſi in ipsâ naturâ radicatum. Ego verò, his relictis, ad alia propero.

*Maimon. mor. Nev. pars 2. c. 30.*

*Gen. 1. 27.*

Articulus ſecundus agit de *Horto Dei in Edene*: quatuor fluviis irrigato, qui ab uno fonte oriuntur. Hunc Hortum Dei apud Moſem eundem eſſe volunt nonnulli ac Διὸς κῆπον, *Jovis hortum*, apud Platonem; Et eandem eſſe utrobique hiſtoriam vel allegoriam

*Sympoſ.*

goriam κατὰ τινας ἀποῤῥήτους λόγους Μωσέως, *Secundum arcanos ſenſus Moſis:* inquit Euſebius. Atque hunc ſenſum arcanum quoad Hortum Edenis, eò libentiùs amplector, quod nullus ſit in orbe locus cui omnes notæ & characteres iſtius Horti conveniant; Nam, ut mittam cœlum jugiter ſerenum, & ſpontaneam loci fertilitatem, de ſolis fluviis vexatiſſima eſt Theologorum, Geographorum, veterum, recentiorum, necdum finita controverſia. Fluvii iſti à Moſe appellantur *Piſhon, Giſhon, Hiddekel, Perath:* Quos antiqui authores interpretantur de *Gange, Nilo, Tigride & Euphrate.* Idque, opinor, rectè. Neque enim aliud ſibi videtur propoſuiſſe Moſes, quàm ut deduceret ad hunc Hortum rigandum, quatuor celebratiſſimos & fertiliſſimos Terrarum fluvios. *Præp. Evan. l. 12. c. 11.*

At, inquies, hæc quatuor flumina non oriuntur ex eodem loco, aut eodem capite; rectè, neque quatuor alii quicunque nominantur ab Interpretibus. Hæc igitur objectio ubique valebit, tam contra recentiores quàm Antiquos. Quin etiamſi hæc flumina ad duo reſtrinxeris, quod faciunt nonnulli, nempe ad Euphratem & Tigrim, neque illi duo fluvii ab eodem fonte, vel ab eâdem ſcaturigine proveniunt. Sed reverâ ſubterfugium eſt, non expoſitio, plures fluvios ad pauciores redigere, contra hiſtoriam Moſis, quo commodiùs ad eandem originem referantur. Hæc ſunt verba Moſis, *Fluvius autem procedit ex Edene, ad irrigandum Hortum: & inde ſeſe dividit, ferturque in quatuor capita. Primi nomen eſt Piſhon, &c.* Hinc clarè patet, aut ſub ingreſſu, aut egreſſu, horti, quatuor fuiſſe fluvios: & quatuor illos fluvios ab eodem fonte, in Edene, prorupiſſe. Jam verò, dic quibus in terris ſit illa regio Edenica, ubi quatuor fluvii naſcuntur *Gen. 2. 10.*

ſcuntur ab uno fonte. Neque dicas, quæſo, duos tantùm ortos eſſe ex illo fonte Edenico, reliquoſque duos oriri ex Tigride & Euphrate, ubi divaricant prope mare, & finduntur quaſi in bivia. Hoc neutiquam reſpondet verbis Moſis. Prætereà, Moſes memorat primo loco, Piſhon & Giſhon, dein Tigrim & Euphratem, quaſi minores fluvios. Tu è contra, ab his illos derivari velis, tanquam fluvios ſecundarios. Quæ eſt manifeſta hiſtoricæ narrationis diſtortio.

Sed ad reſcindendas has difficultates, vel controverſias, de originibus alveiſque fluviorum Paradiſi, dices forſan ultimò, Mutata eſſe per Diluvium fluviorum capita, curſuſque: Neque jam conſtare poſſe, quâ parte emerſerint olim, aut quas terras peragrârint. Eſto, Ego juxta tecum ſentio: modò fractionem & diſruptionem Terræ, quales nos ſupponimus, in Diluvio contigiſſe fatearis. Sed ex ſimplici inundatione, aut redundantiâ aquarum, hujuſmodi mutatio oriri non potuit. Prætereà, ſecundum quam Geographiam, vel Hydrographiam, deſcripſiſſe velis Moſem hæc flumina: Ante diluvianam, vel poſt diluvianam? Si poſteriorem ſumpſeris, nulla contigit inſignis terrarum mutatio à tempore Moſis vel Diluvii. Si priorem, ſupervacaneam reddis deſcriptionem Moſaicam, & inutilem ad ſitum Paradiſi inveſtigandum. Denique, ægrè concipi poteſt, fluvios qualeſcunque, hos aut alios, extitiſſe ab ipsâ Terræ origine: ſive aquas eorum ſpectes, ſive alveos. Alvei fluviorum fieri ſolent ſenſim & diuturnâ attritione: quod ſi, Terrâ effoſsâ & aggeſtâ, facti fuiſſent, ut ſcrobes & ſulci, in utrâque ripâ fluvii, vel ſaltem alterâ, magni ubique extitiſſent aggeres & terrarum cumuli. Id verò planè fortuitum eſſe videmus;

demus; decurrunt enim ſæpe per planities, & cum campis adjacentibus æquales ſunt aut æquè altæ fluviorum ripæ. Prætereà, unde eſſent aquæ his alveis in primâ Terræ fundatione? Si dixeris, cùm factus eſt alveus Oceani, tertio die, facti ſunt etiam alveoli fluviorum: & quemadmodùm maxima pars aquarum Abyſſi delapſa eſt in voraginem maris, ità reliquæ partes deſcenderunt in hos canales fluviatiles, primoſque fluvios conſtituerunt. Eſto: ſed præterquam quod hujuſmodi aqua eſſet ſalſa, perinde ac marina: nulli eſſent fontes perennes ad alendos hos fluvios; ideoque ubi defluxerat primum flumen, vel primus amnis, cùm nullæ eſſent à tergo ſucceſſuræ aquæ, hi fluvii, vel hæc aquilegia, ſtatim aruiſſent. Dico, cùm nulli eſſent *fontes perennes:* ſive enim oriuntur fontes à pluviâ, ſive è mari, neutro modo oriri poterant tantillo tempore. Non à pluviâ, nondum enim pluerat; neque fieri potuit ut aquæ Abyſſi decurrerent à locis maximè Mediterraneis ad mare, dein redirent per terræ viſcera, novas vias tentando, & percolatæ aſcenderent ad capita fluviorum, unius dieculæ ſpatio. Sed de fluviis ſatis, pergamus ad reliqua.

Sequitur tertiò, De Serpente qui allocutus eſt Evam, & ad diffidendum Deo pellexit, mira hiſtoria. Beſtiam illam loqui poſſe, aut quâcunque voce uti, præter ſibila, nondum ſcimus. Sed quid de eâ re ſciviſſe Evam credemus? Si pro muto animali habuiſſet, ipſa loquela terruiſſet fœminam, & ab omni ſermonis commercio pepuliſſet. Quod ſi loquax fuit, & ſermocinator, ab initio ſerpens, perditque loquelam ob hoc facinus, quòd pietatem fidemque Evæ ſuis blanditiis corruperat, hoc genus pœnæ neutiquam tacuiſſet Moſes: neque levius damnum de

*lambendo pulvere*, ipsius loco substituisset. Præterea, vis unicum serpentum genus, vel omnes bestias agri vocales fuisse in Paradiso: ut olim arbores in nemore Dodonæo? Si omnes, Quid commisêre cæteræ, ut usum linguæ perderent? Si unicum serpentum genus hoc gaudebat privilegio: fœdum animal & ab humanâ specie alieniſſimum, quî potuit mereri, præ aliis omnibus, sermonis gratiam & beneficium? Denique, cum omnis sermocinatio includat rationis usum, cuicunque animali sermonem dederis, illud animal eo ipso rationale constituis.

Sed facilè credo, hunc nodum aliter soluturos esse sensûs literalis vindices. Aiunt nempe, sub hoc Serpente latuisse Diabolum, vel malum Dæmonem, Qui hujus animalis ore & organis usus, affatus est fœminam voce quasi humanâ. Sed quo teste, quo authore, hoc dicitur? non id præ se fert litera Mosis, cujus illi sunt adeò tenaces. Quid aliud præ se ferre videtur, & astutiæ naturali hujus animalis id dare penitus, quod Evam deceperit. Sic enim præfatur Moses, *Erat autem Serpens callidior quâvis bestiâ agri, quam fecerat Dominus Deus.* Dein subdit, *Ille dixit mulieri, etiam ne edixisse Deum, &c.* Præterea, Si, quâvis Cacodæmonis ope loqui audiisset Eva animal naturâ mutum, obstupefacta statim aufugisset à monstro. Illa verò è contra, familiariter excipit: sermones serunt, confabulant, argutantur: ac si nihil miri, nihil novi, accidisset. Quod si hoc totum ab insciitia & imbecillitate mulieris proveniſſe dixeris, æquum utique fuisset, ignaræ & imbecilli fœminæ succurrisse, ex alterâ parte, bonos Angelos. Æqui spectatores rerum humanarum haud tulissent tam imparem congressum. Quid enim, si dolo mali Dæmonis, multiscii & in rebus agundis versatissimi, victa

fuerit

fuerit imbellis fœmina, quæ ſolem nondum orientem vel occidentem viderat: recens in lucem edita, & rerum omnium inexperta? Meruit certè tam charum caput, quod annexam ſibi tenuit humani generis ſalutem: meruit, inquam, cuſtodiam Angelicam.

Sed cavere ſibi debuiſſet fœmina, inquies, ne legem violaret pœnâ mortis ſancitam. *Quo die comedetis, moriemini:* Vos & veſtri: ita ſe habuit Lex. *Mori!* Quid hoc rei eſt, inquit ignara virgo, quæ nihil unquam mortuum viderat, ne florem quidem; neque mortis imaginem, Somnum, vel noctem, oculis vel animo adhuc ſenſerat. Sed quod de poſteris ipſius adjicis, eorumque pœnâ, id non exprimitur in Lege. Nullæ autem leges ſunt torquendæ, minimè pœnariæ.

De pœnâ Serpentis etiam non levis eſt quæſtio. Si Diabolus rem totam egit ſub ſpecie ſerpentis: vel ſi coëgit ſerpentem ut ea ageret vel pateretur: Quid ſerpens luit pœnas criminis à Diabolo commiſſi? Dein quoad modum & formam pœnæ in ſerpentem irrogatæ, nempe quod in poſterùm *pronus iret in ventrem*, quid hoc ſibi velit non eſt facile explicatu. Erectum fuiſſe anteà ſerpentem, aut quadrupedum more inceſſiſſe, ægrè quis dixerit; Quod ſi verò ferebatur pronus in ventrem ab initio, ut hodierni angues, ineptum videri poſſit, id pro ſupplicio, & in pœnam ſingularis facti, huic animali imponi aut attribui, quod ſemper & à naturâ habuit. Sed de Muliere & Serpente ſatis, tranſeamus ad Arbores.

Arbores hìc duas intelligo, in medio Horti, *Arborem vitæ*, atque *Arborem ſcientiæ boni & mali.* Arbor *vitæ* dicta eſt, ut aiunt, quod longiſſimam hominibus vitam datura eſſet. At, ſine hujus arboris

ope, longiſſimam vitam duxerunt omnes ante-diluviani: ut ex ſequentibus in eâdem hiſtoriâ patet. Præterea, ſi ex unâ arbore, vel ipſius fructu, pependiſſet longævitas vel immortalitas hominum, Quid ſi non peccâſſet Adamus? Quî potuiſſent ipſius poſteri, per totum terrarum orbem diffuſi, fructus repetere ex hoc horto, vel ab hâc arbore? aut quî potuiſſet ſufficere toti humano generi unius arboris proventus? Quoad alteram arborem, *ſcientiæ boni & mali*, ad quid valuerit, aut unde nomen illud adepta ſit, non ità clarè conſtat. Videtur ingenerâſſe, neſcio quo ſucco, vel quâ aliâ virtute, novos ſenſus pudoris & modeſtiæ, vel *nuditatis*, ut dicitur; quaſi nullum pudorem habuiſſent in rebus venereis ante lapſum; hodiè tamen, in rebus iſtiuſmodi, innocuos maximè comitatur pudor. Neſcio quid ſibi vult Sanctus Auguſtinus, cum ait, in primo hominum ſtatu & innocentiâ concepturas & parituras fuiſſe fœminas ſine violatione clauſtri Virginalis: immiſſo ſemine, & exeunte fœtu, per poros, ut exeunt virginum profluvia: totumque opus veneris peractum iri ſine ardore ullo, aut ſtimulis, ut manus manum fricat. Hæc ſi exigantur ad naturæ & philoſophiæ leges, ægrè poterunt expediri. Sed vim aliam hujus arboris innuit Deus, cum ait, *Ecce Adam quaſi unus è nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*: nempe vi & virtute fructûs iſtius quem comederat. Quicunque autem impetus aut affectus oritur ex vitio, aut inordinato motu, non Dei ſimiles nos reddit, at diſſimillimos. Sed de Arboribus hæc pauca ſufficiant, ad reliqua progrediamur.

*Civ. Dei l. 14. c. 26.*

*Gen. 3. 22.*

Poſt eſum hujus pomi, aut ficûs, aut alîus qualiſcunque fructûs, Parentes noſtri fecerunt ſibi ſubligacula: Ita ait Textus, *Conſuerunt folia ficulnea, & fece-*

*fecerunt ſibi ſubligacula.* En primordia artis ſutoriæ. Sed unde illis acus: unde filum, in primo die ſuæ creationis? Linificio, vel Arte Ferrariâ nondum inventis. Hæc forſan liberiùs quæſita videantur, ſed res ipſa poſtulat ut liberè agamus, cùm nudam veritatem quærimus. Quum verò ipſi ſibi fecerant ſubligacula, Deus iis dedit inſuper Tunicas: factas nempe ex pellibus animalium. Sed hìc iterùm incurrimus in difficultates: Ad rem molliendam, loco Dei ſubſtituamus Angelum, Angelus igitur necuit & excoriavit animalia, vel innocuis & vivis pelles detraxit. Sed hoc Lanii aut Carnificis eſt, non Angeli. Prætereà, ex hâc lanienâ periiſſent integra genera Animalium: neque enim plùra duobus in unoquoque genere, ab initio producta, creditur: atque alterum ſine altero, ſive conjuge, nullam habuiſſet progeniem.

His utcunque peractis, Quid ſequitur? Parentes noſtros, ità pellitos, Deus exegit è Paradiſo; poſuitque, ad introitum Horti, Cherubinos, cum verſatili & flammanti romphæâ, ne beatas ſedes vi & armis, vel etiam ex improviſo repeterent. Ecquis eſt interpretum qui hæc ad literam aſtringet? Angeloſque, inſtar ſatellitum, ſtrictis gladiis, ante fores horti, per neſcio quot ſæcula, ſtetiſſe aſſeret? ut Dracones dicuntur à Poëtis Heſperidum Mala cuſtodiiſſe. Quouſque autem durârunt hæ excubiæ Angelicæ? Ad Diluvium, opinor, ſi non ultra. Ita occupatos eſſe cenſes Angelos, per ſeſquimillennium & ultra, in cuſtodiendo viridario nocte dieque. *Sic vacat exiguis rebus adeſſe Deos?* Quàm facilè fuiſſet, in loco riguo, qualis erat Paradiſus, rivo vel fluvio circumduxiſſe hortum: quod Adamo & Evæ, qui cymbarum aut navigiorum uſum & fabricam adhuc igno-

ignorabant, ſatis ſuperque fuiſſet obſtaculi. Sed hæc & hujuſmodi, ne invidioſa videantur, mallem aliis meditanda relinquere.

Ita paucis percurrimus hiſtoriæ Paradiſiacæ ſumma capita. Reſtat unicum expendendum, *Quantillo* tempore hæc omnia peracta narrantur: unius diei ſpatio, vel forſan dimidio. Supponunt Theologi Adamum conſummaſſe ſuum cum Evâ matrimonium, primâ nocte: Dein aiunt, ſi Eva, adhuc innocua, primogenitum ſuum concepiſſet, eum pariter peperiſſet innocuum, & ab omni labe peccati primi immunem. Unde ſuam etiam progeniem, Patrem quod ſpectat, ab eodem malo intactam conſervâſſet. Sed nulla eſt iſtiuſmodi progenies, immaculata, aut ſemipura: omnes eâdem labe inficimur, eodem morbo laboramus. Quapropter ſtatuamus oportet hæc omnia perpetrata fuiſſe ſexto die creationis, ante cubitum aut genialis lecti amplexus. Quot autem, & quanta, congerenda ſunt in hunc unum diem! Hæc breviter, ſi placet, repetamus. Iſtoc die Deus creavit omnia pecora, omnes feras & omnia reptilia: Denique creavit Adamum. Et cùm hæc omnia creâſſet, adduxit unumquodque genus animalium coram Adamo, ut, pro cujuſque ingenio, nomina iis imponeret. Quam linguam calluit Adamus, primâ ſuæ nativitatis horâ, vel die, mihi prorſus ignotum: ſed utcunque, cùm tot ſint claſſes & familiæ animalium, cujuſque indolem æſtimare, aptamque inde nomenclaturam ſingulis imponere, non exiguum tempus poſtulare videtur. Finitâ quomodocunque hâc operâ, Deus immiſit ſoporem Adamo, & obdormivit, altùm verò dormienti eripuit ei coſtam, & ex eâ fabrefecit fœminam: Eodem die conjugium ineunt, mas & fœmina recens nati: ſine ſponſaliis,

ſponſaliis, aut frigidis procorum ambagibus. Eodem die nova nupta, neſcio quo propoſito, vagata inter arbores nemoris, incidit in Serpentem: Ille Serpens colloquium inſtituit cum fœminâ: argumenta jactant, hâc, illâc, de quâdam arbore, aut quodam fructu, edendo vel non edendo. Illa tandem rationibus aut lenociniis victa, fructum comedit; Neque id tantum, ſed eundem defert marito, qui pariter comedit. Magna inde mutatio, alter in alterius nuditatem conjiciunt oculos, erubeſcunt ambo, & conſutis foliis ficulneis conficiunt ſibi ſubligacula; quod aliquot ſaltem horarum opus eſſet. Rebus ſic ſtantibus, ſub veſpere Deus deſcendit in hortum: aufugiunt fontes, & ſeſe abſcondunt inter arbores & frondoſam opacitatem. Sed fruſtrà, Deus citat reos, comparent, factoque examine totius cauſæ, in Virum, in Fœminam, in Serpentem, debitas pœnas diſcernit. Denique, ad explendas omnes pœnæ partes, ejiciuntur ex Paradiſo parentes noſtri, in exilium aguntur: & præpoſitis Angelis ad omnes aditus horti, vagantur ſoli per ſylvas, & pernoctant inter feras.

Intra unius diei ſpatiolum hæc omnia confecta legimus: magna & multifaria negotia. Sed ardeo dolore, cum tantillo tempore, omnia inverſa & perturbata video: totamque rerum naturam, vix dum compoſitam & adornatam, ante primi Solis occaſum ad interitum ruere & deformari. Mane diei Deus dixit, *Omnia eſſe bona:* ſub veſpere omnia ſunt execrabilia. Quàm fluxa eſt rerum creatarum gloria! Opus elaboratum per ſex dies, idque omnipotenti manu, infamis Beſtia totidem horis perdidit.

Hæc eſt rerum & temporum ratio, in hiſtoriâ primi hominis & Paradiſi. Quæ cùm ſingula mecum revolvo, æquo animo, & in omnem partem flexili, quà

quà ducit ratio & veritatis amor: ſuccenſere non poſſum, ex Patribus & authoribus antiquis, illis, qui in ſymbola, aut parabolas aut ſermones populares, hæc convertere ſtuduerunt. Succenſeo autem Celſo, qui anilem fabulam, μύθον τινα ὡς γεραυσὶ διηγάμενον, hanc narrationem appellat. Ubi rectè monet, per modum reſponſi, *Origenes*, ὅτι μετὰ τροπολογίας ταῦτα εἴρηται. Quin ipſe Celſus teſtatur in ſequentibus, æquioris judicii Interpretes, tam Judæos, quàm Chriſtianos, pudere ſenſûs literalis, & ad allegorias hæc accommodare, οἱ ὀπιεικέστεροι Ἰουδαίων τε καὶ χριστιανῶν ὅτι τούτοις αἰσχυνόμενοι, πειρῶνταί πως ἀλληγορεῖν αὐτά. Hinc vides in primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculis, quibus vixit Celſus: Et apud Judæos etiam ante Chriſtum natum, æquiores interpretes à literâ narrationis Moſaicæ receſſiſſe.

*Orig. contra Celſ. l. 4. p. 186, 187. & p. 191.*

ἀπιχνᾶς παισὶ νηπίοις ἐμυθολόγησ. *Ibid.*

Id utique videtur graviſſimum & aſperrimum in hâc narratione, quod Gentem humanam plexiſſe, imò perdidiſſe, dicatur Deus, ob rem exiguam, & fœminilis ingenii levitate perpetratam. Quapropter ſentiunt nonnulli, quibus non refragor, ideò in leviuſculum, ut videtur, peccatum, tantam pœnam conjeciſſe Moſem, quò Legibus ſuis, quæ de rebus ſæpè minutis, neque ſua naturâ, aut bonis, aut malis, graviter decernunt: vim & authoritatem conciliaret. Quis enim non vereretur, minimam violare præceptiunculam, quæ Dei venit nomine, ſi unius pomi vetiti eſus perniciem attulit humano generi. Sed de his, cæteriſque Moſaicæ narrationis articulis, quiſque ſuo fruatur ſenſu, modò fundamentum non ſubruat. Fundamentum autem hìc appello, Doctrinam de ortu temporali humani generis, & hujuſce Telluris: & de utriuſque degeneratione: Hominesque redemptum iri ſemine mulieris. In errorem

ſumus

ſumus omnes proclives in hoc cæco mortalitatis ſtatu, & inter charitatis officia non minimum eſt, alios aliis labentibus indulgere aut ſuccurrere. Ego intereà, Deum teſtor, qui corda & cogitationes ſcrutatur, nihil mihi aliud propoſitum eſſe, in hoc vel in alio quocunque ſcripto, quàm ut pietatem promoverem, in veritate fundatam. Neque in hâc diſſertatione circa primos homines & Paradiſum, quicquam affirmatè & aſſeveranter dico, ſed modeſtè & ſubmiſsè, ut cordatiorum judicia experiar. Qui ſi mecum perpendere velint, primorum ſæculorum uſum & genium, præcipuè Gentium Orientalium: quibus moris erat, per ſymbola, ſimilitudines, & parabolas, ſua placita & doctrinas tradere, res antiquiſſimas eo modo explicanti, ſi non conſentient, ſaltem non iraſcentur. Atque hæc hactenús.

---

# CAP. VIII.

## *De rerum originibus in primo capite Geneſeos expoſitis: & de modo interpretandi Hexaëmeron Moſaicum.*

EA quæ præcedenti Capite diſſeruimus, de rerum originibus, reſpiciunt maximè humanum genus, eorumque cauſas & primævum ſtatum. Sed non minùs adverſari videtur Telluris Theoriæ rerum

inanimatarum & Univerſi origo, quemadmodum deſcribitur à Moſe in primo capite Geneſeos. Hanc igitur Cosmogoniam Moſaicam, cæteris omnibus, quarum antea meminimus, antiquiorem habitam, expendere debemus diligentiùs, atque has lites ita componere aut diluere per amicam interpretationem, ut veritas interim, quod utriuſque æquè intereſt, ſarta tecta conſervetur.

Conveniunt quidem Hexaëmeron & Theoria in primis rerum ſtaminibus, ut ita dicam: quòd utrumque ſupponat Chaos pro ſubſtratâ mundi materiâ. Conveniunt etiam in ordine generali, quod mundum inanimem primò, dein animatum conſtituant. In cæteris autem, ut in formâ & limitibus mundi producti, in modo, tempore, aliiſque, non parùm diſcrepant. Quæ jam pluribus ſunt examinanda.

Obſervandum igitur primò, Quam mundi formam, Quos limites, propoſuerit ſibi Hexaëmeron. Notum eſt, jactari inter eruditos & plebeios duplex mundi ſyſtema: quorum unum, Solem habet pro centro: alterum, Terram. Quæritur idcirco, utro nitatur ſyſtemate, hoc an illo, Hexaëmeron Moſaicum. Conſtat quidem Moſem opus ſuum inchoâſſe à Terrâ, tanquam totius machinæ baſi aut fundamento: Solemque non produxiſſe niſi quarto, ut ait, die: Terrâ, marique, jam conſtructis & abſolutis. Non erat itaque centrum totius operis, Sol, cùm, non niſi poſt opus ſemiperfectum, extiterit. Præterea, tam Sol, quàm ſydera reliqua, à Moſe exhibentur in uſum Telluris condita, tanquam corpora ſerva, ut dies, & annos, & reliqua tempora, nobis metiantur. Ex altera autem hypotheſi, Sol & Fixæ non tantùm ſunt corpora maxima, ſed etiam nobiliſſima: totius univerſi partes primariæ, & magnæ molis fundamenta.

Liquet

Liquet igitur, utrâque ratione, Moſem ſecutum eſſe plebeium ſyſtema: Quod populo placet, quod adblanditur ſenſibus, quod creditur, & capitur, aut capi videtur, à pluribus. Qua in re rectè conſuluit ſaluti publicæ, & neglectâ philoſophiâ, gravioribus conſiliis, & majoris momenti rationibus, adhæſit.

Secundò, Quùm pateat Terram fuiſſe centrum hujuſce Chaûs Moſaici, quærendum proximè, Quouſque ſe protenderit ſurſum hæc maſſa cæca & confuſa. Videtur quidem ſupponere Hexaëmeron, hoc Chaos implêſſe & occupâſſe totum Univerſum, quantum quantum: Cœlos omnes & regiones æthereas quaquaversùm diffuſas. Quinetiam lucidiſſimas ſtellas ex hâc materiâ Chaoticâ compoſitas eſſe, neque extitiſſe ullas ante ortum & natales Telluris noſtræ. Hæc præ ſe ferre videtur litera Hexaëmeri: Sed reluctante rerum naturâ, & rationibus philoſophicis.

Conſtat Fixas eſſe corpora ignea: neque omnes in eâdem hærere ſuperficie: ſed alias aliis eſſe remotiores à Terrâ, & profundiùs in cœlum immerſas; ac propterea nullum communem eſſe omnium umbilicum. Saltem, Terram noſtram, particulam univerſi cæcam & ſordidam: ſingulis Fixis, tam mole, quàm dignitate, minorem: Hanc, inquam, immenſi corporis eſſe cor, partem maximè nobilem, maximè vitalem: à naturâ rerum & ab omni ratione alienum eſt. Dico iterum indignanter, Hanc Terram, fæcem & recrementum naturæ, caput eſſe rerum & quaſi primigenitum omnis creaturæ, ſine opprobrio aut contumeliâ, tam in opus, quàm opificem, dici aut cogitari vix poteſt. Prætereà, Si Chaos illud terreſtre protenſum fuiſſet per immenſam rerum univerſitatem, Telluſque eſſet unicum centrum, quò omnes partes craſſiores confluebant: Illa Tellus,

ſive illud corpus medium, commune receptaculum omnium partium craſſarum, evaſiſſet in molem infinities majorem hâc noſtrâ Terrellâ. Sufficit enim Chaos ſublunare, ſive ad Lunam protenſum, ad conſtituendam hanc Terram; Et ſi inſuper adjicias totum cœlum aſpectabile: &, quæ ſenſus noſtros fugiunt, omnemque imaginationem, ſpatia ſupercœleſtia: neque Sol, neque ullum Corpus viſibile, tantæ eſt magnitudinis, quantæ foret illud corpus in medio Chao compoſitum.

Præterea, Mundum, tam incorporeum, quàm corporeum, antiquiorem eſſe hâc Terrâ habitabili, probari poteſt aliquo modo, ex authoribus Eccleſiaſticis, ſi penitiùs rem excutiamus. Plures è Patribus Chriſtianis Angelos extitiſſe ante Terram, vel ante Mundum Moſaicum, per ignota nobis ſæcula, ſtatuerunt; Aliqui etiam cœlos ſupremos, vel cœlum Empyreum. Sed de Angelis conſtantior eſt, & à pluribus celebrata, ſententia. Ut mittam Origenem, hoc Sanctus *Baſilius* in Hexaëmero: *Chryſoſtomus*, περὶ τῆς σκανδαλισθέντας, c. 7. πολλῷ ταύτης τῆς κτίσεως πρεσβύτεροι, &c. *Gregorius Nazianzenus* Orat. 38. & alibi. *Johannes Damaſcenus*, l. 2. Orth. fid. c. 3. *Joh. Philoponus*, de Creatione Mun. l. 1. c. 10. *ult. Olympiodorus* in *Job* 38. aliique è Græcis, docuere. E Latinis etiam non pauci eidem ſententiæ adhæſerunt. *Hilarius*, l. 12. de Trin. *Hieronymus*, *Ambroſius*, (in Hexam. l. 1. c. 5.) *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Beda*, aliique. Hieronymi verba libet apponere, *Sex mille necdum noſtri orbis implentur anni, & quantas priùs æternitates, quanta tempora; quantas ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteraque virtutes ſervierint Deo.* In Libro *de Trinitate*, ſive Novatiani, ſive Tertulliani

Hom. 1.

In Tit. 1. 2.

ſit,

sit, tam mundus Angelicus, quàm super-firmamentarius, conditus dicitur ante mundum Mosaicum; his verbis, *Quanquam etiam superioribus, id est, super ipsum quoque solidamentum, partibus, Angelos prius instituerit, spiritales virtutes digesserit, Thronos, Potestatesque præfecerit, & alia multa cœlorum immensa spatia condiderit,* &c. *Ut hìc mundus novissimum magis Dei opus esse appareat, quàm solum aut unicum.* Ad quem locum ita Pamelius; *Fuit non modò Novatiani hæc sententia, sed etiam Beati Hieronymi, tum Græcorum omnium, Quod Angeli priùs,* (id est, ante *omnem creaturam mundi nostri*) *instituti fuerint.* Denique, Catholicorum hanc communem fuisse sententiam, notat *Cassianus* suo tempore, nempe sæculo quinto ineunte. *De quâ,* inquit, *nemo fidelium dubitat.* Et cùm hoc dogma plenius exposuisset, subdit, *Ante illud Geneseos temporale principium, omnes illas potestates cœlestes Deum creasse, non dubium est.* L. 8. Collat. c. 7.

Et quo minùs dubitent de hâc præexistentia Angelorum, faciunt verba Domini ad Jobum, *c.* 38. 4, &c. *Ubi eras quando ponebam fundamenta Terræ: cùm me laudarent stellæ matutinæ & jubilarent omnes Filii Dei?* Ubi subdit *Olympiodorus,* ἀπὸ τούτου δῆλον, ὅτι πρῶτοι οἱ Ἄγγελοι τῷ κόσμῳ γεγένηνται. *Angelos in creatione mundi primò conditos fuisse, ex hoc loco manifestum est.* Constat scilicet ex his verbis, ante jacta Terræ fundamenta, extitisse Angelos, & laudes Deo ceciniisse in primâ orbis nostri molitione. Dein, si Stellas matutinas ad literam accipias, constat hinc Sydera & cœlos Telluris nostræ fundationem antecessisse. Prætereà, rerum intellectualium existentiam antemundanam eruit Hieronymus ex iis sacrarum literarum locis, ubi aliquid agi dicitur πρὸ χρόνων αἰωνίων, ut *Tit.* 1. 2. 2 *Tim.* 1. 9. vel πρὸ τῶν αἰώνων, 1 *Cor.* 2. 7.

2.7. ante ſæcula hujus mundi. Neque minus includitur in illâ locutione, πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, 1 *Pet.* 1.20. *Epheſ.* 1.4. *Joh.* 17.5. & 24. *ante jacta mundi fundamenta.* Quod non denotat nudam æternitatem, ſed hujuſce mundi periodos & fundationem. Quorum utrique præ-extitit Anima Meſſiæ, & œconomiæ Chriſtianæ myſterium. Sed ad Angelos redeamus.

Denique, ut oraculis ſacris, & authoritate Patrum, ita ratione & argumentis, idem licet evincere. Lapſi ſunt Angeli ante mundum noſtrum conditum, ergo prius creati, idque per aliquot ſæcula. Neque enim veriſimile eſt, eâ imbecillitate factas eſſe præſtantiſſimas creaturas, ut in malum & miſeriam prolaberentur ſtatim ab ortu & natalibus; Neque id convenit Deo optimo, maximo, rerum omnium intelligentium Patri benigno, ut ſui operis partem nobiliſſimam loco adeò lubrico collocaret, ut ſtatim, amotâ Conditoris manu, præceps rueret in perniciem: in extremas pœnas, & triſtiſſima Tartara, æternùm damnanda.

Quæ cùm ita ſint, ab Angelis ad mundum corporeum tranſeamus. Ubi illud primò notandum, ſi nulli prorſus materiæ uniti fuiſſent Angeli, nullam inde voluptatem, aut perceptionem qualemcunque habuiſſent, vix fieri potuit, ut à ſuis ſedibus & primævo ſtatu, detorquerentur. Ubinam locorum habitârunt Angeli ante-mundani? In cœlo & luce habitâſſe, ait *Baſilius.* Ex antiquis multi, ut notum eſt, σώματα λεπτὰ, atque ſui generis: non craſſa & terreſtria, inſtar noſtrûm, Angelis attribuunt: Et Concilium *Nicænum* ſecundum, hanc doctrinam, ex libro Johannis, Epiſcopi Theſſalonicenſis propoſitam, ratam eſſe voluit. Ità ſe habent verba, *De Angelis,*

*Hom.* 2.

*Act.* 5. *edit.* 1644. *Pariſ.*

&

*& Archangelis, & eorum poteſtatibus; quibus & noſtras Animas adjungo: Ipſa Catholica Eccleſia ſic ſentit. Eſſe quidem intelligibiles, ſed non omninò corporis expertes, & inviſibiles: ut vos Gentiles dicitis; verùm tenui corpore præditos, & aërio, ſive igneo: ut ſcriptum eſt,* Qui facit Angelos ipſius, ſpiritus: & miniſtros ejus, ignem urentem. *Sic autem multos Sanctorum Patrum ſenſiſſe cognovimus: quorum eſt Baſilius, cognomento Magnus: & B. Athanaſius, & Methodius, & qui ſtant ab illis* *. Non id volunt, Angelos eſſe corpora, ſed habere corpora, ut habent Animæ humanæ. Non tamen ejuſdem luti cum noſtris hodiernis, ſed tenuia inſtar aëris aut ignis: & eorum ſimilia quæ habituri ſumus, cùm erimus ἰσάγγελοι. Denique, qui locum illum, *Gen. 6. 2, &c.* de congreſſu Angelorum cum filiabus hominum, interpretantur: id quod faciunt è Patribus, aliiſque, non pauci[a]: neceſſe eſt aſſerant Angelos habere corpora, ſuæ naturæ propria & cognata. Ex quibus omnibus colligitur, unà cum Angelis materiam aliquam cœleſtem Telluri præextitiſſe.

* *S. Auguſt. multis in locis, quos vid. apud Sin. Sen. l. 5. Annot. 8. Vid. Cæſarium Dial. 1. B. P. tom. 4.*

[a] *Præter Philon. & Joſeph. Juſt. Mart. Apol. ad ſen. Ro. n. p. 44. Athen. Leg. p. 27. Origenes. Clem. Alex. multis in locis. Euſeb. præp. Evan. l. 5. c. 4. Methodius apud Phot. cod. 234. E Latinis, Tertullianus de hab. mul. c. 2. & aliis in locis. Lactan. l. 2. c. 14. Cyprian. de diſc. & hab. Virginum. Ambroſ. l. de Noe. Sulp. Sever. hiſt. ſac. l. 1. c. 3.*

Sed quæcunque aut qualiſcunque fuerit illa materia lucida, ſubtilis & tenuis, non extitit ſeorſim & ante reliquam maſſam materiæ. Omnis enim materia ſimul & ſemel è nihilo producta eſt. Neque concipere licet actionem creationis in partes & diſtantia ſæcula diviſam: manentibus interim vacuis reliqui mundi plagis & regionibus. Si mica materiæ extitit ante Epocham Moſaicam, tota moles univerſi, me judice, ante eandem extitit. Ac proinde ſi materia

teria illa Angelica, vel Angelorum vehicula, præceſsêre originem Telluris, ut philoſophantur Patres Græci: omnis materia aliquo modo præceſſit. Ejuſdem verò diſpoſitio & ordinatio, ſecundum varias partes, regiones, & formas, alio atque alio modo & tempore, ad præſcriptum Providentiæ, obtinuit.

Hactenùs de Angelorum præ-exiſtentiâ, & ipſius etiam materiæ, in quantum cum Angelis connectitur, ex authoritate Patrum egimus. Redeamus jam ad rerum naturam, & mundum aſpectabilem; Neque enim deſunt argumenta plura in mundo corporeo, quæ eandem Materiæ antiquitatem confirmant: atque Epocham Moſaicam, præter propter, ſexmillennem, non totius univerſi originem, comprehendere, ſed Telluris noſtræ ſæcula, & tempus formationis è ſuo Chao, ſatis teſtantur. Si phænomena cœlorum perluſtremus iterum, Syderumque, tam Errantium quàm Inerrantium choros: facilè credemus, tam numeroſam progeniem, & meliori dignam parente, non unius Chaûs Terreni ſobolem eſſe; neque pati poſſe, ut intra exigui temporis cancellos eorum ætates & hiſtoriæ includantur. Perpendamus, ſi placet, quod jam conſtat omnibus, Tellurem eſſe Planetam: multoſque eſſe Planetas, præter Tellurem, ejuſdem indolis, ſimiliſque materiæ & formæ: Quos omnes, probabile eſt, eundem habuiſſe ſuæ originis modum & principium: nempe, unumquemque ortum eſſe è ſuo Chao. Ex quo autem facta eſt Terra, nullius novi Planetæ natales vidimus: ac proinde, aut omnes ſunt antiquiores Terrâ, aut coævi. Si priùs, res confecta eſt: ſin coævos feceris, tot oportebit ſupponere Chaos, quot ſunt primarii Planetæ. Conſtat enim Jovem, exempli gratiâ, qui ſuos circumrotat ſatellites, ſibi eſſe centrum, neque

pendere

pendere qualitercunque è Terrâ noſtrâ; uti quidem nec reliqui, præter Lunam.

Præterea, Stellæ Fixæ videntur antiquiores Planetis, & unamquamque eſſe ſui orbis aut vorticis centrum. Tot itaque ſyſtemata conſtituenda ſunt in cœlo, quot ſunt Fixæ: quæ cùm ſint, numero & mole, maximæ, abſorbent hoc punctum Telluris, quaſi minus nihilo: neque inde repetendas eſſe earum origines, aut eò deberi gratias, facilè ferent cœlorum amici, aut quivis Dei operum æqui æſtimatores.

Denique, veriſimile eſt Planetas olim fuiſſe Fixas: Terramque ipſam in eodem cenſu & ordine numerandam eſſe. Planetarum origines ex aliâ quacunque hypotheſi, haud facilè expedies. Saltem ſi ignem habent in Centro, quod admodùm probabile eſt. Præterea, vidimus Solem, denſis maculis quandoque faciem obductum: legimuſque per aliquot dies pallidum, obſcurum, & quaſi extremâ jam in morte luctantem; Is autem qui ægrotat, poteſt mori: & quod uni accidit, aliis ejuſdem generis (congeneres autem ſunt omnes Fixæ) accidere poteſt. Fixæ igitur ſunt extinguibiles: extinguitur autem Fixa, cùm, craſſo macularum cortice, quem perrumpere non poteſt, obtecta, in corpus obſcurum & opacum degenerat: Quale quiddam eſt Planeta.

Poſtremò, Stellæ novæ, quæ nuperis annis apparuerunt in cœlo, nullum habuere cum Terrâ, quoad origines ſuas, nexum aut cognationem. Neque magis ullum habent Cometæ: qui, licet, in nonnullis, dubiæ ſint & difficilis explicationis, nihil aliud eſſe mihi videntur, quàm Fixarum cadavera, ut ita dicam: nondum ſepulta, nondum ad requiem compoſita. Vagantur per varias cœli regiones, Umbrarum inſtar, donec invenerint ſedes aptas; Quibus

repertis, fugam ſiſtunt, &, in Planetas converſi, circa aliquod aſtrum motus ſuos obeunt. Quod ſi, ex aliâ hypotheſi, pro corporibus originariis habeantur Cometæ, tam immenſos peragunt circulos & periodos, ut, eundem nobis unquam bis viſum eſſe, in eâdem ſui circuitûs parte, à nemine probari poteſt.

Hæc & hujuſmodi cœlorum phænomena, ad Epocham ſexmillennem, ſalvis naturæ legibus, ægrè revocari poſſunt. Quin fatendum erit potius non eandem fuiſſe originem, neque coævam, Telluris noſtræ & totius Univerſi: ſive Intellectualis, ſive Corporei. Neque mirum videri debet hæc non diſtinxiſſe Moſem, aut Univerſi originem non tractâſſe ſeorſim ab illâ mundi noſtri ſublunaris: Hæc enim non diſtinguit populus, aut ſeparatim æſtimat. Maxima pars hominum reliquum naturæ & Univerſi pro quâdam habet Orbis noſtri aut Telluris appendice, quæ nihil valet ex ſeipsâ, ſed attexitur in uſum humani generis, & ut commodis noſtris inſerviat. Rectè igitur Legiſlator ſapientiſſimus philoſophis reliquit id negotii, ut ubi maturuerit ingenium humanum, per ætatem, uſum, & obſervationes, opera Dei alio ordine digererent, perfectionibus divinis atque rerum naturæ adaptato. Sed de hoc Capite ſatis, pergamus ad alia.

Tertiò, memorat Moſes in ſuo Hexaëmero celebre phænomenon, quod nullibi rerum comparet. *Aquas* intelligo *ſupercæleſtes:* quibus condendis, aut ſuis ſedibus diſponendis, Deus impendiſſe dicitur integrum diem: non minus ſcilicet temporis quàm condendo Soli, & Lunæ, & toti cœlorum exercitui! Hæc corpora præclara meritò ſibi vendicant viginti quatuor horarum labores, ſed rei obſcuræ & incognitæ tantundem operis invidemus. Age verò, quæramus

ramus has aquas inviſibiles: quibus hærent ſedibus, aut olim hæſerunt. Ait Moſes, ſupra Firmamentum poſitas eſſe: Solem verò & reliqua ſydera in Firmamento. Eâ ratione aquas illas collocat ſuper omnes Stellas, aut cœlum ſtellatum; Harum nihilominùs centrum, omniumque rerum, conſtitutæ Terram; Cùm verò graviores ſint aquæ materiâ cœleſti, ipſoque aëre, quî poſſunt hærere in altiſſimâ ſede, nullis corporibus intermediis craſſioris fili, ſuffultæ? Nos vetat recurrere ad omnipotentiam divinam, in hâc materiâ, Sanctus Auguſtinus: qui in tractando hoc ipſo argumento, ità nos monet, graviter & appoſitè. *Nec quiſquam dicat ſecundum omnipotentiam Dei, cui cuncta ſunt poſſibilia, oportere nos credere aquas tam graves quàm novimus atque ſentimus, cœleſti corpori, in quo ſunt ſydera, ſuperfuſas: nunc enim, quemadmodum Deus inſtituerit naturas rerum, ſecundum ſcripturas ejus nos quærere convenit, non autem quod ipſe in iis, aut ex iis, ad miraculum omnipotentiæ ſuæ velit operari.* Huic concinit, quod generaliùs nos docuit alibi, *Sic Deus adminiſtrat omnia quæ creavit, ut ipſa proprios motus exercere & agere ſinat.* Penes has regulas eſto judicium.

1. 2. de Gen. ad lit.

Civ. Dei. l. 7. c. 30.

Prætereà, ſi extitiſſent ſupra altiſſimos cœlos hujuſmodi, neſcio quales, Aquæ: quid interfuiſſet populi hoc nôſſe myſterium? Alienum eſt à more & propoſito Moſis, res inviſibiles & abſconditas, & inutilis notitiæ, memorare in ſuo Hexaëmero: quod mundi aſpectabilis phænomena tantùm proſequitur: utpote quæ omnium oculos feriunt, & Creatorem deſiderant; Quæ verò nullibi comparent, nullo indigent authore, nullâ explicatione.

Quare nonnullis viſum eſt, has aquas ſupra Firmamentum poſitas, de nubibus aquoſis interpretari, atque

duplex ideò statuere firmamentum, superius & inferius: Illud, in quo resident stellæ: hoc, in quo fluctuant vapores, nubes, & meteora: nempe spatium quod interjacet Terram & mediam aëris regionem, Firmamentum appellant. Sed ex hâc interpretatione, quid est, quæso, quod Deus creavit secundo die? aliquantulum spatii? hoc intervallum quod est inter nos & nubila? At istud intervallum extitit antea: non ad mediam aëris regionem tantùm, sed ad supremum utque cœlum, protensum: sive Lucem primigeniam, sive Chaos, interpositum supponas. Quid igitur rei est, quæ sententia, creare intervallum: dein creare intervallum secundo die, quod extitit primo? Neque sepimentum aliquod solidum in cœlis fluidis jam admittitur.

Sed ad refellendum ulteriùs hanc interpretationem, audiamus verba Mosis: Secundo die, inquit, *Deus dixit, Fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Nempe superiores ab inferioribus. Extiterunt igitur hæ aquæ, tam superiores quàm inferiores, ante factum hoc Firmamentum inter aqueum. Terminus enim, vel disterminatio, est rerum jam existentium. Dic igitur quænam erant, vel ubinam locorum, hæ aquæ superiores ante factam hanc separationem. Videntur fuisse priùs massa continua, atque hâc contignatione bipartiri. At pluviæ non extiterunt antea, neque nubes. Has itaque si haberi velis pro aquis superioribus, non respondet interpretatio verbis Mosaicis. Denique præposterum esset, nubes condere ante Terram: vel tanti facere hæc vaporum coagula, quæ fiunt & pereunt singulis diebus, ut sextam partem magni Dei operis occuparent.

Res

Res eò redit: Generationem naturalem pluviæ per vapores denſatos, non capit populus: ſed pluviam cœlo divinitùs miſſam credit, ſive immediatè à Deo; Huic ut opinioni faveret Moſes, ſtatuit commune receptaculum Aquarum ſuper cœlos: ut Deus, pro lubitu, laxatis vel occluſis Cataractis, pluviam dimittat vel retineat. Hæc mihi videtur mens & conſilium ſacri-authoris, quoad Aquas ſupercœleſtes. Atque hoc modo dignitati Moſis optimè conſulitur, ſi, quoties receſſum eſt à veritate phyſicâ, id fieri ſupponamus, κατὰ συγκατάβασιν, ad vires uſumque populi ſuam Coſmopœiam accommodando.

Eodem modo cùm de *Luce primigeniâ* agitur, in primo die creationis, id phænomenon eſt pariter inexplicabile ratione phyſicâ; ſed ne Deus videretur in tenebris operari per triduum, opportunum viſum eſt Moſi, ſub ipſo initio operis, *Lucem* proferre. At qualem Lucem? Lucem ſine fonte, ſine ſcaturigine. Lux autem, ſi philoſophemur, profluit ab aliquo centro, ubi cor & principium ſui motûs. Prodit autem Lux in hâc Coſmopœiâ ante omnem diſtinctionem cœlorum in orbes aut vortices. Prætereà, ſecundum literam, videtur Deus intermiſiſſe opus ſuum nocturno tempore, ut ſolent homines: Sed non video quî perfici poterat alterum Hemiſphærium (cœleſte vel terreſtre) ſi ulla fuit operis intermiſſio, & Deus non ageret niſi ubi lux eſſet. Cæterùm has minutias non curat populus, neque Antipodas ſomniat, aut alterum hemiſphærium: ſed mundum concipit inſtar Tentorii, cujus tectum eſt cœlum: & planities Terræ, fundamentum. Iſa. 40. 22.

Succedit Tertii diei opus, ubi origo Oceani ἀτέχνως καὶ ἀθεωρήτως, ad captum vulgi deſcribitur: his verbis, *Congregentur Aquæ*, inquit Deus, *in unum locum*,

*locum, & appareat Arida. Aridam autem vocavit Terram, & congregationem aquarum, Maria.* Hæc collectio aquarum ad diſcooperiendam Terram, quæ ſub Abyſſo latuit, duobus tantùm modis fieri potuit: vel accumulatione aquarum certis in locis, ut nullæ manerent in reliquis: vel excavatione Terræ ſubabyſſinæ, certis in locis, ut aquæ eò ſubſiderent. Sed accumulatio illa non efficeret alveum Oceani, itaque omnes Interpretes aiunt, excavatione Terræ factum eſſe alveum Oceani, eóque deductis, aut aggregatis, aquis, denudatam eſſe Terram in cæteris locis. Præterea, eâdem operâ factos eſſe montes, aiunt: nempe ex Terrâ egeſtâ ex hâc foſsâ marinâ, & variis in locis exaggeratâ.

Quid luculentius hâc originatione Oceani & Montium, ſi calculis & ſeveriori examine abſtineas. Hæc itaque debent placuiſſe & ſatisfeciſſe populo, qui ſe non torquet argutiis. Quibus verò animus eſt harum rerum examen ſtrictius inſtituere, conſulant, ſi placet, quæ ſcripta ſunt, *Theoriæ l. 1. c. 8, 9. & ultimo.* In quo ultimo Capite, per rationes multiplices, & indicia manifeſta, monſtratur, neque alveum Oceani, neque Montes, neque primam Aridam habitabilem, ab hâc origine provenire potuiſſe. Eadem verò hìc repetere, aut plura addere, haud operæpretium eſſet.

Hæc de primo triduo Creationis Moſaicæ. In quâ, ſi primi & ſecundi diei opus præteriiſſet Author, nempe *Lucem illam vagam*, & *Aquas ſupercæleſtes*: verſumque nonum proximè ſubjunxiſſet ſecundo, ſuo mundo, vel orbi habitabili, nihil defuiſſet. Sed quoniam diem ſeptimum, ſaltem ut mihi videtur, pro Sabbatho habere & conſecrare decreverat, protrahendum erat opus Creationis in ſex dies: ut unà cum memoriâ

memoriâ mundi absoluti, & exemplo Dei requiescentis ab omni operâ, septimus dies perpetuò celebraretur. Sed admodum inæqualia sunt horum dierum pensa: Primi diei opus ictu oculi peractum fuisset: atque, ita opinor, secundi. Sed Diei tertii magnum esset molimen & diuturnum. Primò excavare fossam tantam, quanta est illa Alvei marini; Dein, Aquas omnes, quæ superficiem Terræ operiebant, derivare, vel potiùs detrudere, in illam fossam. *Detrudere*, inquam, quandoquidem non sponte irent versus mare, cùm nulli essent adhuc fluviorum Alvei, neque terrarum declivitas. Ubi appliciti erant novi montes, aut egestæ terræ cumuli, iis in locis excuterentur aquæ, & tantundem proflueret in fossam: sed in reliquis locis nisi vis alia accederet, hærerent immotæ super faciem Terræ. Utcunque si decurrisse supponas rapidè instar fluviorum, è locis nonnullis Mediterraneis ad mare, aliquot dierum iter esset. Quarta diei pensum videtur non minùs operosum: Solem, Lunam, Sydera; Deus bone, quot & quanta corpora, una dies parturiit & perfecit. In singulis autem Planetis condendis sex dies impendendi essent, non minùs quàm in nostro; cùm eâdem ferè sint formâ, nec dissimili, quantum constat, supellectile & apparatu. Præterea, aggregandi erant omnes, secundum ordinem rerum, ad Tertium diem, cùm sint corpora Terrestria. Luna maximè, quæ à suo centro, Terrâ, ægrè se divelli patitur, & in aliam classem transferri. Sed Moses sequitur Philosophiam vulgi, Lunamque copulat cum Sole, quasi similis essent indolis & magnitudinis. Quinti denique, & sexti diei opera erant multifaria. Omnium Avium & avicularum: Piscium & pisciculorum: Bestiarum, & bestiolarum, corpora, fabre- *Gen.* 1. 20. & 24.

facta

facta fuere in hoc biduo: ex aquis & è Terrâ producta. Tardiùs hodiè proceditur in concinnandis corporibus Animalium: Neque id miror, cùm tanti ſint artificii. At cùm cujuſque animalis & animalculi corpus adeò accuratè formatum & compoſitum ſit, corpus Telluris, communis omnium Matris, adeò deforme, hiùlcum, & ruinoſum fuiſſe ab origine mundi, ac eſt hodiè, nunquam inducar, ut credam. Sed hoc obiter.

Voluit Sanctus Auguſtinus, hæc omnia, quæ dicuntur opera ſex dierum, unico momento creata fuiſſe: quæ diſpeſcuit Moſes in claſſes & diverſa tempora, quo magis juvaret imaginationem populi, in concipiendis rerum originibus. Deus, ut mihi videtur, omnem ſubſtantiam, ſive intellectualem, ſive corpoream, unico momento, & indiviſibili actu, è nihilo produxit. Neque eâ ratione à ſcopo aberravit Auguſtinus: Sed non hìc agitur (ſecundum rei veritatem) de univerſâ ſubſtantiâ, ſed de mundo Terreſtri tantùm: nec de ipſius creatione, ſed formatione. De creatione rerum omnium ex nihilo, ſive ex nullâ præ-exiſtente materiâ, dubitari non poteſt, neque id fuiſſe ab æterno. (Creatura enim æterna à nobis concipi non queat) ſed limites ſexmillennes, Epocham breviuſculam, Creationi divinæ præſcribere nunquam auſus ſum. Id, cum multis aliis, inter arcana Dei libentiùs relinquo.

Hæc breviter annotata ad Geneſin rerum à Moſe propoſitam, arguere videntur, non id conſilii fuiſſe ſacro authori, ut mundi ortum explicaret ſecundum veritatem phyſicam: quod inutile fuiſſet populo philoſophiæ indocili; ſed origines rerum eâ methodo proponere, quæ facilis eſſet conceptu, animiſque hominum pietatem ingeneraret, & veri numinis cultum.

Et

Et cum singulæ Gentes antiquæ, Ægyptiæ, Phœniciæ, Chaldaicæ, aliæque, suas habuerint Cosmogonias, in exordio plerumque historiarum, vel suæ Theologiæ, præmissas; opportunum duxit Moses, Legibus & institutis, quæ scripturus erat Israelitis, præfari, aut prætexere, non tantùm suæ gentis originem, sed etiam totius Mundi. Quùm verò fabulis sæpenumerò, & nescio quot Diis & Deabus, refertæ essent illæ gentium Cosmogoniæ: non sine gravi Religionis corruptelâ; His omnibus expunctis, castè & innocuè argumentum tractavit. Et quò Idololatriæ radices evelleret, Cœlum, Solem, Lunam, Sydera, aliarum gentium maxima numina, non ut æterna, neque sui gratiâ condita, exhibuit: Sed ut huic orbi sublunari, atque usibus humanis inservirent *.

* *S. Basil. Hom. 5. princ.* Διὰ τοῦτο πρεσβυτέρα τῶν ἡλίου ἡ περὶ γῆν διακόσμησις, ἵνα καὶ τῶν προσκυνεῖν τὸν ἥλιον, ὡς αὐτὸν τὴν αἰτίαν τῆς ζωῆς παρεχόμενον, οἱ πεπλανημένοι παύσωνται, &c. *Dein, hom. 6.* ἥλιος δὲ οὔπω ἦν, &c. *In eundem sensum vid. etiam Philoponi* κοσμοπ. *l. 4. c. 1.* πολλάκις εἶπον ὡς εἰσαγωγικὸν, &c.

Hoc mihi videtur Sacri Scriptoris fuisse propositum. Quod si nudam veritatem ac Theoriam physicam, quæramus, alia tela texenda est. Nempe statuendum, si rectè judico, Mundum, qui exortus est sex abhinc prope millenniis, non aliud fuisse quàm Orbem Sublunarem, sive Tellurem nostram cum suo cœlo. Atque illud Chaos unde ortus est, non universale, aut per immensa cœlorum spatia diffusum esse, sed intra præfatos limites contentum, totum scilicet infra Lunam. Dein ex illo Chao prodiit Tellus primigenia: non eâ formâ, quam depinxit Moses: Ille enim formam istam delineavit, quæ populo ante oculos obversabatur, hodiernam scilicet, & postdiluvianam; Nec sine longâ verborum ambage &

argumentorum serie, ad primam formam ascendere potuisset, & utriusque filum ad sua tempora deducere. Denique, nec Sol, nec Sydera, composita sunt ex hoc Chao Terrestri: Sed cùm Hominem, quasi rerum apicem, &, sub Deo, supremum Dominum, constituisset Moses, ipsius gratiâ totum Universum conditum & constructum exhibuit. Hæc mihi videtur ratio utriusque Cosmopœïæ, Physicæ & Ethicæ: ita enim appello Mosaicam: cùm non tam φυσικῶς quàm ἠθικῶς, instituì & ordinari videatur. Intereà, si aliis aliter visum fuerit, ego neminem vexo, aut de suâ sententiâ deturbare cupio. Quisque suâ luce, atque suo sensu, gaudeat. Eâ autem omnes tenemur uti ratione, quam Deus singulis indulsit, donec quid clarius de cœlo affulserit.

---

## CAP. IX.

### *Dubiis & objectionibus occurritur, quæ ab iis, qui literæ Hexaëmeri adhærent, contra præfatam expositionem urgeri poterunt.*

HIS ità expositis, magnam objectionum molem obstare video; Quam tamen, pro viribus, amovere conabor, atque causam conservare integram apud æquos judices; Quorum utpote officium esse ducimus,

ducimus, ex amore veritatis, & rationum momentis, non ex inveteratâ opinione, ſententiam ferre. Rem autem, quàm potero, adductis utrinque rationibus, paucis expediam.

Aiunt imprimis hujus expoſitionis adverſarii, ALIUD eſſe Creationem, Aliud rerum jam creatarum Formationem: Loqui autem Moſem de Creatione rerum ex nihilo, cujus Epocham ſtatuit paucis retrò millenniis; Nos autem id totum interpretari de Formatione rerum, ſive de materiæ confuſæ in mundum habitabilem diſpoſitione. Statum quæſtionis accipimus: ſed neque à verbis Moſis, nec alîunde, probari poteſt quod obtenditur. Vox ברא apud Hebræos, κτίζειν apud Græcos, *creare* apud Latinos, vim iſtam non habent. Nec in quacunque Linguâ, quod ſciam, productio rerum ex nihilo, unicâ voce comprehenditur. Vis & uſus dictarum vocum in tribus iſtis linguis, ſatis nota ſunt: Et quoad Hebraicam ſpeciatim, uſumque in ſacris literis, vocem ברא aliis actionibus effectiſve applicari, quàm primæ rerum productioni, apud omnes in confeſſo eſt. Ab iſtoc igitur vocabulo nihil probari poteſt. Neque, inquam, aliunde, vel à ſacris literis, vel à ratione, ſuſtentari poteſt hæc objectio. Ait quidem Apoſtolus, πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας, ῥήματι θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Καταρτίσθαι (*adaptari, compingi, conſtrui*) non ſignificat productionem rei ex nihilo: ideoque non dicit Apoſtolus, μὴ ἐξ ὄντων, ſed μὴ ἐκ φαινομένων, καταρτίσθαι τοὺς αἰῶνας. *Ex non apparentibus*: ſive quod jam evanuerint, in aliam formam mutata: ſive quod olim etiam erant tenebroſa, & ἀόρατα. Nempe intelligit, quod anteà notavimus, molem illam cæcam & indigeſtam, quam תהו בהו appellavit Moſes. Hanc *Heb.* 11. 3.

molem, hoc Chaos, in ordinem ſpeciemque mundi habitabilis digeſſit Deus, & partes ipſius adaptavit, quaſi membra corporis, è maſsâ ſeminea educta, formata, & coagmentata.

Denique quoad Rationem & exterioris mundi phænomena, nihil eſt in rerum naturâ quod novitatem Materiæ arguit: ſed novitatem Formæ, multa. Quinimò circa cœlos nonnulla notavimus in præcedenti capite, quæ ætatem pluſquam ſexmillenem non obſcurè indicant. Omnis autem materia, ut antea diximus, eſt coætanea: &, ni fallor, omnis ſubſtantia creata. Angelos porrò præ-extitiſſe Mundo Moſaico, in ſuperioribus probatum dedimus: Animaſque humanas ſuis corporibus Terreſtribus præextitiſſe, docuit antiquitas, tam Orientalis, quàm Occidentalis. Vides quàm multa faciunt in partes antiquitatis rerum, ſed ex nullo Capite probari poteſt, Chaos Moſaicum, tunc temporis, è puro puto nihilo prodiiſſe.

Secundò objicitur, quærendo, ſi materia Chaûs extitit ante Mundi Moſaici principium, Quid fuit, quem in finem extitit, aut ubinam loci, ante illud tempus? Reſpondeo, Hæc non eſſe ſollicitiùs quærenda, cùm magnâ ex parte notitiam noſtram fugiant. Sed vidimus quandoque novas ſtellas in cœlo oriri, quæ nunquam antea apparuerant, quas tamen præ-extitiſſe ſub aliquâ formâ, & alicubi locorum, æquum eſt, credamus. Præterea, Cometas ſæpe in cœlo advertimus, quorum origo & primæ ſedes nos latent. Denique, neutiquam fingendum eſt, cœlos eſſe incorruptibiles; Corpora cœleſtia perinde ac Terreſtria, ſuas habent viciſſitudines & tranſmutationes; Atque ipſæ Fixæ in Planetas, mediante Chao, converti poſſunt: & viciſſim Planetæ, excuſſis ſordibus,

*Vid. Theor. Tell. l. 4. c. 10.*

dibus, in Fixas reviviſcere. Ea eſt rerum omnium creatarum inſtabilitas & reciprocatio. Hæc de materiâ Mundi.

Tertiò objicitur, quoad Formam, ordinem, & genera, rerum conditarum, Moſem, ex hypotheſi noſtrâ, receſſiſſe à veritate, & à rerum naturâ: quò conſuleret, ut fingitur, utilitatibus populi, & vulgaris ingenii modulo. At veritas, inquiunt, eſt res ſacra & inviolabilis, quam nullo prætextu lædere, aut ipſius dignitatem infringere: nullas ob cauſas penitùs abdicare licet, maximè viro ſacro, & in tractandis rebus ſacris.

Hæc eſt decumana objectio, quæ omnium ferè vires complectitur: & ſi huic obſiſtendæ vel ſuperandæ pares fuerimus, minùs metuendum erit à reliquis. Fatemur imprimis, Moſem receſſiſſe à veritate phyſicâ in ſuâ Coſmopœïâ: Fatemur etiam, veritatem eſſe rem ſacram: ſed in ſacris ſunt varii gradus & ordines, quorum alii aliis ſunt magis aut minùs inviolabiles. Hìc de veritate phyſicâ agitur, non morali aut divinâ: nihil autem uſitatius eſt in ſacris literis, quàm, neglectâ veritate phyſicâ, rerum naturas λαοδογματικῶς exhibere: hoc eſt, ſecundum opinionem, affectus, & judicia, populi. Ita Terram planam, & quadrangularem, exhibet ſacra Scriptura: Cœlum ſolidum, & expanſum inſtar tabernaculi: Lunam inter maxima ſydera: Solem ab Oriente in Occidentem quotidiè curſitantem: Oceanum litoribus altiorem; Hæc de Mundo Corporeo. Dein Angelos alatos & linguatos: Animaſque ſanguineas & poſt mortem dormituras: Denique, Dei ipſius, Optimi Maximi, aures, oculos, manus, digitos, memorat, & reliqua membra; Prætereà, Infiniti Numinis motus locales, affectus, & paſſiones. Hæc vera eſſe dixeris,

dixeris, vel ad captum vulgi accommodati? Quod si in tot tantisque rebus non refugit aut reformidat Scriptura sacra à veritate recedere, quid ni licuerit Mosi eâdem uti libertate in tradendis rerum Originibus? cùm istiusmodi reverà fuerint, ut earum explicationem nudam & philosophicam, populus, nec sapere, nec ferre potuisset.

Neque apud Sacros Scriptores tantum, sed etiam Gentium philosophos, moris erat, populum, τὸν πολὺν καὶ δημώδη ἄνθρωπον, ut illi loquuntur: vel etiam Discipulos νεοφύτους: crasso modo erudire. Et non nisi peracto quodam Tyrocinio literario, ad interiores rerum sensus admittere. Hunc duplicem docendi modum inter Philosophos sæpius notavimus in præcedenti libro: secundum illud dictum Parmenidis, διπλὴν εἶναι τὴν φιλοσοφίαν, τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν· τὴν δὲ κατὰ δόξαν. *Duplicem esse philosophandi modum, secundum veritatem, unum: alterum, secundum opinionem communem.* Sed non uno modo celârunt veritatem Antiqui: quandoque sermone symbolico, parabolico, vel aliàs figurato: quandoque sermone populari & plebeio: quandoque res explicando κατὰ τὸ θεῖον, vel κατὰ τὴν πρόνοιαν, non ad naturæ leges. Horum omnium modorum exempla habemus in sacris codicibus: neque ideò mirandum, aut hos aut illos secutum esse Mosem, in explicando mundo naturali, ipsiusque origine.

*Apud Laert.*

Diximus supra, in rebus sacris, alias aliis esse sacratiores: & quantum ad *veritatem*, hanc sequimur, celamus, aut dissimulamus, pro rationum momentis, quæ inde pendent. Cui unquam, viro probo, viro pio, religio est, ægrotos, pueros, aut mentis malè compotes, in suum ipsorum commodum fallere & decipere? Et quid ni numeremus in hoc sensu rudem

&

& indocilem plebem eodem modo tractandam? nempe cum res poſtulat, & majoris boni adipiſcendi ratio. Malo dolo uti in alterius damnum, nefas eſt: ſed ob commune bonum, & ad ſuccurrendum infirmis, fallimus & fallimur ſine crimine. Eſt aliquid magis ſacroſanctum & inviolabile in ratione Boni, quàm in ratione Veri; Quæ cùm pariter conciliari non poſſunt, cedit poſterius priori.

Ut hæc ad propoſitum, Moſemque noſtrum, applicemus; Convenîmus libenter, non temerè aut levi de causâ recedendum eſſe à vero. Sed verum quod effertur ſine fructu, eſt ſuperfluum: quod autem non ſine gravi damno, eſt noxium. Noſtro autem Moſi ita comparatum erat cum ſuo populo, ut neque cum eorum fructu, nec ſine damno, exquiſitas rerum origines iis exponere poterat. Quid ſi propoſuiſſet Moſes, in exordio ſuæ Coſmopœiæ, verum mundi ſyſtema: dixiſſetque ſuis Iſraelitis, Scitote, Patres Fratreſque, Terram, quam pedibus terimus, quæque nobis videtur immota, & rerum omnium ſtabile fundamentum, gyrare perpetuò, moveri celerrimè, & per integrum ſui orbem ſingulis diebus circumrotari: dein, ſingulis annis, ferri per altum æthera circa Solem, immenſâ ferè orbitâ. Sol intereà, qui nobis videtur ſtrenuiſſimus curſor, & duodecim horis, plus minus, ingens cœli noſtri ſtadium confi-cere, nos fallit & ludit oculos. Ille enim hæret otioſus in ſuâ ſede, per diem noctemque: atque id operis commendat Terræ, ut diem & noctem, & diverſa anni tempora, ſuo motu conſtituat & metiatur. Si hoc modo ſermonem ſuum auſpicatus eſſet Moſes, annon, ut abſurda narrantem, & à communi ſenſu aliena, cum riſu aut faſtidio accepiſſet populus! &, non ſine gravi ſuo damno, virum ſacrum, tanquam nugiven-

nugivendum, rejeciſſet? Hæc tamen vera ſunt, licet non utilia aut idonea vulgo: & quæ eorum loco ſubſtituit Moſes, licet ad literam non vera, maximi erant emolumenti, & ingeniis aptata ſui populi. In his igitur mutandis vicibus, cum res id extorquebat, viri Cordati & φιλανθρώπου officium præſtitiſſe mihi videtur.

Liceat alterum exemplum, argumenti confirmandi causâ, & ad vindicandum Moſem, adjicere; Fingamus Theoriam Telluris, à nobis propoſitam, eſſe veram: Fingamus inquam, dicis gratiâ, Tellurem primigeniam aliam fuiſſe ab hodiernâ: conſtructamque eo modo & formâ, quibus in dictâ Theoriâ deſcribitur: Operæ pretium fuiſſet Moſi, aut dignum munere Prophetæ aut Legiſlatoris, has minutias phyſiologicas exponere populo? Quinetiam ſurdis ceciniſſet ſuam philoſophiam; neque enim hi laterum coctores, ſpirantes adhuc porrum & cœpe Ægyptiacum: Qui vitulum fuſilem à Deo, Optimo Maximo, diſcernere non poterant: potuiſſent unquam, prima Dei opera, rerum principia, leges & motus naturæ, recognoſcere, & ad veritatis normam exigere. Aſini ad Lyram, ut inquit diverbium. Quare fruſtra fuiſſet Moſes in erudiendis his Philoſophis: Nec fruſtrà tantùm, ſed etiam exiſtimationem ſuam apud populum minuendo, novæ religionis, quam inſtituturus erat, vim & authoritatem pariter fregiſſet. Omni itaque modo neceſſum fuit, illi, ſtylum demittere in hoc argumento: & ignaro populo favere, quò magis prodeſſet.

Quartò objicitur, ſi Coſmopœiæ ad veritatem phyſicam conformatæ, populum incapacem habuerit Moſes, honeſtius, conſultiuſque illi fuiſſet, tacere illud caput de Creatione rerum, vel intactum præterire, quàm

quàm dolosè aggredi, & falsum pro vero substituere. Respondeo, Illud argumentum de Mundi origine, aut rerum creatione, penitùs omittere, non erat integrum Mosi, neque tutum. Habuerunt Gentes circumvicinæ suas Cosmogonias, suam Historiam, aut Physiologiam, de Mundi origine: in plerisq; vitiosam, & veræ religioni inimicam. Atque has, similesve, Traditiones, aut Mythologias, secuti fuissent, nisi aliter edocti, Israelitæ. Si nuptum non dederis filiam, ipsa sibi maritum quæret, è famulis forsan, aut humili plebe: & nisi populo dederis suam fidem, dogmata, & opiniones, ipsi sibi fingent, quisque pro suo ingenio, pro suo affectu, aut pro suis vitiis.

Præterea, quod hìc Mosi objectum velis, perinde potest objici Christo & Apostolis. Vita Futura, sive in cœlo, sive inferno: & supremum judicium, non possunt à vulgo rectè concipi, & secundum rei veritatem: ideone silentio premenda, aut sicco pede prætereunda, Christo & Apostolis? Aliud planè testantur scripta Evangelica & Apostolica, ubi hæc sæpius depinguntur: non quidem accuratè, sed per imagines populares memoriæ firmiter inhæsuras, & movendis affectibus accommodatas; Ità, delitiis Paradisi, & Coronis gloriæ, adumbratur cœlum. Infernum verò, Igni inextinguibili, & frigore & tenebris extremis: vermibus denique cutem & carnem arrodentibus. Nec minùs, Dies Judicii, per clangorem Tubæ, reserata sepulchra, Libros rationum expositos, & erecta tribunalia, describitur. Sic visum est Spiritui Sancto, res sacras humanitùs tractare, etiam in summâ luce Evangelii: Et quæ nudè proposita, & exactâ ratione, à nobis concipi non poterant, non propterea silenda duxit, sed in novas formas mutanda. In alias, inquam, formas, quæ

magis vivæ & conspicuæ essent omnibus, hominesque ad pietatem impellerent, & à malo fortiter deterrerent. Hæc ad vindicias Mosis facile converti possunt, qui, eodem actus consilio, doctrinam de Mundi origine, vulgo inexplicabilem in suâ puritate, non idcirco prætermisit: sed eâ methodo digessit & explicuit, quæ religioni maximè esset profuturæ, nec multùm oneraret intellectum populi.

Ultimò objicitur, si à literâ Mosis recedere licet in primis capitibus Geneseos, quidni in reliquis etiam? ubinam sistendum: quo limite, quâ lege? ne, levitate scilicet ingenii, pereat ubique sensus Historicus & Literalis. Respondeo, communem & notissimam legem esse Interpretum, *Nullibi recedendum à literâ sine necessitate.* Hoc duce, tuti erimus: & si ullibi hanc legem violaverim, quæcunque ita dicta sunt, indicta velim. Illud præterea notandum, Cùm de Mundo naturali agitur in sacris Scriptis, liberiùs receditur à sensu literali in his quàm in aliis locis: quandoquidem mille exemplis patet, in hâc materiâ ἀνθρωποπαθῶς, vel λαοδογματικῶς, locutos esse sacros authores. Lumen naturale est Dei donum, neque subter modio, aut in sudario, abscondendum; sed quoties huic locus est in veritate indagandâ, ipsius opeuti debemus, in sacris oraculis enucleandis. Id non malè mihi dictum videtur, *Philosophiam esse scripturæ interpretem in rebus naturalibus:* sed philosophiam intelligo non aridam & jejunam, otiosi cerebri figmentum: sed quæ naturæ phænomenis, repetitis experimentis, solidisque rationibus, respondet. Denique in omnibus, sive Theologorum, sive Philosophorum partes agimus, animo æquo & moderato, summâque in numen reverentiâ & pietate, uti tenemur.

Hæc

Hæc mihi videntur præcipua dubia, aut objectionum capita, quæ remorari poterunt Lectorem, vel forsan arcere à sententiâ nostrâ amplectendâ. *Sententiâ*, putâ, quæ statuit, Mosem, prætermissâ plerumque veritate physicâ, rationes morales, ut ità dicam, vel Theologicas, secutum esse, in suâ de Mundi ortu narratione. Deum unicum esse Mundi Authorem: & ab ipsius providentiâ regi & constitui rerum omnium origines, motus, & fines: hoc imprimis stabilivit Moses. Et quoad modum originationis, aut ordinem, licet à scientiarum tramite deflexerit, non prolapsus est ad fabulas, ad nugas, aut crassas superstitiones, ut solent Cosmogoniæ gentium. Quibus omnibus multo castiorem esse Mosaicam si conferas, facilè cognosces. *Græcanicam* ex *Hesiodo*, aliisque, nôsti; *Phœnicium*, ex Philone Biblio. *Ægyptiacam* refert *Diodorus Siculus*; aliisque alii. Atque his jam libet præterea adjicere, ut singularum indolem videas & distinguas, *Arabicam* & *Mahometanam*.

Aiunt Arabes, Deum Opt. Max. universitatem rerum conditurum omnium primùm *Tabulam quandam amplissimam & calamum, creâsse; ut singula quæ futura sunt usque ad finem mundi, in illam referret. Hoc facto, album Margaritum procreavit: quod, cùm oculo majestatis conspexisset, in aquas liquefactum est, unde Abyssus emersit. Hæc subsecuta est aëris productio: tum Animarum, & Angelorum. Ceteras autem Creaturas moliens Deus, album unionem creavit, qui statim ab intuitu divino liquefactus est, ac ebullire, fumumque sursùm emittere, cœpit, atque fumare. Quo facto, Terram septem constituit, ex ejus fumo Deus: nec non fluctus & montes. Ex fumo verò, totidem cœlos.* Atque ita completa sunt Cœlum & Terra, secundum traditiones Arabicas. *Ecchell. Hist. Arab. cap. 9.*

His adhuc multo absurdior est Cosmopœia Mahometana: quæ occurrit in *Libro subtilitatum de cognitione veritatum*, atque hoc modo procedit. *Omnium primùm Mahometi Lux à Deo creata est, Pavonis referens speciem & formam. Hanc in candidissimâ posuit Deus margaritâ, quam in pulcherrimâ appendit arbore, ubi Creatorem, annis circiter mille, summis laudibus celebravit. Mahometi autem conspectâ hâc luce, totus sudore perfusus est: Tunc ex sudore capitis ejus, condidit Deus Angelos: ex sudore vultûs, solium, Tabulam, Calamum, Solem, Lunam, Cœlum, Stellas, & quicquid in cœlis est.* Denique, ut cætera mittam absurdissima, *ex sudore pedum Terram universam, & quicquid in eâ est.*

Hujusmodi sunt gentium exoticarum Cosmogoniæ, futiles & sordidæ. His nihil habet cognatum aut concolor, Moses: Qui, si à naturâ recessit, & a veritate physicâ, honestè & pudicè id fecit: ut pietatis cultor, & salutis publicæ studiosus. *Solonis* dictum supra memoravimus, Qui, interroganti an optimas leges Athenienſibus condidisset, respondit, *Optimas quidem quas illi accepturi erant.* Quod non minùs verum est de Legislatoris Hebræi doctrinâ & institutis, Quærentique, si optimam Cosmopœïam Israelitis struxit Moses, respondendum itidem, Optimam quam illi ferre aut capere poterant. Id quod simpliciter optimum est, in rebus humanis sæpe attingi non potest: sed quod practicorum, vel, sit verbo venia, practicabilium, optimum est, id pro fine & scopo habet vir prudens & cordatus. Neque quicquam reperio in scriptis factisve Mosaicis, quod ab hâc regulâ discordat aut aberrat. Ac proinde veterum sapientum & prophetarum maximus, me judice, semper haberi meruit & merebitur.

Neque

Neque tamen nos latet, Origines Mosaicas malè audire apud Authores exteros, & à nonnullis ferè ludibrio haberi. *Celsus anilem fabulam* appellat. *Simplicius* aliquantò modestiùs, *Fabulosam traditionem, ab Ægyptiis desumptam.* Hæc regerit *Philopono.* Scripserat nimirùm *Proclus* pro *mundi æternitate*; cui respondet Philoponus: Dein Procli vindex, Simplicius, reponit Philopono, origines Mosaicas memoranti, hæc verba, Ἐι δὲ τὴν τῶν Ἰουδαίων νομοθέτην ἐνδείκνυται, λέγοντα, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος· καὶ σκότος ἐπάνω τῆς ἀβύσσου· καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος· εἶτα ποιήσαντος αὐτοῦ τὸ φῶς, καὶ διαχωρίσαντος ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους, ἐπήγαγε, καὶ ἐκάλησεν ὁ θεὸς τὸ φῶς ἡμέραν, καὶ τὸ σκότος νύκτα· καὶ ἐγένετο ἑσπέρα καὶ ἐγένετο πρωὶ ἡμέρα μία· εἰ οὖν ταύτην τοῦ χρόνου νομίζει γένεσιν, τὴν ἀπὸ χρόνου, ἐννοείτω, ὅτι μυθικὴ τίς ἐστιν ἡ παράδοσις, καὶ ἀπὸ μύθων Αἰγυπτίων εἱλκυσμένη. *Si Judæorum Legislatorem hìc indicat Philoponus, ità loquentem*; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: Terra autem erat invisibilis & incomposita: tenebræque in superficie Abyssi, & spiritus Dei superincubuit aquis. *Dein factâ à Deo Luce, & à luce distinctis tenebris, additur,* Lucem vocavit Deus Diem, Tenebras verò Noctem. Sic vesper & mane fuerunt una dies. *Quod si hunc esse mundi ortum putet, eumque temporalem, sciat velim, hoc nihil aliud esse, quàm fabulosam traditionem, ab Ægyptiis, putà, fabulis extractam.*

*Orig. cont. Cels. l. 4. p. 186.*

*De Phys. aud. l. 8. fol. 268.*

Convenit quidem Mosi, non tantùm cum Ægyptiis, sed etiam cum cæteris gentibus, quoad materiam substratam sui mundi, nempe Chaos: Antiquum Chaos, quod omnes gentes celebrârunt. Sed

in

in modo constructionis non conveniunt; neque ulla mihi adhuc occurrit Cosmogonia vel inter antiquos Physicos, vel Theologos, quæ Telluris Primigeniæ, vel primi orbis habitabilis, constructionem rectè instituit, vel idoneam reddidit rationem, cur Terra, Elementum gravissimum, altior esset aquâ, multo leviori. Quapropter *Strabo*, velut in re aliàs desperatâ, ad Providentiam recurrit: atque ipsius ope Terram ab aquis liberat, quas naturæ viribus excutere non poterat. Locus est commemoratione non indignus, quem paucis, si placet, enarrabimus.

*Geogr. l. 17. p. 809, &c.* In construendâ Terrâ, vel mundo Terrestri, duplicem operandi modum exhibet, κατὰ φύσιν, & κατὰ πρόνοιαν. Et, quò nodum illum solveret, Cur Aquæ, suâ naturâ superiores Terrâ, infra ipsius superficiem subsidant, ad providentiam specialem confugit. Quâ in re sequitur quidem Mosem, (quem anteà multis, & cum laude memoraverat, in descriptione Judææ) sed è sapientibus exteris, nullum pro duce habet. Rem ferè hoc modo exequitur. Per naturam, ait, Aqua situ altior erat Terrâ, eamque circumdedit totam, in initio rerum, ad modum sphæræ. Cùm verò providentia constituisset animalia condere, atque maximè hominem, Animal non aquatile, Terram excitavit multis in locis, & intumescere fecit: aliisque depressit & excavavit: ut, hìc latentibus aquis, illic extaret Arida, sedesque præberet hominibus & animantibus. Ut videre est in verbis hìc appositis.

*l. 16. p. 760, &c.*

*Strab. l. 17. m. p. 809, 810.* Νῦν δ' ἔτι τοσοῦτον ὑπομνησίον ἡ φύσεως ἅμα καὶ τὸ ἐκ προνοίας ἔργον ἐις ἓν συμφέροντας. Τὸ μὲν ἡ φύσεως, ὅτι πᾶν τὸ κινούμενον εἰς ἑαυτὸν συννεύοντων τῶν τῆς ὅλης μίσων, καὶ σφαιροειδῶν ἀεὶ τούτων, τὸ μὲν πυκνότατον καὶ μεσαίτατον εἶναι ἢ γῆν, τὸ δ' ἧττον τοιοῦτο, καὶ ὑγρὸς ὕδωρ· ἐκάτερον ἢ σφαῖραν. Τὸ δὲ ἐκ προνοίας, ὅτι βιβάζειν ἐις αὐτὰ ποικιλοτόπους τοὺς ἔσω, καὶ μυελὸν ἔχειν ἐμποιοῦσι, ὃν τοῖς πρώτοις ζῶσι ἐναν——, ὡς πολὺ διαφέροντα τῶν ἄλλων——Ἀλλ' ἔσωθεν τῇ γῇ πεῖκος τὸ ὕδωρ, ὑκ.

ἐκ ὑγρᾶς δ' ἀναδύρου ζῷον, ἐπάνοδον ποιῆσαι, ἀλλὰ χερσαῖον καὶ ἐναέριον, καὶ πολλοῖς κοινωτικὸν φωτὸς, ἐνοίκησιν ἔδοξεν ἐν τῇ γῇ πολλῆς, καὶ εἰσόδους, ὡς ἂν αἷς μὲν ἀπολαμβάνοιτο τὸ σύμπαν ἢ τὸ πλέον ὕδωρ, ἀπαχθὲν ὑπὸ ἀνθρώπων ἢ ὑφ' αὑτῆς γλιῶ, ἐν αἷς δ' ἐξέχοιεν ἢ γλιῶ, ἐπικρύπτοι ὑφ' ἑαυτῇ τὸ ὕδωρ. πλὴν ὅσον χρήσιμον τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει, καὶ τοῖς περὶ αὐτὸ ζῴοις καὶ φυτοῖς.

Hoc providentiæ opus appellat, non naturæ. Providentiam intelligit extraordinariam: ordinaria enim eadem est cum lege & ordine naturæ. Ipsissimam, ut vides, insistit viam hic Author, quâ prævit Moses. Nihil habet mali hæc explicatio: peccat tantùm in regulam Philosophorum, *Non recedendum esse à Naturâ, sive necessitate.* Nulla enim est necessitas, vel terras elevandi, vel aquas in fossas & scrobes deducendi, ad extruendum primum orbem habitabilem. Prout alibi à nobis ostensum est. Sed ob alias causas, quas sæpiùs indicavimus, necessum fuit Mosi, ad immediatum imperium Numinis, nutumque Providentiæ, sui mundi partes, totumque apparatum, disponere. *Theor. l. 1. c. 5.*

Hæc ex *Strabone* obiter perstrinxi, ut ostenderem Cosmopœiam Mosaicam non esse fabulam Ægyptiacam, quod voluit *Simplicius*: Sed methodo sibi propriâ concinnatam. Hanc postea imitati sunt alii, parciùs vel pleniùs: Et quod nobis refertur à *Suidâ*, de Cosmopœia *Hetruscâ*, ab Hexaëmero nostro, paucis mutatis, transcriptum credo. Erat quidem pervetusta Hetruscorum philosophia, omni Græcanicâ, ni fallor, antiquior; sed miscentur non rarò cum recentioribus, & interpolantur, veterum dogmata; id quod in illo centone *Suidæ* sæpiùs accidit. *Voc. Τυῤῥηνία.*

Denique R. Moses Maimonides crepat multoties suos *Zabios* vel *Zabiistas*: quos non Mose tantùm, sed Abrahamo etiam antiquiores habet; Et in eorum libris

libris ait reperiri multa de *Adamo, de Serpente, de Arbore Scientiæ boni & mali, de vestimentis primis.* Quæ tamen à Judæis surrepta, mavult supponere, quàm iis data: sed pro fabulis habenda utcunque, si literaliter accipiantur. Audi ipsius verba, *Id verò quod narrant*, nempe Zabaistarum Libri, *de Adamo primo, de Serpente, de Arbore Scientiæ boni & mali, de vestimentis, quod antea non in usu fuerint, Cave, ne intellectum tuum abripiat, & existimes illa verè Adamo, vel alii contigisse. Illa enim reverà nunquam fuerunt in rerum naturâ. Verùm si leviter tantùm & superficialiter rem consideres, deprehendes quod falsa sint ea omnia quæ in hâc fabulâ narrantur, & conficta ab illis, posteaquam Lex nostra gentibus innotuit, & historiam operis* BERESCHITH, h.e. *Creationis, audiverunt. Tunc enim illi statim omnia secundum sensum literalem acceperunt, & fabulas illas effixerunt.* Narrationes de Adamo, de Serpente, de Arbore Scientiæ, de Tunicis pelliceis, pro fabulis habere videtur, si sensum tantùm literalem attendas. Ut cùm Deus dicitur, sub auram vespertinam descendisse in Hortum ad deambulandum. Quasi Deus, more hominum langueret nimio æstu, adeoque in frigidulis arborum opacarum umbris, ut auram captaret, deambulare consueseeret. Hujusmodi sermones crudos ad vim literæ nollet exigendos esse Maimonides: utì nec *Aquas supercœlestes*, aliæque in primo capite, quæ ad literam alligata, absurda appellat. In his à viro docto non dissentio, sed quoad Zabios suos, eorumque antiquitatem, cum de istâc gente tantillum

Mor. Nev. pars 3. c. 29.

*Si enim sumatur* (Aqua illa supercœlestis) *secundum sensum literalem, & crasso sensu, tum erit omninò Non-Ens: nam nullum est corpus inter nos & cælos inferiores nisi Elementa; neque sunt Aquæ super aërem: multò minus cogitari potest, quod Expansum, & id quod supra illud est, sint supra cælos. Proinde hoc pacto res longè esset difficilior & absurdior quàm ut posset apprehendi.* Pars 2. c. 30. m. p. 278.

tillum ſuperſit apud alios authores, nihil dicendum habeo.

Denique diſceptari ſolet, an Traditione acceperit à quocunque, has ſuas Origines, Moſes, vel ipſe primus inſtituerit. Non video quo pacto hoc poſſit certò definiri: ſed multò veriſimilius mihi videtur, hanc Coſmopœïam, ſive inſtitutionem elementarem in Naturalibus: perinde ac ſuam Legem, ſive inſtitutionem elementarem in Moralibus, Moſi primùm datam vel excogitatam fuiſſe: nec iſtiuſmodi quicquam à quavis gente antea receptum, à quovis philoſopho aut Legiſlatore conſtitutum. Sed de dubiis & objectionibus ſatis.

---

## CAP. Ult.

### *Quæ prætereà conſideranda ſint, tam rerum momenta, quàm authorum teſtimonia, ut in hâc causâ æquum judicium feramus.*

QUÆ liberiùs dicta ſunt, ex amore veritatis, in originibus Moſaicis explicandis, ne quis malè capiat: aut ad conflandam authori invidiam iis abutatur: oratos velim æquos rerum æſtimatores, ut hæc pauca capita, aliàs ſatis nota, pauliſper mecum recolant & recolligant. Primò, Sapientum Orientalium

talium uſum & ſtylum. Secundò, populi Iſraëlitici, quo tempore hæc ſcripta ſunt, mediocre tardumve ingenium. Tertiò, quæ viri docti de his rebus anteà commentati ſunt. Quartò, quid Deo dignum aut indignum: & qualiter cogitandum eſt de Summo Numine.

Quoad primum, notiſſimum eſt, Priſcos Sapientes & Philoſophos veritatem rarò nudam & apertam, exhibuiſſe: ſed variis modis velatam, aut depictam: per ſymbola, Hieroglyphica, allegorias, typos, fabulas, parabolas, ſermones populares, aliaſque imagines. Hoc, ut ſatis vulgatum in genere, prætereo. Sed illam doctrinam duplicem, popularem & arcanam, quibus uſi ſunt ſapientiæ veteres magiſtri, in diſcipulis ſuis erudiendis, quanquam ſæpius ipſius meminerim in præcedentibus, non abs re erit paucis recolere. Pro ratione hujus inſtituti, diſcipulos ſuos in duas pluresve claſſes diſtribuere ſolebant, rudiores & magis inſtructos; Atque etiam ſua ſcripta in ἐξωτερικὰ & ἀκροαματικὰ: Hæc, accurata erant ad veritatis normam, Illa, ad captum populi accommodata. Id notavit in Moralibus, *Cicero:* his verbis, *De ſummo autem Bono, quià duo genera librorum ſunt, unum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum limatius, quod in commentariis reliquerant: non ſemper idem dicere videntur.* Ità Author Libri *de Mundo*, ait, ſibi neceſſarium fuiſſe, ratione ſui argumenti, de causâ primâ agere, εἰ καὶ μὴ δι' ἀκριβείας, ἀλλ' ὅν γε ὡς εἰς τυπώδη μάθησιν. *Si minùs accuratè, tamen ad vulgarem inſtitutionem, vel craſſioris doctrinæ formulam.* Non immeritò diſtinxit *Varro*, Triplicem Theologiam apud veteres, *Fabuloſam, Civilem,*

*Le 5. de Fin. bon. ſec. 5.*

*Cap. 6. princ.*

*Auguſt. de C. D. l. 4. c. 31.*

*vilem, Philoſophicam.* Philoſophica inutilis erat populo: Fabuloſa, noxia: quare mediam inſtituerunt, πρὸς τὲ εἰς τὺς νόμυς ϗ τὸ συμφέρον, χρῆσιν· ut inquit *Ariſtoteles.* In uſum commodumque populi & vitæ humanæ. Rectè dixit *Plato,* Τὸν μὲν ποιητὴν ϗ πατέρα τῦδε τῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, ϗ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν· *Univerſi opificem patremque invenire, difficile eſt: ad vulgus explicare impoſſibile.* Quod etiam de operibus Dei, verum eſt. *Metaphy. l. 14. c. 8. fine.* *In Tim.*

Sed ut redeamus ad Diſcipulorum claſſes & partitionem: id quod in ſcholâ Pythagoræ notiſſimum erat. Novitiis ſuis, aliis bienne, aliis quinquenne ſilentium indixit: quos ideò ἀκυϛικὺς vel ἀκυσματικὺς appellari voluit. Duo erant pariter philoſophiæ genera, formæ, aut modi: quorum alterum provectioribus & clarioris ingenii viris, μαθηματικοῖς dictis: alterum tyronibus, aut tardioribus, propoſitum. Ita facilè credo utrumque mundi ſyſtema, vulgare & mathematicum, docuiſſe ſcholam Pythagoræ: Hoc inter Myſtas: Illud, inter rudiores. Conſtat enim Pythagoram in mundi noſtri medio Solem ſtatuiſſe: & tamen apud Jamblicum, & Laërtium, in vitâ Pythagoræ, quædam ſunt quæ planè redolent vulgarem hypotheſin: Et quod factum eſt in tradendâ mundi formâ, in ejuſdem origine, itidem fieri potuit; duplicemque eâ de re conſtitui hypotheſin, Philoſophicam & vulgarem: Hâc populo exhibendâ, illâ ſapientibus reſervatâ. *Vid. Jamb. de vit. Pyth. c. 17, & 18.* *Cap. 6.*

Aiunt Judæi Doctores, *Legem loqui linguâ filiorum hominum:* ſtylo, notitiiſque vulgaribus. Sed habuiſſe præterea ſuam Cabalam Moſem, vel doctrinam arcanam: quam ſeorſim ſapientibus & cordatis impertivit. Fuerit olim, necne, hujuſmodi Cabala Hebræa, veræ & genuinæ ſcientiæ theſaurus, non

certò novi. Sed moris fuisse priscis sapientibus, aliud in Adytis, aliud in propatulo, docere, extra dubium est. Idque ne suas margaritas, secundum dictum proverbiale, porcis projicerent.

Neque hoc prorsus alienum erat à scholâ Christianâ: ubi, discretis Catechumenis ab Illuminatis, non ad eadem sacra aut mysteria, cum his illos admittebant. Pariter in ratione doctrinæ, Infantes
1 Cor. 3.2. lacte, Adultos cibo solidiori, nutriebant Apostoli. Denique Christus ipse multa celavit discipulos suos,
Joh. 16.12. propter eorum imbecillitatem. *Adhuc*, inquit, *multa vobis dicenda habeo, sed quæ ferre non potestis hoc tempore.* Boni Magistri aut Mystagogi est, non quæque subitò & promiscuè ingerere, sed pro tempore & captu discipulorum, nunc hæc, nunc illa, paratis animis infundere. Hæc ad propositum nostrum & vindicias Mosis, facilè accommodantur: Sed de Mose plura in sequentibus. Nunc ad secundum monitum transeamus.

Secundò, populi Israëlitici, quo tempore suas Origines, suasque Leges, scripsit Moses, tardum & rude ingenium considerare oportet. Ex Hebræorum legibus & œconomiâ Mosaicâ judicare licet, crassam hebetemque fuisse populi istius indolem: neque rebus naturalibus contemplandis, aut divinis percipiendis, idoneam. Tot ritibus externis, tot ceremoniis infrugiferis, tot minutiis & observatiunculis, viros philosophos, aut cœlestium dociles, nequaquam onerâsset sapientissimus Legislator. Nihil intellectuale, aut à sensibus abstractum, neque propriarum Animarum immortalitatem, suis institutis & religioni intexuit; pariterque in præmiis & pœnis, ad legem corroborandam propositis, nihil pollicitus aut minatus est ultra hujus vitæ terminos, atque bona

aut

aut mala temporalia; Idque non ob ſuam, ſed populi iſtius ignorantiam, & animorum, ut ità dicam, craſſitudinem.

Neque hæc dico in gentis opprobrium: procul abſit: ſed ex Judæorum ore excipio; Ità Manaſſes ben Iſrael, *Si multa in lege iſtâ*, de Moſaicâ loquitur, *mentio futuræ vitæ, facta fuiſſet, ridicula ea populo viſa fuiſſet.* Neque aliter R. Moſes Maimonides, qui hoc argumentum fuſiùs tractat, *cap.* 33 & 34. lectu dignisſimis. Quod ſi ſub hâc pædagogiâ & rudimentis elementaribus, ut verbis Apoſtoli utar, inſtituendus erat populus, ad mores animoſque formandos: tanto magis à Theoriis philoſophicis, tunc temporis, abſtinendum erat. Si vitæ futuræ & immortalitatis, quas, ut ſciant, magni intereſt omnium, non auſus eſt Moſes aperire fontes, ne ſuis eſſet faſtidio aut contemptui; Quanto minùs decuiſſet virum ſapientem, ob dogmata phyſiologica, neutiquam neceſſaria, & quæ pariter faſtidîſſet populus, ſe atque leges ſuas iiſdem incommodis aut periculis exponere.

*De Reſur. c.* 13.

*Mor. Nev. pars* 1.

*Gal.* 3. 24. & 4. 9.

Sed hodierni homines æquum eſſe cenſent, Mundum illicò naſci ſenem: neque illarum affinem eſſe rerum, quas ſert naturæ novitas aut infantia. Sunt autem *ut hominum, ità & populorum, ætates:* ut inquit Scriptor Romanus. Ac ut aliorum omnium, ſuo modo, & pro ratione temporis: ita, præ cæteris, hujuſce populi, inculta & ſemibarbara erat conditio. Utpote quibus, pluſquam quadringentorum annorum ſervitus, non ſolùm mores & diſciplinam, ſed tantùm non ipſam humanitatem exuerat. Dicam, ſed abſque invidiâ, erat colluvies quædam hominum: Cœtus mancipiorum, ex ergaſtulis Ægyptiacis nudius tertiùs eductorum. Qui nullas artes, præter lateritiam:

*Flor.* 1.

lateritiam: nullas literas, nullum animi cultum, possidebant. Neque hoc tantùm, sed dedocendi erant multa, quæ in gente Idololatricâ imbiberant! Judicium igitur, fidemque vestram, appello, si in hanc turbam subitò effundenda essent naturæ mysteria, & quæ de rerum principiis, ortuque Universi, disceptantur adhuc inter eruditos, Theoremata.

Tertiò notandum, Qui hoc argumentum tractârunt, tam inter Judæos Doctores, quàm Christianos, multi, in originibus Mosaicis explicandis, à literâ discedendum esse, non diffitentur. Quoad Judæos, Authores Cabalisticos prætereo, qui verba scripta vel nihili faciunt, vel nimii; nimii putà, cum ex eorum literis, syllabis, & numeris, sensus mysticos, tenui acu, exculpunt. Mitto etiam Philonem Judæum, quòd allegoriis totus scateat. Sed R. Mosi Ægyptio nihil imputandum habeo, quo minus sit testis idoneus. Ille autem sæpiùs in exercitationibus suis circa sacram Scripturam, monet probatque, non ubiq; inhærendum esse sensui literali: maximè verò in opere *Bereschith*, sive in historiâ creationis. Præter Authoris præfationem, consule, si placet, *partis primæ capita* 17. 33. & 34. Dein, *partis secundæ cap.* 30. Libet unum atque alterum dictum, præter ea quæ adduximus in præcedente capite, hìc annectere. Prope finem capitis 29. *part.* 2. duas attexit propositiones, quarum hæc est prima: *Non omnia secundum literam intelligenda & accipienda esse, quæ dicuntur in opere Bereschith seu creationis, sicut vulgus hominum existimat.* Dein hanc regulam pluribus explicat & confirmat. *Nàm aliàs*, inquit, *non præcepissent Sapientes illa occultari, neque tantâ curâ in iis abscondendis & parabolis involvendis usi fuissent: neque etiam tam studiosè prohibuissent, ne de iis sermo fieret coram*

*Mor. Nev.*

imperitâ

*imperitâ plebe. Sensus enim illorum literales vel gignunt pravas cogitationes, imaginationes, & opiniones, de naturâ Dei Opt. Max. vel certè fundamenta legis evertunt, hæresinque aliquam introducunt. Ideóque non sunt in imaginatione vel cogitatione solùm considerandа, & sine artium aliarum literalium cognitione; Neque, sicut concionatores & commentatores arbitrantur, res comparata est: qui existimant cognitionem explicationis vocabulorum magnam esse scientiam, summamque perfectionem, si multis verbis & longo sermone explicentur. Verùm considerandа & intelligenda sunt secundum veritatem intellectûs, post adeptam in scientiis demonstrativis, & mysteriorum prophetic orum congnitionem, perfectionem.*

Non dissimilis sermo est in *capite* 33. *partis primæ*, in hæc verba, versus principium. *Et hæc quoque causa est, propter quam Lex loquitur Linguâ filiorum hominum, sicut exposuimus: quiâ hæc ratio commoda & facilis est, ut ab eâ incipiant & discant pueri, mulieres, & communis plebs: in quorum viribus non est, res secundum veritatem ipsarum apprehendere. Quamobrem etiam hoc modo sufficienter ipsis traditum est de omnibus quæ credenda sunt, & de omni conceptione quæ dirigere potest intellectum ad cognoscendum, quòd Deus sit & existat, quamvis non ad veritatem quidditatis ejus. Si verò quis fuerit perfectior & sublimioris ingenii, ut cognita habeat secreta Legis: sive ea ab alio didicerit, sive à seipso, ut ab uno ad alterum fuerit incitatus, is ad eum gradum pertinget ut sententias illas veras ac reales credat per vias fidei veræ; nempe vel per demonstrationem in iis, de quibus demonstratio haberi potest, vel per alia argumenta firma & solida, in iis, in quibus fieri id potest, atque ità formaliter cognoscet & intelliget veritatem & substantiam earum rerum, quæ ipsi sunt*

per

*per similitudines & parabolas traditæ.* Monet, ut vides, Doctor Hebræus, non semper terminandas esse cogitationes in cortice Scriptorum Mosaicorum (*Legis* enim nomine omnia Mosaica comprehendunt Judæi) quæ ad usum populi & promiscuæ multitudinis adaptantur. Sed quid feret rerum natura, Quid severa demonstratio: Quis denique scopus authoris: ante latam sententiam, attendendum.

In eundem sensum accipio verba *Flavii Josephi*, in suo proœmio ad *Archæologias Judaicas*; Quæ commentatus est Moses, inquit, in prolegomenis suæ Legis, de Deo, & mundo condendo, eo consilio dicta esse, ut pietatem in animos sui populi instillaret: Et ex iis nonnulla velo obduxit, aliâ disertè explicuit, pro ratione argumenti. Τὰ μὲν αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου ἀξίως, τὰ δὲ ἀλληγοροῦντος μετὰ σεμνότητος· ὅσα δ' ἐξ εὐθείας λέγεσθαι συνέφερεν, ταῦτα ῥητῶς ἐμφανίζοντος. Τοῖς μέντοι βουλομένοις καὶ τὰς αἰτίας ἑκάστου σκοπεῖν, πολλὴ γένοιτ' ἂν ἡ θεωρία. *Quædam Legislator ænigmaticè significavit, pro rei dignitate: Quædam per Allegorias, sed honestè & verecundè. Denique quæ ad literam exprimere convênit, ea nudè & sine ambagibus enarravit. Horum autem singulorum causas siquis vellet expendere, longa oriretur Theoria, vel speculatio.*

Prætereà, *Aristobulus*, Hebræus & philosophus, in Commentariis explanationum in Mosem, ad Regem Ptolomæum conscriptis: datâ occasione ab Anthropopathiis Biblicis, de stylo & scriptis Mosaicis in genere, hæc habet. Πολλαχῶς γὰρ ὃ βούλεται λέγειν ὁ Νομοθέτης ἡμῶν Μωσῆς ἐφ' ἑτέρων πραγμάτων λόγους ποιούμενος, λέγω δὲ τῶν κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, φυσικὰς διαθέσεις ἀπαγγέλλει, καὶ μεγάλων πραγμάτων κατασκευάς. Οἷς μὲν οὖν πάρεστι τὸ καλῶς νοεῖν, θαυμάζουσι

ζυσι τ περὶ αὐτὸν σοφίαν, καὶ τὸ θεῖον πνεῦμα, καθ' ὃ καὶ προφήτης ἀνακεκήρυκται.---- Τοῖς δὲ μὴ μετέχυσι δυνάμεως καὶ συνέσεως, ἀλλ' τῷ γραπτῷ μόνον προσκειμένοις, φαίνεσθαι μεγαλεῖόν τι διασαφῶν. Quæ ità reddidit interpres; *Solet enim Moſes, Legiſlator noſter, animi ſenſa multimodis exprimere; dum rerum aliarum, quatenùs in ſenſum cadunt, voces ac nomina mutuatus, naturales quaſdam affectiones, magnarumque rerum molitiones, commemorat. Et quidem, quorum acrior intelligendi vis eſt, ii, cùm ſapientiam hominis ſingularem, tùm divinum illum Spiritum, cujus afflatu Prophetæ nomen & famam aſſecutus eſt, magnoperè admirantur. At quibus facultas & ingenium anguſtius eſt, ii, dùm ad unicum Scripturæ corticem adhæreſcunt, nihil auguſti admodùm, aut excellentis, ab eo narrari arbitrantur.*

Hæc habes apud Euſebium, qui, in fine capitis, ſuam adjungit ſententiam, non utique diſſimilem: his verbis, Ἐπεὶ δὲ διεληλύθαμεν τά τε τῶν ἱερῶν νόμων παραγγέλματα, τόν τε τρόπον τ ἀλληγορυμένης παρ' αὐτοῖς ἰδέας, ἐξῆς ἂν εἴη, καὶ τόδε ἐπισημήνασθαι, ὡς τὸ πᾶν Ἰουδαίων ἔθνος εἰς δύο τμήματα διῃρῆσθαι· καὶ τ μὲν πληθὺν, ταῖς τῶν νόμων κατὰ τ ῥητὸν διάνοιαν παραγγελμέναις ὑποθήκαις ὑπῆγε· τὸ δ' ἕτερον τῶν ἐν ἕξει τάγμα, ταύτης μὲν ἠφίει, θειοτέρᾳ δέ τινι καὶ τὰς πολλὰς ἐπαναβεβηκυίᾳ φιλοσοφίᾳ προσέχειν ἠξίου, θεωρίᾳ τε τῶν ἐν τοῖς νόμοις κατὰ διάνοιαν σημαινομένων. *Nunc verò quoniam & ſacrarum legum mandata, & ipſorum allegoriis incluſum ſenſum expreſſimus; operæ pretium deinceps fuerit, illud etiam animadvertere: Gentem hanc Judæorum univerſam duas in partes ſectam ac diviſam fuiſſe. Nam multitudinem quidem, ritibus illis omnibus, quomodo legum ipſarum verbis concepti erant, obſtrictam Moſes teneri juſſit: at cæteros quorum mens* *Præp. Ev. l. 8. c. 10.*

*esset virtusque constantior, cùm eo cortice liberatos esse, tùm ad diviniorem aliquam, & hominum vulgo superiorem philosophiam assuescere, atque in altiorem Legum sententiam mentis oculo penetrare voluit.*

L. 11. c. 7. p. m. 822. His adde quæ habet inferiùs idem Author, de modo tractandi res philosophicas utriusque mundi apud Judæos. Διχῇ δὲ καὶ περὶ τούτων διαστειλάμενοι λόγον, τὸν μὲν τῶν αἰσθητῶν, οὐκ εἰς ἄκρον ᾤοντο δεῖν εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν, οὐδὲ γε τὰς αἰτίας τῆς φύσεως αὐτῶν τὸ δημῶδες πλῆθος ἐκδιδάσκειν, πλὴν ὅσον εἰδέναι, ὅτι τε μὴ ἀπηυτομάτισται τὸ πᾶν, μηδ' εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχεν, ἐξ ἀλόγου φορᾶς ὑφέστηκε· ἄγεται δ' ὑφ' ἡνιόχῳ Θεοῦ λόγῳ, καὶ δυνάμει σοφίας ἀῤῥήτου διακυβερνᾶται, &c. *Cæterùm illi, cùm hujus tractationis duo capita statuerent, alterum illud, quod res sensibus objectas complectitur, non subtiliter & enucleatè vulgò explicandum, nec singularum naturæ causas plebeiæ multitudini aperiendas, putaverunt, nisi quantum necesse erat, ut omnes intelligerent, universum hoc, neque per sese, nec casu ac temerè, fortuito quodam impetu extitisse: at summi moderatoris Dei ratione, & ineffabilis sapientiæ numine, gubernari*, &c. In hunc modum de mundo naturali philosophatus est Moses, ut expediebat populo, ad pietatem, non ad scientiarum studia. Plura sunt in hoc authore loca his cognata, sed ab Eusebio ad alios Patres Christianos dilabamur.

Quotquot è Patribus Paradisum sensibilem & Corporeum non recepêre, eo ipso, quasi altâ voce, pronunciant, non adhærendum esse literæ & cortici Narrationis Mosaicæ. In hoc autem censu & sententiâ non pauci fuere, præter Origenem & Origenistas. Nota est tripartitio opinionum apud veteres, circa Paradisum: quam refert Sanctus *Augustinus*. Allii intelligibilem tantùm: Alii tantùm sensibilem

Gen. ad lit. l. 8, init.

ſibilem & terrenum: Alii denique utriuſque generis Paradiſum, ſtatuerunt. Hoc ad anguſtiores adhuc terminos reduxit S. *Ambroſius*: nam, interrogatus à Sabino per literas, quid de Paradiſo ſentiret, reſpondit, ſe de eâ re librum integrum ſcripſiſſe, & commemoratis aliorum ſententiis, in eo convenire omnes dicit, quod *Spiritualis* ſit. Denique *Anaſtaſius Sionita* in Hexaëmeron, authores enumerat non paucos, qui, ante ſua tempora, Paradiſum allegoricè interpretati ſunt. Sed his non immoramur. Id tantùm notatum velim, non iras aut inimicitias excitâſſe hæc opinionum diſcrimina circa Paradiſum: quandoquidem, ut monuit S. *Auguſtinus*, illæsâ fide & bonis moribus: ideoque illæsâ amicitiâ, circa Paradiſum variè opinamur. Sed pergamus ad alios.

*In Enarr. ad Sabin.*

*BB. PP. tom. 6. m. p. 663.*

*De Grat. Chriſti contra Pelag. c. 23.*

Cùm Chriſtianis objeciſſet Celſus, eorum oracula eſſe nimis obſcura & dubia, rectè reſpondet Origenes, in iis quæ ſpectant ad mores emendandos & utilitatem communem, adeóque ad omne genûs homines, nihil eſſe dubii in Scriptis Sacris: quæ verò ſunt altioris ſtudii & non vulgaris usûs, ea plerumque, variis ſermonis umbris, præterquam ſapientibus, occultari. Οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἰῶ αὐτόθεν νοηθῆναι τοῖς ἀκούσι χρήσιμα, καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἠθῶν ἐπανορθώσει, χωρὶς πάσης ἐπικρύψεως, κατὰ τὸ βέλημα, τοῦ θεοῦ, εἰρήκασιν· ὅσα δὲ μυστικώτερα ἰῶ, καὶ ἐποπτικώτερα, καὶ ἐχόμενα θεωρίας τῆς ὑπὲρ τὸ πάνδημον ἀκολιῶ, ταῦτα δι' αἰνιγμάτων καὶ ἀλληγοριῶν, καὶ τῶν καλυμμένων σκοτεινῶν λόγων, καὶ τῶν ὀνομαζομένων παραβολῶν ἢ παροιμιῶν, ἀπεφήναντο. *Prophetæ igitur quæcunque auditoribus utilia cognitu jam inde eſſe poterant, & moribus emendandis apta, ſine ullis involucris, Deo ſic volente prolocuti ſunt. Quæcunque verò abſtruſiora*

*erant, & iis tantùm tradi digna, quibus intima patebant mysteria: quæque Theoriam aliquam vel speculationem, supra captum vulgarem, continebant: Hæc per obscuros sermones, per ænigmata & allegorias, per parabolas & parœmias explicârunt.*

L. 2. ad 4. object. Ut Origenes Celso, ita ferè *Cyrillus* respondet *Juliano:* comparanti scilicet & præferenti, Cosmopœïam Platonicam Mosaicæ: nempe quod Mosaica vulgaris esset, & Deo parùm digna. Hæc nobis exprobranti, respondet Cyrillus: Ὁ θεσπέσιος Μωσῆς οὐ πρόθετο φυσιολογεῖν ἰσχνῶς, ἤγουν φάναι τι περὶ τῶν λεγομένων πρώτων ἀρχῶν, ἢ τῶν ἐξ αὐτῶν στοιχείων· περιεργότερα γὰρ οἶμαι ταῦτα καὶ ταῖς τινῶν διανοίαις οὐχ ἁλώσιμα, σκοπὸς δὲ γέγονεν αὐτῷ, τὴν τῶν τηνικάδε νοῦν, τοῖς τῆς ἀληθείας ἐπιστῆσαι δόγμασι. Γεπλάνηντο γὰρ καὶ τὸ δοκοῦν ἕκαστος προσκυνοῦντες ἡλίσκοντο, καὶ τὴν ἕνα καὶ φύσει θεὸν ἐξ ἀμαθίας τῆς ἄγαν ἠγνοηκότες, λελατρεύκασι τῇ κτίσει. Καὶ οἱ μὲν θεὸν ἐπεγράφοντο τὸν οὐρανὸν, ἕτεροι δὲ τὸν ἡλίου κύκλον· εἶσι δὲ οἱ καὶ σελήνῃ, καὶ ἄστροις, καὶ γῇ, καὶ φυτοῖς, καὶ τῇ τῶν ὑδάτων φύσει, πτηνοῖς τε καὶ ζώοις ἀλόγοις, τὴν τῆς ἀνωτάτω φύσεως δόξαν ἀπονέμειν ἐσπούδαζον. Καθιγμένων δὴ τῶν πραγμάτων εἰς τοῦτο αὐτοῖς, καὶ τῆς οὕτω δεινῆς ἀῤῥωστίας κατανεμηθείσης ἅπαντας τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ἐπίκουρος ἦν ὁ Μωσῆς, καὶ τῶν καλλίστων ἅπασι μαθημάτων εἰσηγητὴς ἀνεδείκνυτο, εἷς μὲν ὅτι κατὰ φύσιν ἐστὶν ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς διαῤῥήδην ἀνακεκραγὼς, ἀφιστὰς δὲ τῶν ἄλλων ἅι καὶ δι' αὐτοῦ παρήχθη πρὸς τὸ εἶναί τε καὶ ὑπάρχειν ὅλως. Χρειωδέστατα τοίνυν, καὶ μάλα σοφῶς τὸ πολὺ λίαν ἰσχνομυθεῖν παρελάσας, ἐπὶ τὴν τῶν ἀναγκαιοτέρων κεχώρηκε λόγον. *Divino Mosi non propositum erat subtiliter philosophari, nec de primis principiis, aut inde natis elementis disserere. Nam curiosiora hæc sunt, nec ab omnibus capi possunt. Scopus autem ejus erat, animos hominum istius temporis ad vera dogmata*

*mata adducere. Errantes enim, & adorantes ſinguli quod cuique videbatur, oculis capti erant: atque unum, verè & naturâ, Deum, ob nimiam ruditatem ignorantes, colebant creaturam. Et alii quidem Cœlo, alii Solis circulo, Deorum titulos inſcripsêre. Erant autem, qui Lunæ & Stellis & Terræ, ac plantis, & aquarum naturæ, volatilibus & animalibus brutis, ſupremæ naturæ gloriam attribuere ſtudebant. Cùm igitur res eorum eò perveniſſent, & tam gravis morbus omnes qui ſuper terram erant, depaſceret, adeſt Moſes opitulator, optimarum doctrinarum author & inſtitutor, qui clamavit voce clarâ, UNUM ESSE RERUM OMNIUM CONDITOREM, ſecundum naturæ ordinem: Eumque diſtinxit ab aliis omnibus, quæ ipſius vi extitêre, & in univerſum ſubſiſtunt, propterea utiliſſimè & ſapientiſſimè, miſſis minutiis & ſubtilitatibus, ad ea quæ magis neceſſaria erant, ſermonem vertit.* His longiuſculis licet, non poſſum non adjungere quæ infra ſubdit, Πῶς γὰρ ἂν ἀγάσαιτο τις τὴν Μωσαϊκὴν εὐτέχνιας τὸ ἀκριβὲς, περιεργον μὲν, ἢ βαθὺ, καὶ γὰρ ἐυπαράδεκτον, τοῖς τηνικάδε λαλήσης ἡδὲν, ἀκεῖνα ἢ μᾶλλον τὰ δι' ὧν ἰῶ δύναδαι μεταφοιτᾶν αὐτὺς ὅτι τὸ ἔχον ὀρθῶς, καὶ ἀπευθύνειν εἰδὸς εἰς ἀμώμητον δόξαν, τὴν ὅτι γε φημὶ τῷ πάντων κρατοῦντι θεῷ, &c. Omnia nempe ſupervacaneæ ſedulitatis omiſit Moſes quò ad bonos mores, ſummumque Deum, ſuos homines rectà perduceret.

In adminiſtrandâ Mundi republicâ, Deus, pro ratione temporum & populorum, mutat vices, diverſis utitur inſtitutis & diſciplinâ, quò ſaluti omnium maximè proſpiciat. Συμμετρεῖ ταῖς ἡλικίαις τροσφέρει παιδεύματα ὁ θεὸς· inquit *Theodoretus.* *Hær. fab.* Quod *l.* 5. *c.* 11.

Quod ab aliis non minùs obſervatum eſt; Ita *Chryſoſtomus*, Ὁ θεὸς ὢν ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος, ἁρμόζεται πρὸς τὴν ἀσθένειαν ἀνθρωπίνην. Λαλεῖ ὁ θεὸς, καὶ νομοθετεῖ πολλάκις, οὐχ ὡς αὐτὸς δύναται, ἀλλ' ὡς ἡμεῖς ἀκούειν δυνάμεθα. *Deus in ſeipſo immotus & immutabilis, ſeſe attemperat ad imbecillitatem humanam. Sæpe loquitur Deus, & leges conſtituit, non ut ipſe poteſt, ſed ut nos capere valemus.* Verum inutile, tacendum: noxium, diſſimulandum. Atque Boni, aut Optimi, ſemper habenda eſt ratio.

Denique, ut plura ſimul comprehendam, ſecundum doctrinam Patrum multa in ſacris literis dicta aut facta ſunt κατ' οἰκονομίαν vel οἰκονομικῶς, ut loqui amant. Ità ſæpius explicare ſolent quædam duriuſcula, & à nudâ veritate aliena, quaſi *diſpenſativè* dicta, vel per modum accommodationis ad utile aliquod propoſitum: cùm res, de quâ agitur, ità poſtulat. Hoc genus explicationum ad varios caſus adaptant Patres: Ita cùm Chriſtus ait ſe ignorare *diem Judicii*, id dictum aiunt οἰκονομικῶς. Οἰκονομεῖ γὰρ Χριστὸς, inquit Cyrillus Alex. μὴ εἰδέναι λέγων τὴν ὥραν ἐκείνην, καὶ μὴ ἀληθῶς ἀγνοεῖ. *Diſpenſatione quâdam utitur Chriſtus, neſcire ſe dicens horam illam cùm reverà non ignoret.* Neque aliter Photius, *Epiſt.* 228. de eodem ſermone Chriſti, Τὸ μὴ βέλεσθαι τοῖς μαθηταῖς εἰπεῖν, ἅπερ αὐτοῖς οὐκ ἦν πω τέως συμφέρον μαθεῖν, οὐδὲ τοῦτο τῆς φιλανθρώπου προνοίας ἡ μέθοδος παραίτεται· μεθοδεύοιτο δ' ἂν, ἐξ οἰκονομίας σχηματιζομένη τὴν ἄγνοιαν. *Noluiſſe eum diſcipulis dicere, quæ iis ſcitu nondùm erant utilia, ne hæc quidem methodus à benignâ providentiâ Dei erga homines abhorret. Artificioſè egit, per diſpenſationem præ ſe ferens & prætexens ignorantiam.* Denique Sanctus *Baſilius* de eâdem re eandem ſimilémve habet explicationem. Διὰ σὲ, τὴν ὥραν καὶ τὴν ἡμέραν

*Theſaur. λογ. 22. ſub fine.*

*Epiſt. 141.*

ἡμέραν τ κρίσεως ἀγνοεῖ, κ τοι υδὲν ἐλάνθανε τ ὄντως σοφίαν ---ἀλλὰ τοῦτο οἰκονομεῖ διὰ τ σὴν ἀσθένειαν, ἵνα μήτε τῷ ςενῷ τ προθεσμίας οἱ ἁμαρτήσαντες τὴ ἀθυμίᾳ καταπέσωσιν, ὡς υκ ἀπολελειμμένυ καιρῦ μετανοίας, μήθ' ὧν πάλιν οἱ πολεμῶντες μακρὰν τῇ ἀντικειμένῃ δυνάμει διὰ τὸ μῆκος τῦ χρόνυ λειποτακτήσωσιν. Ἑκατέρυς τοίνυν διὰ τ προσποιητικῆς ἀγνοίας οἰκονομεῖ. *Propter te, horam & diem Judicii ignorat, quanquam nihil latuit veram illam Sapientiam. Verùm id ità dispensat Christus propter tuam infirmitatem: ne, vel ii qui deliquerunt, per angustiam præscripti temporis adigantur ad desperationem, velut non relicto resipiscentiæ tempore: vel rursùs ii, qui in militiâ Christianâ decertant, per temporis prolixitatem, ad deserendam aciem impellantur, si viderint sibi bellum fore diuturnum cum adversâ potestate; itaque utrisque per simulatam ignorantiam consulit.*

Quod si mentem suam, ipsamque veritatem, dissimulabat Christus, κατ' οἰκονομίαν, ut aiunt: Quidni Mosi etiam licuerit, in mundo condendo, à veritate physicâ recedere, aliâque uti œconomiâ, ad instruendum populum magis idoneâ? Ex. gr. Si cum Sancto Augustino supponamus, Mundum reverà creatum fuisse puncto temporis indivisibili: & partitionem operis in sex dies factam esse οἰκονομικῶς; quò meliùs & distinctiùs à populo caperetur. Quid mali aut criminis haberet hic rerum ordo, aut scribendi ratio? Vel si, ex alterâ parte, cum philosophis supponamus, Formationem Telluris ex Chao, fuisse opus diuturnum, per multiplices processus & mutationes deductum, hoc autem contraxisse Mosem ad spatium sex dierum, idque, ordine ad usum populi magis accommodato: Hoc, inquam, si fecerit Moses, non veniam tantùm, sed etiam laudem meruisse

ruisse mihi videtur. De suo *Gnostico*, hoc est, viro verè sapienti, inter alia eximia, hoc rectè dixit *Clemens Alexandrinus*: Ἀληθῆ τε φρονεῖ, ἅμα καὶ ἀληθεύει· πλὴν εἰ μὴ ποτὲ ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ὅτι σωτηρίᾳ τῶν καμνόντων ψεύσεται, ἢ ψεῦδος ἐρεῖ, κατὰ τὰς σοφιστάς. *Vera sentit, simul & loquitur: nisi quando, loco medicinæ, ut Medicus ad ægrotantes, ob eorum, qui infirmi sunt, salutem, mentietur, vel falsum dicet, ut distinguunt Sophistæ.* *Strom. 7. mp. 730.*

Atque hunc infra appellat φιλάνθρωπον καὶ φιλόθεον παιδευτὴν, *Dei hominisque amantem præceptorem.* *Ibid.*

Rectè autem monuit Clemens, hæc adhibenda esse *loco Medicinæ*; non enim temerè, aut ex levitate ingenii, sed cùm res ita postulat ob causas graves, recedendum est à vero. Atque hoc modo permisisse mihi videtur Deus, non tantùm primos inter Patres Christianos, sed etiam ipsos Apostolos, in suis, de mundi fine, calculis & cogitatis, à vero aberrare; nempe per *modum Medicinæ*, vel κατ' οἰκονομίαν, quò magis expergefaceret supinos, ad pietatem incitaret, in tolerandis laboribus aut tormentis indefatigabiles redderet: denique, ad subeundam mortem aut martyrium, alacres, infractos, interritos. Quis enim Lucem fugacem, & Mundum crastino periturum, in delitiis haberet? aut spem cœli, vitæque futuræ, tantilli venderet? Sed pergamus in proposito.

Quæ supra attulimus ex Clemente Alexandrino, eorum admodùm affinia sunt quæ statuit Plato de usu veri & falsi, apud sapientes, Magistratus, & Legislatores. Dicit in genere, falsiloquio non utendum esse, nisi ἀποτροπῆς ἕνεκα, ὡς φάρμακον, *ad propulsandum malum, ut medicina, aut pharmacum.* Hujusmodi autem pharmaca magistratui esse necessaria, *De Repub. l. 2. in fine.*

&,

&, in ſalutem populi, ſæpiuſculè adhibenda, dicit; συχνῷ τῷ ψεύδει καὶ τῇ ἀπάτῃ κινδυνεύει ἡμῖν δεήσειν χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων, ἔφαμεν δέ που, ἐν φαρμάκου εἴδει πάντα τοιαῦτα χρήσιμα εἶναι. *Non rarò mendacio & ſimulatione utendum eſt Magiſtratibus ad ſubditorum utilitatem; diximus autem hujuſmodi omnia, veluti pharmaca, ſalutifera eſſe.* Denique, *in ſecundo de Legibus*, his itidem habet gemina aut cognata, idem philoſophus. Νομοθέτης δέ τι καὶ σμικρὸν ὄφελος, εἰ καὶ μὴ τοῦτο ὧδ' ἔχον, ὡς καὶ νῦν αὐτὸ ἤρηκε ὁ λόγος ἔχειν, εἴπερ τι καὶ ἄλλο ἐτόλμησεν ἂν ἐπ' ἀγαθῷ ψεύδεσθαι πρὸς τοὺς νέους· ἔστιν ὅτι τοῦτο ψεῦδος λυσιτελέστερον ἂν ἐψευσατό ποτε, καὶ δυνάμενον μᾶλλον ποιεῖν μὴ βίᾳ, ἀλλ' ἑκόντας πάντας πάντα τὰ δίκαια; καλὸν μὲν ἡ ἀλήθεια, ὦ ξένε, καὶ μόνιμον· ἔοικε μὴν ῥᾴδιον εἶναι πεῖσαι. His ſubjungit *Euſebius*, μυρία δ' ἂν εὑρήσεις τοιαῦτα καὶ ἐν Ἑβραίων γεγραφαῖς. Hæc ita ſimul reddidit Euſebii interpres: *Legiſlator qui nonnihil prodeſſe voluerit, etiamſi non eo ſe modo res haberet, quo ſeſe habere jam evicimus, ſi quid unquam apud juniores, utilitatis causâ, falſi dicere potuit, eſtne quod utilius unquam potuerit, aut quò faciliùs efficiat, ut omnes ad omnia æquitatis officia, non vi, ſed ultrò ac ſponte, adducantur? Veritas quidem mi Hoſpes, pulchrum quid ac ſtabile eſt, at eam perſuadere, non ità promptum. HIS tu affinia Hebræorum in literis ſexcenta reperies*, inquit Euſebius. Sed ex Platone ſatis: adde tantùm dictum Philonis Judæi, qui *Platonizare* dicitur, his verbis, τῷ ἄριστα νομοθετήσαντι τέλος ἓν δεῖ πεφυκέναι, πάντας ὠφελεῖσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας. *Optimum Legiſlatorem oportet unicum habere propoſitum, ut proſit omnibus in quos inciderit.* Hæc, Platonis doctrinæ conſona, ad vindicandum Moſem, Legiſlatorem Hebræum: & ſacrarum literarum ſtylum,

*De Repub. l. 5 m. p. 459*

*m. p. 663.*

*Præp. Evan. l. 12. c. 31.*

*Quod Deus ſit imm. m. p. 236.*

applicuit Philo. Redimus itaque ad Mosem.

De cujus Hexaëmero, quod præ manibus est, hanc tulit sententiam Philoponus, ex philosopho Christianus; σκοπὸς ἦν Μωσεῖ, οὔτε φυσιολογῆσαι, οὔτε ἀστρονομῆσαι· ἀλλ' εἰς Θεογνωσίαν, καὶ ἐπὶ τῆς κοσμογονίας, ἀνθρώπους ἀγαγεῖν καὶ παραστῆσαι. *Non propositum erat Mosi, aut Physicum agere, aut Astronomum: sed homines ad Dei cognitionem, etiam in origine mundi exhibendâ, adducere & apparare.* Idem sentit supra laudatus Eusebius, de Mose & Authoribus sacris; Μωσῆς δὲ καὶ τὰ Ἡβραίων λόγια, τούτων (de rebus naturalibus, & phænomenis cœlestibus loquitur) οὐδὲν πολυπραγμονεῖ· καὶ εἰκότως· ὅτι μηδὲ πρὸς βίου κατόρθωσιν, τοῖς περὶ ταῦτα ἀσχολουμένοις λυσιτελεῖν ἐνομίσθη. *Moses & Hebræorum Oracula, ista,* naturæ scilicet, & cœli phænomena, *non multùm curavere, nec immeritò: cùm, eorum studiosos nihil ad vitæ emendationem, inde juvari posse judicaverint.*

*In Hexaëm.*

*Præp. Ev. l. 15. c. 8. in fine.*

De vulgari stylo Cosmopœïæ Mosaicæ, κατὰ συγκατάβασιν, facile esset plura numerare & afferre suffragia: sed nè nimius videar, adjiciam tantùm Sancti Basilii & Chrysostomi, eâ de re, sententias. Ille in Hexaëmeron sermone primo, hæc habet: ἦν γὰρ τί, ὡς ἔοικε, καὶ πρὸ τοῦ κόσμου τούτου, ὃ τῇ μὲν διανοίᾳ ἡμῶν ἔστι θεωρητὸν, ἀνιστόρητόν δε κατελείφθη, διὰ τὸ τοῖς εἰσαγομένοις ἔτι, καὶ νηπίοις κατὰ τὴν γνῶσιν ἀνεπιτήδειον. *Æquum est credere, fuisse quiddam ante mundi Mosaici constitutionem. Quod quidem animo contemplari possumus: Ejus autem nullam fecit mentionem Moses, nullam reliquit memoriam, quòd istis parvulis, & vix dum initiatis, tantæ rei cognitio impar esset & inidonea:* * Hoc pluribus prosecutus est S. Chrysosto-

* *Iterùm hom. 9.* Μᾶλλον δοξάσω τὴν μὴ ἀπασχολήσαντα τὴν νοῦν ἡμῶν ἐπὶ τὰ μάταια, ἀλλὰ πάντα εἰς οἰκοδομὴν καὶ καταρτισμὸν τῶν ψυχῶν ἡμῶν γραφῆναι οἰκονομήσαντα.

mus:

mus: Ὅρα τὴ συγκαταβάσεως τὴ ὑπερβολήν· οὐδὲν περὶ τῆς ἀοράτων δυνάμεων διαλέγεται Μωσῆς· οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ εἰκῆ, ταύτην ἡμῖν ἔτεμε τὴ διδασκαλίας τὴν ὁδόν· ἐπειδὴ γὰρ Ἰουδαίοις διελέγετο, τοῖς περὶ τὰ παρόντα ἐπτοημένοις, καὶ οὐδὲν νοητὸν φαντασθῆναι δυναμένοις, ἀπὸ τῆς αἰσθητῶν τέως αὐτοὺς ἐπάγει πρὸς τὴν τῶν ὅλων δημιουργόν. Et posteà, καὶ μὴ ξενισθῇς ἀγαπητὲ, εἰ Μωϋσῆς ταύτην ἤρχεται ὁδὸν, ἐν ἀρχῇ καὶ ἐν προοιμίοις τοῖς παχυτάτοις Ἰουδαίοις διαλεγόμενος.....οὐδὲ γὰρ ἦν ἔυλογον τοῖς ἔτι γαλακτοτροφεῖσθαι δεομένοις, στερεᾶς μεταδοῦναι τροφῆς. Καθάπερ γὰρ οἱ διδάσκαλοι, &c. Utitur exemplo præceptoris in instituendis pueris: quo utitur etiam Cyrillus, aliique Patres, in hâc causâ. Summa dictorum à Chrysostomo hæc est, Moses, in proœmio suæ Legis instruendo, cùm probè nôrit quibuscum ei res esset, hebetis nempe, & inexercitati ingenii Judæis, κατὰ συγκατάβασιν temperavit & demisit sese ad populi captum: atque eo modo differuit de Mundi origine & Conditore, quo potuit maximè ingredi & occupare pectora imperitæ multitudinis: ac, per viam facilem, ad Deum verum, unicum, & omnipotentem, perducere.

*In Gen. λόγ. 5.*

*Cont. Jul. l. 2. ad objec. 4.*

Denique, ut hoc argumentum absolvamus, reduc exemplum ad nostra tempora, & penes unumquemque sit judicium. Siquis jam functurus esset officio Prophetæ aut Apostoli apud *Indos*, alioſve populos infideles, quoties incideret occasio de Cœlo & Stellis, de Sole, Lunâ, & Terrâ, verba faciendi, annon populari doctrina, styloque, ei utendum esset, & perorandum juxta receptas apud istas gentes opiniones, de cursu Solis & Cœlorum motu, de luce & magnitudine Planetarum, de stabilitate Terræ aliisque? quanquam etiam id omninò apud se resciverit & persuasum habuerit, opiniones illas Astronomorum &

Philoſophorum rationibus & calculis non reſpondere. Nec enim id illi negotii creditum erat, barbaros illos docere theoremata aut argutias philoſophiæ, ſed religionem, & veri Dei cultum & præcepta. Hæc non minùs olim convenêre Moſi noſtro, quàm hodierno Indorum Apoſtolo: quinetiam multò magis, ſi tempora & populos conferamus. Sed de hoc argumento ſatis.

Quartò & ultimò, Qui literæ & verbis Moſaicis tenaciter adhærent in omnibus, monendi ſunt, nequid Deo indignum, aut religione noſtrâ, admittant: vel divini numinis majeſtatem ſuâ irreverentiâ lædant. Nos utique Chriſtiani ſummum numen colimus, Deum optimum maximum: vel, quod dici ſolet, *Ens infinitè perfectum.* Nihil igitur in Theologiâ noſtrâ Deo tribuendum, quod dedecet Ens infinitè perfectum. Viſne autem dicamus, *Ens infinitè perfectum* deſcendiſſe de cœlo, & deambulâſſe
*Gen. 3.* in horto ſub Veſpere: & inclamâſſe Adamum, latitantem inter arbores? *Ens infinitè perfectum* feciſſe *Tunicas pelliceas*, & induiſſe eas viro & fœminæ? cum cæteris quæ in colloquio illo *Entis infinitè perfecti*, cum Adamo, cum fœminâ, cum ſerpente, referuntur.

Cùm Deo affiginus, non verbis tantùm ſed reipsâ, ea quæ repugnant naturæ divinæ, peccatur in dignitatem Numinis. Quod, ſi malo animo factum eſſet, & in materiâ gravi, non contumeliæ tantùm, ſed ſpeciem aliquam haberet blaſphemiæ. Cavendum eſt igitur in utrâque parte, ut neque leviter & ſine jure à verbis & literâ diſſiliamus: nec, ex alterâ parte, quæ ἰδιωτικῶς dicta ſunt, ſuperſtitiosâ imbecillitate in damnum Numinis interpretemur.
*Strom. 7. p. m. 701.* Rectè dixit Clemens Alexandrinus, ἡ θεοπρέπεια ἕξις

ξις ὅτι τὸ πρέπον τῷ θεῷ σώζουσα· θεοφιλὴς ὁ θεοπρεπὴς μόνος. Unicus Dei amicus eſt, qui Deo conſervat quod ſuâ naturâ dignum eſt.

Neque minùs Religionis noſtræ conſervanda eſt dignitas. Anſam arripere ſolebant nominis Chriſtiani hoſtes, ex ſcriptis Moſaicis, craſſiùs expoſitis, ſugillandi vel irridendi religionem Hebræam noſtramque, tanquam idioticam, aut fabuloſam. Exempla dedimus antea in *Simplicio*, & in *Celſo*: qui, præter alia, generationem mundi Moſaicam appellat μάλα ἐυηθικὴν, *admodum ſtolidum*. Nunc audiamus *Julianum*, eâdem chordâ ſæpiùs oberrantem. De Colloquio *Evæ* & *Serpentis* verba faciens Julianus, Τί διαφέρει, inquit, ἢ περὶ παρὰ Ἕλλησι πεπλασμένων μύθων, τὰ τοιάδε; *Quid differunt hæ fabulæ ab illis quas Græci finxerunt?* Et de *Horto Eden*, & Fœminâ datâ Adamo in adjutorium, quæ tamen decepit eum ante veſperam, audenter & apertè dicit, ταῦτα γὰρ ὅτι μυθώδη παντελῶς. *Hæc prorſus ſunt fabuloſa.* Denique, De ejectione Adami ex Paradiſo propter comeſum pomum, ne lignum vitæ guſtando, Deus fieret, hæc habet, τούτων τοίνυν ἕκαστον, εἰ μὴ μῦθος εἴη, ἔχων ἀπόῤῥητον θεωρίαν, ὅπερ ἐγὼ νενόμικα, πολλῆς γέμουσιν οἱ λόγοι περὶ τοῦ θεοῦ βλασφημίας. *Horum unumquodque, niſi fabula ſit, arcanam habens ſpeculationem, id quod ego exiſtimo, multâ in Deum blaſphemiâ repleti ſunt illi ſermones.* Vides quanta hinc orta ſit offenſio apud exteros, quòd ea quæ ſcripta ſunt à Moſe in his narrationibus, ἀθεοπρεπῆ, & religione cœlitùs miſsâ, prorſus indigna judicaverint: nimirum ſi in verborum cute & cortice hæreamus. Ea igitur laudanda mihi videtur interpretatio, quæ hæc ſcandala, hoc odium, à religione noſtrâ amolitur.

*Orig. contra Celſ. l. 6. p. 309.*

*Cyr. contra Jul. l. 3. objec. 2.*

*Ib. objec. 1.*

*Ib. objec. 4.*

Denique,

Denique, ita interpretandus eſt Moſes, ut neque ſecum diſcordet, neque cum cæteris authoribus ſacris, in ſuis originibus tradendis. Hoc enim neceſſe eſt cedat in damnum & dedecus religionis noſtræ, ſi inter ſe diſſideant ipſius oracula. Ita, ſi Moſes in ſuo Hexaëmero exhibeat nobis Terram Hodiernam, loco Primigeniæ: poſtea verò ea introducat phænomena, quæ conciliari non poſſunt Terræ hodiernæ: Qualia ſunt, Ante diluvianorum longævitas, Diſruptio Abyſſi in Diluvio, & origo Iridis poſt diluvium: ita exponendum eſt Hexaëmeron, ut Moſes non deſciſcat aut diſſideat à ſeipſo. Prætereà, ſi Regius Propheta celebret, inter miranda Dei opera, *Terram ſuper aquas fundatam* (Pſ. 24. 2.) *Terram ſupra aquas extenſam* (Pſ. 136. 6.) *Sapientia itidem memoret* (Prov. 8. 27.) *Orbem circumductum Abyſſo. Sanctus Petrus* denique, Terram ante diluvianam, ità *conſtitutam ex aquâ & per aquam, verbo Dei*, ut exinde fuerit aquarum obnoxia diluvio, 2 *Pet.* 3. 5, 6. Hæc, inquam, omnia, ita tractanda ſunt & componenda, ut dictio vulgaris Hexaëmeri non obruat, & authorem ipſum, & ejuſdem ſacræ claſſis plures alios. Præſertim cùm unius capitis commodâ interpretatione, multis nominibus aliàs neceſſariâ, Moſes & ſibi & cæteris conciliari poſſit.

Hæc autem in medium affero, quaſi adversâ acie diſpoſita, non quod mihi volupe ſit Scriptores Sacros inter ſe committere, Prophetas & Apoſtolos: ut concitato pulvere inter tantos viros, ipſe intereà elabar & effugiam. Sed cùm nos premunt pondere unius loci aut Scriptoris, æquum eſſe videtur, alterum pluresve, in oppoſitâ lance, ſubſtituere: ut cauſa redeat ad æquilibrium ſaltem, ſi non in partes noſtras propendeat. Sed de his rebus ſatis.

Ut

Ut huic tandem Tractatui finem imponamus, paucis monendum eſt, Quæ de Originibus Moſaicis commentati ſumus, nobis licet perſuaſiſſima, ab aliis utcunque, non niſi *Tentaminis* loco, haberi vellem. Cæcutimus ſæpe in propriis, perſpicaces in alienis erroribus advertendis; proinde nec ſecundas cogitationes, nec aliorum monita, negligam aut aſpernabor. Intereà, quod reliquum eſt, claudamus omnia, fuſis ad Deum precibus, ut erroribus noſtris ignoſcere dignetur, ſicut nos ignoſcimus alii aliis. Ut memor ſit & miſereatur anguſtiarum & caliginis, quibus opprimuntur, in hâc carne, in hoc carcere, Animæ humanæ; ut ſuo lumine nos indies magis magiſque illuſtret, eoque præeunte, ad ſuum Regnum cœleſte tandem perducat, per Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum.

# APPENDIX.

## *De Brachmanis hodiernis apud Indos, eorumque dogmatibus.*

*l. 1. c. 3.* CUM ſupra meminerimus Brachmanum hodiernorum apud Indos, Quos ex antiquâ ſtirpe propagatos eſſe, multa indicia, ac rerum & ſtudiorum cognationes, fidem faciunt, non ingratum erit, opinor, nec à propoſito alienum, de eorum dogmatis circa rerum Origines & revolutiones, per modum Appendicis, quædam hìc attexere. Quæ quidem dogmata pleriſque neglectui eſſe ſolent, quòd mythologicè tradantur, & craſſis fabularum umbris veritatem obſcurent.

Indorum autem nomine hìc complectimur præter Imperium Sinenſe, Regnum *Indoſtan*, ſive magni Mogolis: Regnum *Siamenſe*, *Malabaricum*, *Chinquachina*, *Choromandel*, & ſiqua ſunt alia in Oriente nobis nota, quæ barbariem aliquatenus exuerunt. In his ſingulis eſt quoddam genus Philoſophorum aut Theologorum, & in regno Indoſtan, Siam, aliiſque vicinis, veterum Brachmanum videtur eſſe progenies: moribus, vitæ inſtituto, doctrinâ & linguâ ſibi propriâ, à reliquo populo ſecreta & diſcriminata. Habent illi Cabalam quandam, ſive doctrinam traducem ab aliis ad alios, atque vulgo ignotam. Hæc autem doctrina non ſingula capita aut minutias Philoſophiæ perſequitur, ut moris eſt hodiernis Philoſophis:

phis: ſed, inſtar Theologiæ naturalis veterum, tractat de Deo, de Mundo, de rerum origine & exitu, de periodis Mundanis: de primævo naturæ ſtatu, & repetitis renovationibus. Hæc dogmata traduntur à nonnullis apertiùs, ab aliis obſcuriùs & fabuloſiùs: ſed ſparſa fuiſſe primitùs inter has gentes, quæ ſuperſunt adhuc eorum veſtigia, manifeſtè docent; Libetque, ſpeciminis loco, quædam capita hujuſce hodierno-barbaræ Theologiæ vel Philoſophiæ ex nuperis Itinerariis breviuſculè notare.

Nihil refert à quo Regno aut Regione ordiamur. Permagnum eſt illud Mogolis, *Indoſtan* dictum, quod ex Europæis plures invisêre, teſtes idonei & fide digni. Sunt in hoc regno, præter Mahometanos, Gentiles vel Pagani: Et inter Gentiles eſt quædam Tribus vel ordo hominum, qui Sapientum, Sacerdotum, aut Philoſophorum, titulum gerunt, & funguntur officiis. Habent ſibi Linguam peculiarem, quam *Hanſcrit* appellant, ſeu Linguam puram. Hâc conſcriptos tenent Libros quoſdam antiquiſſimos, quos nuncupant *Sacros*, & magno Prophetæ *Brahmæ*, à Deo datos eſſe aiunt: ut olim erat Moſi Lex Iſraelitarum.

Hujus Linguæ Brachmanicæ Alphabetum habes apud Athan. Kircherum, deſcriptum manu P. Henrici Roth, qui per plures annos Literaturæ Brachmanicæ apud Indos, ſtudium impendit. Et in hâc linguâ non tantùm ſuam Theologiam, ſed omne genûs inſtituta Philoſophica, conſcribunt & occultant. *Chin. Illuſ. pars 3. c. 7.*

Præter μετεμψύχωσιν & ἐποχὴν ἐμψύχων, antiquiſſima dogmata: De creatione univerſi, & ejuſdem fine vel abolitione, priſcorum inſtar philoſophantur: cùm hæc explicant per egreſſum vel efluxum

fluxum rerum omnium à Deo, & in eundem regreſſum vel retractionem. Hoc autem more Cabaliſtico vel Mythologico exprimunt. Fingunt enim immenſam quandam Araneam eſſe primam rerum Cauſam: Quæ, materiâ è ſuis viſceribus eductâ, hujuſce univerſi telam contexuit, & mirâ arte ordinavit. Sedet Illa intereà in arce ſui operis, & cujuſque partis motum ſentit, regit, & moderatur. Tandem cùm ſatis luſit in ſuâ telâ adornandâ & contemplandâ, retrahit, quæ evolverat, fila, atque ita omnia reſorbet in ſeipſam, totaque rerum creatarum natura in nihilum evaneſcit. Hoc modo Mundi ortum, ordinem, & interitum, repræſentant hodierni Brachmanes: Neque hæc multùm abludunt à ſententiis veterum ſupra memoratis (*l.* 1. *c.* 7. *p.* 63, 64, &c.) ſi, fabuloſo cortice adempto, nucleum adeamus. Plura de Gentilibus Indoſtanis, ſi vacat, legere licet apud Henricum *Lord*, F. *Bernier*, alioſque peregrinantes, qui eorum literaturam diligentiùs quæſierant.

In Regno Siam, vel Siamenſi, Imperio Mogolis contermino, eſt eadem Brachmanum progenies. Guido Tachard, è Societate Jeſuitarum, Legatum Gallicum comitatus ad Regem Siamenſem, de eorum Philoſophiâ vel Theologiâ hæc nobis retulit. Primos homines, aiunt, majores fuiſſe hodiernis, longæviores, & multa ſæcula vixiſſe morborum immunes. Terram hodiernam, longo æſtu & ardore arefactam, igne conſumptum iri. Exiccato Oceano, liquefactis montibus, & adæquatâ totâ Telluris ſuperficie. Hæc mihi occurrunt apud dictum Authorem. Plura autem apud alios, quæ compegit & ludendo explicuit nuperus Poëta his verſiculis;

*Voyage de Siam, p.* 39.

*Stolidus*

*Stolidus Regni Myſta Siami,*
*Octoginta dat perituro*
*Sæcula Mundo. Tunc qui tantum*
*Jam furit uno fervidus oculo,*
*Septem pandet lumina Phœbus,*
*Queîs æquoreas ebibet undas.*
*Queîs immenſum vindice flammâ*
*Deſtruet Orbem. Sed duo calidis*
*Quæ reſtabunt tecta favillis*
*Binos homines Ova creabunt.*
*Qui fœcundo ſemine cultum*
*Iterum poterunt reddere mundum.*
*Quem non ſalſis Neptunus aquis,*
*Alluet unquàm, tantùm rigui*
*Undique Fontes, dulceſque Lacus,*
*Irrorabunt molliter herbas.*
*Et perpetuo vere Beatos*
*Spargent variis floribus Agros.*

*Zevecot. in Frag. Mar. Græc.*

Non tantùm hodiernam Terram perituram eſſe, idque Igne, docent Brachmanes Siamenſes: Sed fore etiam, ut ex ipſius cineribus nova Terra enaſcatur. Terra *ſine mari*, qualem vidit Johannes Propheta: Et ſine temporum viciſſitudinibus annuis, *perenni Vere* Beata; qualem deſcripſimus Theoriæ libro quarto. Mirari quidem licet gentem ſemibarbaram, hæc dogmata retinuiſſe uſque à Noachi temporibus; neque enim aliunde, quàm à traditione, in harum rerum notitiam illis pervenire licuit; neque aliunde profluere potuit, aut primordia capere, hæc Traditio, quàm à Noacho, & Sapientibus antediluvianis. Sed ex quo Authore, aut Itinerario Siamenſi, hæc deſumpſit Poëta, mihi nondum innotuit.

*Apoc. 21. 1.*

*cap. 2.*

Prætereà

Prætereà, Regnum *Choromandel*, in orâ meridionali Indiæ, ſuos habet Brachmanes: quorum mores & doctrinam non indiligenter exploravit Abrahamus Rogerus, qui *Januam apertam ad arcana Gentiliſmi* conſcripſit, multos annos ibidem commoratus. Aſſerunt autem plures eſſe mundos, in diverſis univerſi regionibus, ſimul exiſtentes: & plures etiam ſucceſſivos: eundem nempe Mundum deſtrui & renovari, ſecundum certas temporum periodos. Mundum noſtrum Terreſtrem ab ætate quâdam aureâ incœpiſſe, atque igne periturum eſſe. Denique, doctrinam de *Ovo mundano*, retinent, Mundum ovo comparantes; ut ſolent veteres, tam Græci quàm Barbari.

*Vid. part. 2. c. 5.*

Denique, Regno *Choromandel* contiguum eſt Regnum Malabaricum: ubi P. Robertus Nobilius, miſſionis, ut dicitur, Maudarenſis fundator, partem non exiguam ſuæ vitæ peregit; doctus linguam, tam vulgarem Indicam, quàm Brachmanicam. Scripſiſſe dicitur multa de *Theologiâ Brachmanum*: ſed quâ linguâ, neſcio: neque enim ex ipſius ſcriptis quicquam mihi hactenus videre contigit; nec de hâc, reliquiſve, quæ ſuperſunt, Indiæ regionibus, ſuppetunt mihi commentaria aut fideles narrationes, quibus ediſcam eorum traditiones aut dogmata, ab oculatis auritiſve teſtibus.

*Vide Alegamb.*

*Sinenſium* etiam meminimus ſupra, populi perantiqui, ſed apud veteres, in re literariâ, ignoti. Id habent cum cæteris Orientalibus commune, quod Mundum Ovo comparent, & ex eo ortum velint. Atque primum ſuum Hominem, *Puoncuum* dictum, pariter prognatum ſtatuunt ab Ovo: ſive id de Chao interpreteris, ſive de Tellure Primigeniâ. Et licet à Brachmanis non videantur mihi ſuam traxiſſe philoſophiam aut hiſtoriam, eorum tamen literas & Alphabetum

*M. Mart. Hiſt. Sin. c. 1. Nieuhof. Leg. Bat. p. 51.*

phabetum arcanum tanti faciunt, ut, veluti quid ſacrum & antiquiſſimum, ſuis idolis ea inſcribere ſoleant.

Denique Mahometanos, latè diffuſos per Orientem, ſub aliis atque aliis dominiis, intractos prætereo: utpote homines novos & ἀφιλοσόφους. Quod olim dixit Soloni Sacerdos Ægyptius, *Vos Græci ſemper pueri eſtis: Senex Græcorum eſt nullus.* Mutatis nominibus multo magis hìc locum habet. Nec malè ſui dicti rationem reddit Ægyptius, Νέοι ἐστὲ τὰς ψυχὰς πάντες· ὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε, δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, ὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν ὐδέν. *Juvenes eſtis animis: in illis enim nullum, ex antiquâ traditione, priſcorum dogma: nullam doctrinam vetuſtate canam retinetis.* Hæc quadrant quàm maximè in Mahometanos, ubicunque ſparſos. Nihil retinent antiquæ ſapientiæ, & dominandi cupiditas omnem illis ademit bonarum literarum amorem aut ſtudium.

In ipsâ Perſide, ubi olim floruit magni Zoroaſtri & Magorum Philoſophia myſtica, nihil ſupereſt hodiè commemoratione dignum. Narrat Henricus Lord, quem ſupra nominavimus, cùm Saraceni inundârint Perſidem, victo & occiſo Rege Jezdegirde, circa annum Chriſti 628. è Perſis nonnullos, qui novæ ſervitutis & novæ religionis jugum ferre non poterant, conſcenſis navigiis in Indiam ſe & ſua tranſtuliſſe: Regibuſque Indis juratâ fide, ſuam quemque religionem, cultumque veterem, impunè exercuiſſe. Horum Indo-Perſarum refert idem author nonnulla dogmata, circa ortum, ætates, finemque Mundi: ſed tot fabulis referta, ut repetitu parùm digna videantur.

Atque illud in genere notandum eſt de Gentilibus hodiernis, ſupereſſe quidem apud eos nonnunquam antiquiſſi-

antiquiſſimorum dogmatum παραδόσεων, circa Mundum naturalem, quædam veſtigia: at ſitu, ſqualore, ſordibus obducta: plerumque etiam additamentis fictitiis, ad nauſeam uſque, onerata; ut nulliùs ſint numeri aut ponderis, cùm argumentis virilibus res agitur. Miſeret me quidem Terrarum Orientalium, primæ ſapientum ſedis, florentiſſimi olim bonarum literarum Emporii, à multis retro ſæculis in fœdam barbariem converſarum.

Tantæne Animis cœleſtibus iræ?

Faxit Deus, ut eaſdem non ſubeamus vices, neque retrahat iratus, id luminis, quo gaudemus in Occidente; ſed in omnes partes magis magiſque diffundat, donec *Scientia Dei repleverit Terram, ut Aquæ replent mare.*

---

FINIS.